

# COLLECTIO SCRIPTORUM

RERUM

## HISTORICO-MONASTICO- ECCLESIASTICARUM

VARIORUM RELIGIOSORUM ORDINUM

### TOMUS III

IN QUO CONTINENTUR

- I. AUBERTI MYRÆI Origines ac Progressus Canoniorum Regularium S. Augustini per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Belgium aliasque Orbis Christiani Provincias.
- II. FRANCISCI PETRI Can. Reg. S. Augustini Imperialis ac celeberrimæ Canonice Wettenhusanæ quondam Senioris ac Historiographi Germania Canonico - Augustiniana, Ordine Alphabetico conscripta. Pars I. Littera A & B. Opus posthumum.

CURANTE

MICHAELE III

*ad Exemptas Insulas Wengenses Cann. Regg. Ulmæ Suevorum Prælato, Sacræ Cæsareæ ac Cathol. Majestatis Consiliario ac Sacellano Perpetuo.*



PERMISSU SUPERIORUM.

U L M Æ

Sumtibus GAUMIANIS 1756.

COLLECTIO  
SCRIPTORUM

HISTORICO-MONASTICO  
ECCLIASTICARUM

VARIORUM RELIGIOSORUM ORDINUM

TOMUS III

IN QUO CONTINENTUR

I. ALBERTI MYKALI Quibus de Processibus Canonis  
Reverentibus S. Augustini per Italiam, Galliam,  
Germaniam, Belgiam, et alia Christiana Provincia.

II. FRANTISCI PATERI, Car. Reg. S. Augustini, Ordinis  
de ecclesiasticis Canonibus, et de eorum  
de Historiographis, Canonibus, Augustinis, Ordinis  
Alphabetico compendii. Pars I. Pars II. Pars  
posteriorum

CURANTE

MICHAELI III

et aliorum scriptis in regni Car. Reg. S. Augustini, Ordinis  
in Civit. Lipsiensi, Augustini, S. Augustini, Ordinis



PERMISSU SUPERIORUM

UTINAM

SUMPTIBUS CAEMERIS



# P R Æ F A T I O.



Ipsa æquitatis ratio, & gratitudinis debitæ officium postulat, ut Apo-  
 stolicus & Antiquissimus Canoniorum Regularium D. AUGUSTINI  
 Ordo mox in Tertii hujus Tomi vestibulo AUBERTI MIRÆI tu-  
 mulum jugiter vernantibus gratiarum flosculis inspergat, de cujus Hi-  
 storia per totam fere, quam continuos inter Litterarios labores trivit,  
 vitam non bene tantum sed optimè etiam mereri studuit. Quantum  
 illi debeat Regularis & Canonica Posteritas, si cætera abessent omnia, vel solum  
 hoc Opusculum abunde demonstrat, quod Benevoli Lectores hic primo loco  
 positum vident, cui MIRÆUS sequentem inscripsit titulum:

## CANONICORUM REGULARIUM ORDINIS S. AUGUSTINI Origines ac Progressus

Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Belgium,  
 aliásque Orbis Christiani Provincias.

A U T H O R E

AUBERTO MIRÆO &c.

Coloniæ Sumptibus Bernardi Gualteri, anno 1614.

Constitueram mecum, Tomum hunc tertium & quartum soli Canoniorum Regu-  
 larium sub SS. Legislatoris AUGUSTINI Regula militantium sacrare Ordini,  
 non tam ut privato meo satisfacerem affectui, quàm ut Amicis monentibus, quin  
 & rogantibus, gratum præstarem obsequium, qui dilatam per tot Annos GER-  
 MANIÆ CANONICO - AUGUSTINIANÆ Editionem, de qua mox plura,  
 ardentissimè votis suspirârunt. His autem minimè ingratum fore credidi, si hoc  
 rarissimum MIRÆI Opusculum præmitterem, ad quod GERMANIÆ CANO-  
 NICO - AUGUSTINIANÆ Author sæpe sæpius recurrit, & Lectores suos  
 remittit. Fors Historiæ præsentis Amatores desiderabunt & alterum æstimatis-  
 simi hujus scriptoris Libellum, cujus NICERONIUS in suis *Litteratorum Viro-  
 rum Illustrium Memoriis* sub hac Inscriptione meminit: *De Collegiis Canoniorum  
 Regularium per Germaniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, aliásque Orbis Chri-  
 stiani Provincias. Liber singularis.* Non vidit NICERONIUS hoc Opusculum,  
 oculos tamen meos subiit, sed alium in fronte Titulum exhibet. *De Collegiis  
 Canoniorum Sæcularium non Regularium* illud agit, eorundemque exactam satis  
 Historiam pertractat pro vastissima Eruditione sua Polygraphus hic Scriptor.  
 Publicavit hanc Lucubrationem suam Coloniæ Agrippinæ, Sumptibus Bernardi  
Gual-

## P R Æ F A T I O.

Gualteri Anno MDCXV. dedicavitque Reverendissimo Antistiti D. CAROLO PHILIPPO RODOANO BERLEGEMIO Episcopo Brugensi, ac Flandriae Cancellario perpetuo. Ex hac Relatione constat, minimè iniquam esse Sententiam, quam Authores Bibliothecæ Gallicæ tulère de NICERONIO Tomo IX. P. I. p. 131. dum ajunt: *Le Compilateur (NICERON) est quelque fois peu exact dans la Liste des Ouvrages, & dans les noms propres.* Cæterum absque ulla ingratitude Nota ab ulteriori Miræani Nominis Elogio hîc superfedendum esse censeo, cum jam in utriusque præcedentis Tomi Præfatione gemina meritissimas Illius Laudes ex Antonio Sandero, Valerio Andrea, & aliis concinnatas attulerim, ex iis id unum repetens, ut Author scriptis clarissimus, qui Ordinibus Religiosis Origines, Annalibus Gesta, Piis Fundatoribus famam, Historiis lucem, Scriptoribus Vitam, Patriæ claritudinem & Ecclesiæ Catholicæ decus asseruit, copiosam Laborum suorum mercedem æternam accipiat, ac ea perfruatur in cælis.

Transeo nunc ad alteram Tomi hujus Partem, quæ Opus Apostolico Canonicorum Regularium Ordini honorificum, hætenus ineditum, & ab annis plusquam quinquaginta desideratissimum ex Manuscripto Codice sistit. Illius quidem brevis, at ab Argumento satis magnifica Inscriptio est:

## GERMANIA CANONICO - AUGUSTINIANA

MULTORUM ANNORUM

STUDIO AC LABORE

MAGNISQUE SUMPTIBUS

COLLECTA

A

P. R. D. FRANCISCO PETRO

Can. Reg. Ord. S. Augustini Imperialis Canonix

Wettenhusanæ in Suevia quondam Capitulari

ac Seniore.

OPUS POSTHUMUM.

P A R S I.

Littera A & B.

Imperiale ac celeberrimum Wettenufanum Collegium semper floruit Viris non tantum de Republica Litteraria, sed præsertim etiam de sacro Ordine Canonico meritissimis. Sat prolixum texere hîc Catalogum possem, nisi opportuniori illum occasione reservarem. Debito tamen Laudis tributo minimè defraudandus est præsentis Germaniæ Canonico-Augustinianæ Author. Patriam is habuit Augustam Vindelicorum, ex thoro legitimo ac perhonestis Parentibus Anno 1639. in Orbem natus. Humaniores Musas patrios intra Lares, severiores scientias intra Wettenufanæ Canonix pomæria edoctus fuit, atque illas triplici Votorum Religiosorum vinculo adstrictus maxima tam capacis ingenii, ac indefessæ Industriæ, quam egregii profectus commendatione absolvit. Sacerdotiô initiatus Vitam Contemplativam Activæ temperare iussus, Parochiales Curas summâ curâ in se suscepit. Oeconomix Præfectus Pater Pauperum, ac Consolator Afflictorum audiit. Religiosæ vitæ semitam adeò indefessè cucurrit, ut ob Regularis Vitæ conversationem omnibus amori fuerit & exemplo. Otium, Diaboli culcitram, cane pejus & angue fugit, omnésque horas à negotiis ex sacra Obedientia

## P R Æ F A T I O.

dientia impositis vacuas, aut sacræ Læctioni, aut evolvendis Historicis, aut scriptioni impendit. Laborem illius, quem conscribendæ SUEVIÆ ECCLESIASTICÆ sacravit, quam Augustæ Vindelicorum & Dilingæ Sumptibus Benardianis Anno reparatæ salutis humanæ MDCXCIX. edidit, satis dilaudârunt Eruditorum Virorum Calami, ac Exemplorum commendat raritas. Meditatus est *Germaniam sanctam, ac Bibliothecam Canonico-Augustinianam*, sive Scriptorum ex Canonicorum Regularium Ordine Illustrium Catalogum, utriusque tamen Operis, pro dolor! non extant nisi fragmenta. Per annos plusquam quadraginta indefesso labore ac studio elaborandæ GERMANIÆ CANONICO - AUGUSTINIANÆ infudavit, Spartanâ tandem patientiâ, magnisque sumptibus, (quos Reverendissimi Imperialis Canonice Wettenhusanæ Antistites liberaliter pro suo, quo in bonas Litteras ac Ordinis Canonico - Augustiniani gloriam ferebantur amore, suppeditârunt) copiosissimum Documentorum Thesaurum adeptus est, ex quibus, in Ordinem redactis, tandem Opus conceptum coaluit. Nôrunt autem omnes, quanto tempore sit opus, quot devoranda sint fastidia iis, qui simili in campo decertârunt pro laurea. Non destitit tamen Optimus, & meritis gravior, quàm annis, Senex à concepto suo proposito. Nulla ipsi dies in feram usque ætatem fuit sine linea, interim tamen dum perficiendæ, complendæ, reficiendæ, & augendæ suæ GERMANIÆ omnem laborem, omnesque curas usque ad septuagesimum septimum Vitæ suæ annum impendit, Mors Vitæ suæ filum, simul & contexendæ Historiæ abruptit anno 1716.

Inter varia Historiographi nostri fragmenta, reperi sequentia Carmina, in honorem adhucdum viventis edita, quæ locum hic merentur.

### In Germaniam Canonico-Augustinianam FRANCISCI PETRI.

**D**um *Petri* sacri dives *Germania* fastis  
Wettenhusanum linguere tentat Agrum,  
Livor in hunc doctum torquens sua lumina Librum,  
Illum mordaci rodere dente parat:  
Commune est; nulli pars æmula defuit unquam,  
FRANCISCO PETRO Zoilus obstrepitat.  
Frustra agit! Authoris durantur nomine Chartæ  
A Petra hac, fracto non nisi dente redit.  
Si nolit tristis fracto sibi dente redire,  
Attonitus trepidet, damna rubore feret.  
FRANCISCO PETRO remanet laus nescia mortis,  
Pravo Impostori, gloria nulla manet.  
Æmula Phænicis tua fit GERMANIA PETRE  
Mortua de busti pulvere viva facis.  
Hinc, quam defunctis servas Authoribus Author  
Vitam, hæc post vitam, te quoque fera manet.  
Pars eris Historiæ, sacras seu computet ædes  
Teuto, sive Viros, Pars eris Historiæ.  
Quæ tua fecisti, Dominis Collegia reddis,  
Nos tibi pro tenui munere nostrADAMUS

SIGEFRIDUS Archi - Diaconus natus &  
Propositus Cann. Regg. Cathedralis  
Ecclesiæ ad S. Andream in Valle Lavantina  
Archi - Ducatus Carinthiæ Majoris  
Consilii Deputatus, ac S. Theologiæ  
Doctor.

)(

GRA.

## P R Æ F A T I O.

### Gratulationis Epicherema Authori positum à Collegio Udenstorfensi.

Cedant prisca novo celebrata Theatra Theatro,  
Quod PETRI mira fabricat arte manus.  
Ecce! Viri, sacræque Domus, quin integer Orbis  
Aurelius, mirum! clauditur ecce! Libro hoc.  
Hic Hipponensis magnos, hic nôsse Nepotes,  
Non possum Aurelio, non nisi more loqui:  
Quos loca sejungunt, Liber iste reducit in unum,  
Etsi habitu vario, candor at unus ovat.  
Errant, qui dicunt, Rara est concordia fratrum,  
Hos námque unanimes scripta mitrata ferunt.  
Hanc, moles fuit, Augustini condere Gentem,  
Anne negas, quisquis forsitan Osor ades?  
Ipsinam dudum nosmet vix noscimus ipsos,  
Tu modo Canonicos noscere *Petre*, facis.  
Nec secus, ac mellis formatrix Dædala manè,  
Prò sine fine labor! lustrat hianter opes,  
Judicii docto ungue legis, scitòque sequestras  
Ordine: & ingenio hæc res *Petre* digna tuo est:  
Fas fit, vera loqui, hoc multum est, quod nemo priori  
Tentare ausus & hoc tempore nemo fuit:  
Hinc Udenensis ait tibi viva encomia cætus  
Officii gratas exhibitura vices:  
Vive, vale superis, longo memoraberis ævo,  
Nam hoc Opus Authorem laudat, hic Author Opus.

### Laurus Triumphalis

SÆpius Aurelii votas Germania leges  
Audiit in Cathedris personuisse suis.  
Vidit Metropoles, vidit Collegia Fratrum,  
Vidit & hæc niveis nobilitata choris.  
Heu multæ periêre faces, periêre nitores!  
Mors etiam Saxis nominibusque fuit.  
Sed FRANCISCE refers qua simus origine nati,  
Germanusque Canon quis sit & unde probas.  
PETRUS es, in Petra scribis nulla umbra nocebit  
Parturiunt Petræ, candidus exit olor.  
Hinc Lauri frondes tibi patria Westphala mittit  
Qua tandem eximium penna coronet Opus;  
Hinc Bodecæ plaudunt tempe lætissima valles  
Et geminis plausum vocibus echo refert  
Scilicet ut grates reddat, cum fœnore vocem  
Reddit; & hoc pretium PETRE laboris habe.

Hac Lauro cingebat emeritissimum  
D. AUTHORIS  
Caput Canonica Bodecensis in Capite  
& in membris.

Post

## P R Æ F A T I O.

Post PETRI nostri fata in ejusdem Labores ex Superiorum jussu intravit Vir pariter pro Ordine Canonico-Augustiniano vigilantissimus, P. R. D. HIERONYMUS BOZENHARDT Wettenhusanæ Canonix singulare Decus ac Ornamentum. Ex illius Industria hoc Opus non modica Incrementa sumpsit. Non tantum diligentissimè collegit Scriptoris nostri relictas chartas, documentorumque molem solertissimè custodivit, sed insuper curavit, ut elegantiori caractere Opus descriptum tandem publicæ luci maturesceret; quod etiam haud dubiè fuisset factum, nisi Mors invida hanc gloriam invidisset, quæ maligna Febri anno 1721. correptum Sacro Apostolico Ordini Ulmæ illum eripuit in Exempta Canonica Wengensi, in qua Junioribus Canonicis Theologiam prælegerat, Wettenhusiô ante biennium postulatus. Habe sis Ejusdem vitæ brevem seriem. Natus est in vitales auras ex honestis parentibus Elchingæ, quæ superior dicitur, anno 1682. Rudiori ætate positâ, inter Benedictinas Monasterii Elchingensis Musas adolevit. Vitam Religiosam & Canonicam per solennem Professionem amplexus est Wettenhusii anno 1700. die 20. Octobris in Festo SS. Apostolorum Simonis & Judæ. Ad Academiam Dilinganam missus, ut Philosophicis ac Theologicis scientiis vacaret, indivisâ concordia doctrinam cum virtute, pietatem cum sapientia ornavit, quibus meritorum gradibus gradum sibi fecit ad primam Theologiæ lauream. Ab Universitate Dilingana redux, mox jussus est sublimiorum Scientiarum Cathedram conscendere, in qua tanta cum laude stetit, sedit, ac descendit, ut Viri, doctrinâ præstantis, famam domi, forisque sit assecutus. In Novitiorum Religiosè instituendorum Magisterio, sacrarum Lectionum energiæ sociavit exemplum; In Præfectura Mariani Sodalitii cor exhibuit in Matrem Virginem amorosissimis affectibus exæstans; In Decanatu Religiosæ disciplinæ Zelum discretionis gemmâ conspicuum. Ut plurimum iis proderat, quibus præerat, vivendi normam, orandi Consuetudinem, psallendi devotionem exempli proprii efficaciam facile omnibus instillavit. Posuit hoc ipsi Elogium grata posteritas in encyclicis Litteris, quæ satis ostendunt, HIERONYMUM post se maximum sui reliquisse desiderium. Cum Decani simul & Novitiorum Magistri fungeretur munere, edidit Ulmæ typis Gassenmeyerianis anno 1717. Librum Asceticum sequentis tituli:

*Solitudo sacra Novitiis Apostolici, & Antiquissimi Ordinis Canonorum Regularium Sancti Augustini ad initium S. Tyrocinii per triduum, ad ejus finem verò per Octiduum frequentanda, una cum exactissima Methodo meditandi.*

Ex Ejusdem calamo etiam fluxit

*Vita SS. Salvatoris nostri JESU Christi, à gloriosis Comprebensoribus Antiquissimi, & Apostolici Ordinis Canonorum Regularium S. Augustini, moribus & exemplis expressa, ac Religiosis ejusdem Canonici Ordinis Viatoribus quotidiana Meditatione, una cum Contemplationibus ex Sapientissimo Idiota, Raymundo Jordano Ord. Cann. Regg. Præposito Utinensi, & Abbate Cellensi, nec non Venerab. Thoma à Kempis ejusdem Instituti Canonico, materiæ quotidianæ Meditationis accommodatis, ad imitandum proposita. Pars I. Constantiæ anno 1721.*

Reliquæ Partes adhuc expectantur. Spem continuandi hujus Operis haud ita pridem mihi fecerat quidam ex Wettenhusanis Canonicis, cui DEUS nobile concessit ingenium variis scientiis excultum. Nec Asceticarum rerum peritia, nec styli elegantia, nec aliæ vires spartæ huic, cum honore implendæ pares, desunt. Fiat!

Minimè autem silentio prætereunda & tertia manus, quæ suam in perficienda Germania Canonico - Augustiniana exercuit solertiam. Cujusnam est illa? A. R.

))(( 2

D. BER.

## P R Æ F A T I O.

D. BERNARDI STRELER p. t. Venerabilis Capituli Wettehufani Secretarius & Bibliothecæ Præfectus, præter Theologicas & Philosophicas, etiam scientiis Mathematicis egregie imbutus. Hic Concanonicorum suorum, Francisci & Hieronymi per mortem interruptos labores ausu laudabili in se suscepit, & frequentibus ad externos Mecænates Litteris, varia ac nova impetravit Documenta, quibus dein *Germaniam* hanc *Canonico-Augustinianam* ditavit. Vivit adhuc, & elaborando Globo Cælesti infudat, quem loco Constellationum Gentilium sanctorum Canonicorum Imaginibus ad omnes artis & scientiæ Regulas exornare incipit.

Fors aliquibus displicebit, quòd tota ac integra *Germania Canonico-Augustiniana* in Tomo hoc Tertio non exhibeatur. Paucis rem excuso. Id non patiebatur determinata jam à Bibliopola, qui sumptus excudendo Operi suppeditat, Tomorum crassities. Solatio esse poterit, quod Tomus quartus jam sudet sub prælo. Fors alii dolebunt, omissam esse pleniorum Collegiorum suorum Historiam, nullum, aut incompletum adesse Abbatum Catalogum &c. Nulla in me, nulla in Scriptore nostro culpa locum habet. Qui Litteris interpellati necessariam subministrârunt notitiam, cum gratiarum actione in hisce foliis eandem denuo recipient, & satisfactum sibi haud conquerentur. Si qui tamen sint, qui supplere hunc defectum velint, supplementa vel ad me, vel ad Bibliopolam nostrum transmittant, ut vel inferi loco competenti, vel in Operis Additamento enarrari queant. Ast ubi sunt Collegiorum plurium adhuc florentium Cupro incisæ Imagines, quas toties in suis Litteris Mecænatibus variis promiserat primus hujus *Germaniæ* Conditor? Satisfiet etiam cum Editione Tomi quarti iis, qui sumptus suppeditârunt, aut suppeditare adhuc gratis Tabellas voluerint. Accuratos Indices, cuivis Tomo subjunctos Benevolus Lector mecum benevolentiae ac Industriæ Viri humanissimi Domini GMELINI, in Ducali Seminario, quod Blaiburæ est, elegantiorum Litterarum Professoris meritissimi, in acceptis referat oportet, quem laborem à Bibliopola rogatus, libenter in se suscepit, ac egregiè perfecit. Adsit porro pro Collectione hac augenda laborantibus divina gratia; ut omnes litterarum Apices ad majorem

DEI gloriam, ac *Historiæ Monastico-Ecclesiasticæ* incrementum cedant.



CANO-





## AD PIUM LECTOREM.



**P**RIUSQUAM de *Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Abbatibus, quæ veluti majorum sunt gentium monasteria, deque eorundem Prioratibus, quæ minorum quasi gentium cœnobia nuncupare liceat, Speciatim agere incipiam, libet pauca quædam de eorundem nomine, antiquitate, deque instituta per S. Augustinum in Africa, & alios alibi reformatione præfari.*

*Canonicorum Regularium, atque in communi viventium institutum ab ipsis haud dubiè Apostolis sumpsit exordium: cujus quidem primus Reformator S. Augustinus Hipponensis ex Africa Episcopus extitit, scriptâ Regulâ, quam successu temporum plurimæ familiæ seu congregationes sacræ sunt amplexæ. Initium autem fecit Augustinus à Clero suo Hipponensi: ut ex Possidio liquet.*

*Magistri sui exemplum egregiè æmulati sunt discipuli, Fulgentius Ruspensis in Africa Episcopus, Prosper Aquitanus Regii in Flaminia Episcopus, & Gelasius Pontifex Romanus.*

*De ipso Gelasio sic legitur in Officio proprio Canonicorum Lateranensium, à Pio Quinto Papa approbato: Invalescente post obitum beatissimi Patris nostri Augustini, sub Genferico Wandalorum Rege, Arrianæ sectæ perfidia, cum is universam jam Africam suo subjugasset imperio, post cruentam nimis clericorum stragem plurimi divi Patris Augustini discipuli & alumni, per varias propagati Ecclesias (inter quos Gelasius patre Valerio natus) divina revelatione primum Neapolim, & Romam deinde pervenerunt. Qui omnes perbenignè à Leone primo Papa excepti atque in Ecclesia Lateranensi collocati, Canonicum ibi Ordinem, juxta divi Patris nostri Augustini regulam, & saluberrima instituta, instaurare cœperunt. Ubi diutissimè postea floruerunt, & per octingentos annos ibidem perstiterunt, plurimique ex ipsis ad summum Pontificatum, aliosque inferiores Episcopatus, ob præclara eorum merita, sunt assumpti. Licet ejecti postea, denudò restituti, adhuc ejecti, nomen tamen & titulum, & omnia illi Ecclesiæ concessa privilegia, Apostolica concessione retinent. Gelasius itaque cum quam plurimos ibi annos mira sanctitatis ac eruditionis opinione vitam egisset, mortuo Felice Tertio ad summum Pontificatus apicem est electus. Qui Pontifex factus, clerum quàm maxime amavit & auxit, Ordinemque præcipuè ipsum Lateranens. locis & privilegiis ampliavit atque decoravit.*

*Ut Gelasius, sic & Alexander II. Papa, Lucensis antea Episcopus, ordinem Canonicorum regularium fovit ac restituit Romæ, Lucæ, & alibi in Italia: teste Onuphrio in Chronico ad annum 1062.*

In Gallia Jvo, primùm Bellovacensis Ecclesiæ S. Quintini Præpositus, postea Carnotensis Episcopus (alius à S. Fvone, pauperum Advocato) idem præstitit. Quem postea secuti sunt Hugo & Richardus Victorini, Parisienses Theologi.

Floruit deinde Petrus Damiani, Cardinalis & Episcopus Ostiensis: qui titulis omnibus abdicatis, Ravennam rediit ad regulare Canonicorum S. Mariæ in portu monasterium: ubi insignem scripsit Regulam de communi vita Clericorum à Paschali Secundo Papa confirmatam.

Ceterum displicet Ludovico Vivi in notis ad Librum tertium Augustini de civitate Dei cap. 15. aliisque nonnullis, quòd hi Canonici vocentur Regulares, cum id aliud sonare non videatur, quàm bis Regularem. Sed an illis etiam non displicet, quod in Evangelio legitur, Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt; transfer calicem hunc à me: Marc. 14. aut quod Apostolus aliquoties dicit, nos accepisse spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba pater? Rom. 8. Quamquam sciam hæc sacra loca ita tractari posse, ut in verbis Christi sit geminatio, Gal. 4. Apostolus verò significet ab Hebræis clamari Abba; à Græcis, Pater. Pulchrè S. Benedictus. Abbas, qui præesse dignus est monasterio, semper meminisse debet quod dicitur; & nomen Majoris factis implere, Christi enim vices agere in monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænominem, dicente Apostolo, accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater. Sicut igitur inter Abbates, ii qui cæteris Abbatibus præsunt, peculiariter dicuntur Patres Abbates, ita inter Canonicos nonnulli, ad distinctionem Canonicorum secularium, dicuntur Canonici regulares, qui videlicet se arctius cæteris Canonicas regulas observare velle voverunt. Et non est mirum, inter Ecclesiasticos hanc locutionem invaluisse, eò quod in antiquis Conciliis aliud sit regulariter, aliud canonicè vivere. In Concilio enim Moguntino legitur: Si monachi fieri voluerint, regulariter vivant. Sin autem, canonicè vivant omninò. Non quasi Canonici nullam habeant regulam, sed quia monasticam non habeant, quæ, Ecclesiasticà pbrasi, per antonomasiam, solet Regula dici. Scio hæc Ciceroniana non esse, sed Christianos ignorare non oportet, indulgendum nonnihil esse stilo Ecclesiasticæ simplicitatis. Unde pulchrè scribit August. in lib. de catechizandis rudibus. De scholis usitatissimis Grammaticorum Oratorumque venientes sedulò monendi sunt, ut humilitate induti Christiana, discant non contemnere, quos cognoverunt morum vitia, quàm verborum amplius devitare, & cordi casto linguam exercitatum, nec conferre audeant. His maximè utile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, ut præponitur animus corpori. Ex quo fit, ut ita malle debeant veriores, quàm disertiores, audire sermones: sicut malle debent prudentiores, quam formosiores habere amicos. Noverint etiam non esse vocem ad aurem Dei, nisi animi affectum. Ita enim non iridebunt, si aliquos antistites & ministros Ecclesiæ fortè animadverterunt, vel cum barbaris Deum invocant, vel eadem verba, quæ pronunciant, non intelligere, perturbatèque distinguere, piè toleranda sunt ab eis. Hactenus Augustinus. Ideoque magis toleranda sunt quæ in usitatissimam & inveteratam loquendi pbrasim sunt recepta. Nam quod Canonici Regulares dicantur, passim id etiam in Corpore Juris Canonici, & in Litteris Apostolicis, & in Conciliis posteriorum temporum obvium est: ut non sine irreverentia hæc à quibusdam litterionibus reprehendantur. Sic ferè Molanus lib. 1. de Canonicis, cap. 24.

CANONICORUM  
**R E G U L A R I U M**  
 ORD. S. AUGUSTINI  
**O R I G I N E S**  
 AC  
**P R O G R E S S U S .**

C A P U T I.

**Q**UATUOR ferè primariæ, ut vocant, Regulæ monasticæ, seu cœnobiticæ, Divorum scilicet **BASILII**, **AUGUSTINI**, **BENEDICTI** & **FRANCISCI** recensentur. Ex harum præscripto omnes pœnè religiosorum hominum cœtus sic vitam instituunt, ut singuli aliquam præ cæteris maximè amplectantur atque æmulentur.

**S. BASILIUS** Magnus cognomento, nobilis Cappadox, Athenis unà cum Gregorio Nazianzeno sacris ac profanis litteris eruditus, Cæsareæ in Ponto Episcopus, *primus duriores illum veterum monachorum ritum ad meliorem normam, magisque religioni congruentem, redegit.* Qua de re multa cui volet, ipsum Basilium, Gregorium item Nazianzenum, Volaterranum, Antonium, Baronium, Hier. Platum, aliosque consulat.

Porro ordinis **S. Basilii** monachi hodièque plurimi in Græcia, Ægypto, Syria, aliisque Turcici Imperii provinciis vivunt, nigra veste talari honestè induti, & cucullis capita velati.

Atque hæc quidem & alia vetustissima monasticæ vitæ monumenta, Deo disponente, jurati Christianæ religionis hostes tolerant, cum ad Orthodoxos in avita fide continendos, tum ad impios Novatores, qui monasticam cane pejus & angue oderunt, confundendos ac jugulandos. Obiit autem Sanctus Basilius anno Christi trecentesimo septuagesimo octavo.

**S. Augustinus** Episcopus Hipponensis in Africa, obiit anno ætatis suæ septuagesimo sexto, teste Possidio in ejus vita, anno autem Christi 433. ut Prosper in Chronico testatur. vel anno 430. ut tradit Baronius in Annalibus; de ejus vita, deque ordinibus, sub Augustiniana Regula militantibus, nos plura dicemus Capitibus proximè sequentibus.

**S. Benedictus** anno Christi quingentesimo vigesimo sexto, monachorum in Occidente pater, dispersos Monachos in monte Cassino congregavit, & certam vivendi regulam præscripsit, sub qua diversæ hodie Religiosorum hominum familiæ militant. In his sunt imprimis ii, qui nigra utentes veste, Benedictinorum nomen retinent, item Cluniacenses, Camaldulenses Vallis-Umbrenses, Mont'Olivetenses, Grandimontenses, Cistercienses, Sylvestrenses, Humiliati, Cælestini, Eremitæ **D. Hieronymi** per Martinum V. Pont. Max. in familiam Benedictinam adsciti, & alii. De quibus vide Origines nostros Benedictinos.

Sanctus Franciscus, natione Italus, patriâ Assisias, ordinem fratrum Minorum instituit ab Honorio III. Pontif. Max. comprobatum. Utuntur ii tunica una nativi velleris & funiculo præcinguntur, suntque distincti, in Observantes & Conventuales. Ejusdem Sancti Francisci signa sequuntur Capuccini, Amadeani, Recollecti, Clarissæ moniales, & alii Religiosi cœtus reformati; migravit autem ex hac vita Sanctus Franciscus anno Christi 1226. à Gregorio IX, in Divos relatus anno millesimo ducentesimo vigesimo octavo.

## CAPUT II.

*Vitæ Sancti Augustini series.*

ANNO à partu Virginis 354. Idibus Novembris Sanctus AUGUSTINUS natus est Tagastæ in Africa, haud longè à Carthagine, ex patre catechumeno, nomine *Patricio*, Carthagenensi, & matre recente Christiana, nomine *Monica*. Fratrem *Navigium*, *La- stidium* verò & *Rusticum* consobrinos habuit, socios *Alipium* & *Evodium* Tagastenses, ac *Nebrium* Carthagenensem. Adhuc puer Tagastæ, Madauris & Carthagine liberalibus disciplinis operam navavit. Et à matre Christi doctrina institutus fuit: ejus tamen baptismus tum ab ipso, tum à matre est dilatus: quod factum ipse non probat lib. Conf. 1. cap. 2. Præceptorem habuit *Manilium Theodorum*, virum præstantissimum & Christianum. Ætatis anno 16. Discipulus esse desit. Anno decimooctavo filium *Adeodatum* Carthagine genuit. Et sequenti anno, jam defuncto patre ante biennium, cum Ciceronis librum, titulo Hortensium, de Philosophiæ laudibus & defensione perlegisset; paulò post in Manichæorum sectam lapsus est; in qua annis novem vixit. Vigesimo primo ætatis anno Aristotelis Categorias legit, atque omnes Artium liberalium libros evolvit. Mathematicam, Musicam, Arithmeticam sine difficultate, nullo præceptore, intellexit: ac Rhetoricam, quàm in patria professus fuerat, Carthagine anno suæ ætatis 24. publico stipendio docere cœpit. Quo tempore libris Genethliacorum penitus se dedit. Discipulos inter alios habuit præcipuos *Trigetium* & *Licentium*, suos cives. Cum vigesimum nonum ætatis annum ageret, Fausti Manichæi (quem doctissimum existimaverat) detectis erroribus, Carthagine adhuc degens, à Manichæorum sectâ revocare se ipse paulatim cœpit. Quo etiam anno Romam ex Africa, inscia matre, venit, ut in Urbe Artem Rhetoricam profiteretur. Ineunte autem anno trigesimo Mediolanum, publico stipendio accitus, profectus est, ut ibidem Rhetoricam doceret: ubi à matre postea inventus, atque ejusdem precibus, & frequenti *Ambrosii* Mediolanensis Episcopi auditione commotus, Manichæos, qui eum annis novem ludificaverant, omnino deseruit. Postmodum autem III. Nonas Maji, suæ ætatis anno tricesimo primo, cum in *S. Simpliciani* rus concessisset, ad Deum conversus, perfectus demùm Christianus effectus est: & scholæ Rhetorices renunciâns, in Villam Cassisiam, quàm sibi amicus nomine *Verecundus* concesserat, simul cum matre & sociis *Alipio* atque *Evodio* Tagastensibus ac *Nebrio* Carthagenensi secedens, ibique se ad suscipiendum baptismum præparans, scripsit libros *contra Academicos*, *de Beata vita*, & *Ordine*, & *Soliloquia*.

Anno salutis 386. ætatis verò suæ tricesimo tertio, Honorio Cæsare & Euodio Coss. AUGUSTINUS cum *Adeodato* filio, annorum fermè quindecim, & *Alipio* socio, à *S. Ambrosio* Episcopo in solennibus Paschæ, sola superite matre, eaque præsentate, baptizatus est. Quo factò *Monica* mater incredibili adfessa gaudio, hujusmodi verbis eum dicitur allocuta: *Quid fili, hic amplius faciam? curque hic diutius sum nescio? Unum erat, quo vitam mihi prorogari cupiebam, ut te scilicet Christianum viderem: quod mihi cumulatius Deus meus præstitit; non enim modò te Christianum & Catholicum, sed & contempta felicitate terrena, servum ejus aspicio.* Et *Possidius* ait, quòd ex intimis cordis medullis ad Deum conversus, mox spem omnem, quàm habebat in sæculo, dereliquit: jam non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honores sæculi quærens, sed soli Deo cum suis fervire statuit, in illo & ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens: *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam: Facite vobis sacculos non veterascentes, thesauros non deficientes in cælis.* Et illud, quod idem dicit Dominus vir sanctus facere cupiens: *Si vis esse perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me.* Et, *Super fidei fundamentum ædificare desiderans, non ligna, fenum, stipulam; sed aurum, argentum, & lapides pretiosos.*

Sanctus *Dacius* Mediolanensis Episcopus, cujus meminit *S. Gregorius* lib. 3. *Dialog.* cap. 4. loquens in suis *Chronicis*, de hac *Divi Augustini* admirabili conversione, ait: *Eodem tempore contigit, ut quidam magnus sapiens Manichæorum esset errore seductus, nomine Augustinus, argumentis dialecticis armatus, & postea Dei fidelis & Catholicus vivens Episcopus cum in Ecclesia Mediolanensi non orationis curiositate, neque secundam causam utilem videndi & audiendi divini mysterii, sed reprehendendi gratia Beatum Ambrosium de Incarnatione Domini ad populum invenisset, tractantem, atque prædicantem, oblitus sui & suarum omnium cogitationum, pallens & tremens, omnibus qui aderant videntibus obriguit, ac etiam finita monitione, quam ad populum Beatus Ambrosius ministrabat, primus ad eum Augustinus pervenit. Beatus autem Ambrosius cognita ejus sententia, patefactaque ejus disciplina, quid in arte valeret, qualiter quoque in fide Catholica dissen-*

dissentiret, & per Spiritum sanctum cognoscens, qualiter fidelis & Catholicus futurus esset, placidissime & multum charitative eum suscepit. Itaque letabatur Beatus Ambrosius super eum: sicut in Evangelio de quodam patre legitur, qui cadens super collum filii sui, quem perdidit, & imponens annulum in digito ejus, plorabat dum osculabatur eum. Tandem verò post multos dies metu divino, sicut multis videntibus, & sibi consentientibus palam oberraverat; sic in Fontibus qui B. Joanni ascribuntur, Deo opitulante, à B. Ambrosio, cunctis fidelibus urbis adstantibus, & videntibus, in nomine sanctæ & individue Trinitatis baptizatus & confirmatus est. In quibus Fontibus, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, Te Deum laudamus, decantantes, cunctis qui aderant audientibus, & videntibus, simulque morantibus ediderunt, quod ab universa Ecclesia Catholica usque hodie tenetur, & religiosè decantatur. Hæc S. Dacius.

Cùm Mediolano decessisset cum matre, filio, & focis, ut in Africam ad lares proprios reverteretur; atque ad Ostia Tiberina venisset, ibidem pia mater ejus defuncta est. Et peractis, ex more, maternis exequiis, Augustinus Carthaginem adnavigavit; ubi per aliquot dies permansit apud quendam nomine Innocentium, virum religiosissimum, ut testatur lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8. Ad propriam hinc domum agrosque veniens, cùm iis (ut Possidius ait) qui eidem adhærebant, Deo vivebat jeuniis, orationibus, bonisque operibus in lege Domini meditans die ac nocte.

AUGUSTINUS deinde eam sibi vitam delegit, quæ Monachica vocabatur: quod institutum jam (ut facillè credi potest) à S. Simpliciano monacho, qui eum de Christiana religione plurimum erudiit, Mediolani hauserat. Propterea lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8. ait: *Venientes de transmarinis apud Carthaginem, Innocentius ex Advocatis vicariæ præfecturæ, cum tota domo sua religiosissimus, me & fratrem meum Alipium, nondum quidem clericos, sed jam Deo servientes susceperat.* Et lib. 3. cap. 40. contra litteras Petiliani Donatistæ, legitur: *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum.* Et in Enarratione in Psalmum 132. *Quid ergò dicunt illi, qui nobis de nomine Monachorum insultant? Hi etiam insultare nobis audent, quia fratres, cum vident homines, Deo gratias, dicunt: Invenistis unde appellatis Agnostici, quia dicit Apostolus: Bonum agonem certavi. Quare ergò & nos non appellamus Monachos, cùm dicit Psalmista: Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Et in Epist. 89. ad Hilarium, sub finem: *Ego, inquit, qui hæc scribo; perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni sequere me: vehementer adamavi, & non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante sic feci. Neque enim quia dives non fui, id minus mihi imputabitur; nam neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt: sed totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem novi ego, quàm quisquam alius homo; sed magis Deus quàm ego.* Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est; sic tamen, ut præcipuè sana doctrina teneatur, nec eos qui ista non faciunt, vana contumacia judicemus. Et in Serm. de vita & morib. Clericorum, quem etiam in suo Indiculo Possidius inter D. Augustini opera commemorat, eundemque in Concil. Aquisgranensi, & apud Bedam citatum comperimus: *Ego, inquit Augustinus, quem Deus propitio videtis Episcopum vestrum, juvenis veni ad istam civitatem. Querebam ubi constituerem monasterium, & viverem cum fratribus meis: spem quoque omnem sæculi reliqueram. Et paulò infra: Veni ad istam civitatem ad videndam amicam, quem, putaveram me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in monasterio. Et infra: Et quia disponebam esse in monasterio beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium. Cæpi boni propositi fratres colligere, compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes me, ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogavi, sic facerent & illi qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus.* Et S. Paulinus in epist. ad Alipium rogat, ut salutet fratres in monasteriis, Carthagine, Tagastæ, Hippone regio, & totis parochiis suis, atque omnibus cognitis sibi per Africam locis, Domino catholicè servientes. His interpositis ad vitam feriem redeamus.

Anno Christi 391. ineunte anno ætatis 38. Augustinus à Valerio Episcopo Hipponensi accersitus, in Ecclesia Hipponensi presbyter ordinatur, mortuo jam Adeodato filio. Sequenti anno V. Idus Septem. in urbe Hippone insignem habuit duobus diebus cum Fortunato, Manichæorum presbytero, disputationem. Duæ aliæ post fuere ejusdem in eadem urbe disputationes, una tribus diebus cum Felice Manichæo, altera acrior & celebrior cum Maximino Episcopo Ariano.

Anno Christi trecentesimo nonagesimo sexto, ætatis suæ XLI. Augustin. in Hippone regio, civitate Numidiæ, in Africa Episcopale munus suscepit, vivente Episcopo Valerio, quod summa sanctitatis & doctrinæ laude annis triginta quatuor gessit. Cujus rei meminit S. Paulin. ad Romanianum, ubi ait: *Non autem tantum hoc scribimus gratulandum, quòd Episcopatum Augustinus acceperit, sed quòd hanc Dei curam meruerint Africanæ Ecclesie,*

*sua, ut verba caelestia Augustini ore perciperent, qui ad majorem Domini muneris gratiam novo more proventus, ita consecratus est, ut non succederet in cathedram sed accederet. Nam incoluni Valerio Hipponensis Ecclesiae Episcopo, Coepiscopus Augustinus est.*

Hoc tempore fuit illi cum Pascentio Comite Ariano in urbe Carthaginensi disputatio: & antea privatim & obiter cum Fortunato quodam Episcopo congressus fuerat: ut patet ex ep. 163.

Anno Christi 426. die 26. Septembris Augustinus unà cum duobus aliis Episcopis, in Ecclesia confedens, praesentibus presbyteris septem, astante clero & frequenti populo, designat presbyterum Heraclium Episcopum sibi successorem: ut patet ex Epist. 110.

Anno Christi 430. die 28. Augusti Sanctus Augustinus Hippone obiit, libris Juliani Apostatae, (referente Prospero Aquitanico) tertio Wandalis urbem obsidentibus, sub ipsum suae vitae finem respondens: quo etiam tempore, ut S. Libertus ait, Theodosius Imp. ad eum litteras per Ebagnium Magistrum scripserat, ut Ephesino Concilio interesse dignaretur.

Corpus ibidem in basilica S. Stephani conditum annis 62. honorifice jacuit, inde in Sardiniam, ac demum Ticinum seu Papiam Italiae urbem translatum. Vixit ann. 76. menses 9. dies 16. Ita Josephus Pamphilus in Chronicis ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini.

### C A P U T III.

#### *Ordinum Monasticorum à Sancto Augustino profectorum primordia.*

CUM Græcia totusque Oriens religiosis hominibus multiplicandis operam daret, nec alias quidem orbis partes ista laude caruisse certum est. Nam & Mediolani, scribit Augustinus, vidisse se Monasterium, *Ambrosio* (ut ait) *nutritore*, & ipse Augustinus in Africa, ut Possidonius narrat, Virorum & Fæminarum monasteria fundavit. Quod quidem cum alii multi, tum inprimis Antoninus hoc ipsum putat esse institutum, cui nunc *Eremitarum* nomen est. Sic enim commemorat, Augustinum, antequam esset Episcopus, propè Hipponensem urbem monasterium in nemore condidisse, quod institutum eo vivo, & deinde mortuo, magnoperè auctum, ac per alias deinceps civitates fit propagatum, aliquot annis postea barbarorum irruptione turbatum, aliosque in Italiam Monachos venisse, alios aliò: donec Innocentius IV. qui anno MCCXLIII. summum gessit Pontificatum (cum multi essent hic, illic, sparsi Eremitæ) in unum omnes corpus contraxit, ac loco habitumque conjunctos ad S. Augustini regulam, aggregavit, insuper etiam in urbibus habitare iussit, ut proximis quoque prodesse. Quod hujus consilium multò etiam diligentius tradunt exsequutum esse Alexandrum IV. ejus successoris, caelesti quadam visione impulsus, cum ei B. Augustinus grandi capite, membris adaucta, & deinde magis etiam multiplicata viguit, ut videmus, in Ecclesia, nomenque Eremitarum, quod ab initio ex solitudine habuit, nunc etiam in mediis urbibus servat. Sed hæc multo posteriora.

Itaque redeamus ad Augustini tempora, quibus iisdem temporibus Romam etiam allatum esse, vel certè multò magis propagatum vitæ monasticæ institutum indicat Hieronymus, qui in Marcellæ laudem hoc quoque scribit, cum antea ignotum esset Romæ monachorum propositum, nec auderet quisquam propter rei novitatem, ignominiosum, ut tum putabatur, & vile in populis nomen assumere, Marcellam quæ à sacerdotibus Alexandrinis, Arianorum metu in exilium expulsis, Antonii adhuc superstitis & Monasteriorum in Thebaide fundatoris institutum didicisset, non erubuisse profiteri quod Christo placebre cognoverat. Quare cum in suburbano agro monasterium instituisset, ejus imitatione crebra Virginitatis cænobia, & Monachorum innumerabilis multitudo exorta est: ut præeorum frequentia, quod prius fuerat ignominia, esset postea gloria.

Cæterum Eremitæ Augustiniani, sic & Canonici Regulares Augustinum ordinis sui caput & auctorem fuisse adserunt: confirmantes se in Hipponensi urbe, ubi Episcopum agebat, anno Christi trecentesimo nonagesimo quarto, ab Augustino magistro institutos, à quo etiam in vestem acceperint tunicam candidam, cum toga lintea.

Secutis deinde temporibus, quamplurimæ tum Canonicorum sæcularium, tum Monachorum piorumque militum familia, Augustinianam regulam sunt amplexæ. De quibus sequenti capite ex professo agemus.

CAPUT

## CAPUT IV.

*Ordines Religiosi sub regula Sancti Augustini militantes.*

**O**RDO Canonorum Regularium, quorum originem referunt ad tempora Apostolorum, Volaterranus, Polydorus Vergilius, & alii Scriptores. Institutum istud postea S. Augustinus, legibus ac disciplina temperavit.

Canonorum porrò Regularium variæ sunt Congregationes, variis temporibus variis in locis institutæ.

Congregatio Lateranensis Canonorum Regularium, quæ postea Frisonaria, ac demùm S. Salvatoris est dicta.

Congregatio Canonorum Regularium S. Salvatoris Bononiensis, vulgò Scopetiorum appellata, anno 1408. per Stephanum Senensem instituta.

Congregatio seu ordo Canonorum Regularium S. Rufi in Gallia, per B. Rufum Archiepiscopum Lugdunensem circa an. 1107. instituta.

Congregatio Canonorum Regularium S. Marci de Mantua, anno 1131. instituta.

Congregatio Canonorum Regularium S. Spiritus apud Venetos, anno 1415.

Congregatio Canonorum Regularium de Arroasia in Belgio, circa annum 1000. inchoata.

Congregatio, seu Capitulum Windefimense, Canonorum Regularium in Germania inferiore & superiore, anno 1387.

Congregatio Canonorum Regularium S. Victoris.

Præter istas reformatas Canonorum Regularium Congregationes, quæ ab Ordinarij jurisdictione exemptæ suos peculiare habere solent Præfectos, sunt insuper infinitæ propemodum Abbatia, Præposituræ, Prioratus, aliæque monasteria Canonorum Regularium, quæ Ordinariis sive Diocesanis Episcopis subsunt.

Ordo Præmonstratensis Canonorum Regularium, auctore S. Norberto Archiepiscopo Magdeburgensi, anno 1120.

Ordo Vallis Scholarium, auctore Guilielmo natione Anglo, in Campania regni Gallia provincia, circa an. 1218. institutus.

Ordo S. Mariæ de Mercede & Redemptione captivorum anno 1218. per Jacobum I. Regem Aragoniæ & S. Raimundum Pennafortium monachum Dominicanum institutus. Hic ordo partim Monachos, partim Equites complectitur.

Ordo S. Trinitatis, de Redemptione captivorum, per Joannem de Matha natione Gallum, anno 1197. institutus.

Ordo Hospitaliorum S. Antonii in Gallia, circa ann. 1121. per Gastonem Viennensem, natione Gallum inchoatus.

Ordo Jesuatorum sive Clericorum Apostolorum à S. Joanne Columbino institutus, obiit is an. millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto.

Ordo Prædicatorum auctore Sancto Dominico.

Congregatio Armeniorum sive S. Bartholomæi Genuensis, in Liguria.

Ordo Eremitarum Conventualium S. Augustini, per universum orbem Christianum diffusus, circa an. 390. primum in Italia & postea in Africa à S. Augustino institutus, ut volunt.

Cæterum ut variæ Canonorum Regularium, sic & Eremitarum Augustinianorum, variæ sunt Congregationes reformatæ: quas inter hodie primaria est Lombardica; hanc sequitur Corbonaria, & post Licetana.

Congregatio Eremitarum S. Augustini de Liceto, apud Senas Italiae urbem, anno 1050. instituta.

Congregatio Eremitarum Corbonaria nuncupata, in regno Neapolitano, anno 1399. per Simonem Cremonensem instituta.

Congregatio Eremitarum Perulina, aliàs Sanctæ Mariæ de Populo in Umbria, anno millesimo quadringentesimo vigesimoquarto.

Congregatio Lombardica anno 1444. per Joannem Rocquium Papiensem, Gregorium Cremonensem in urbe Cremensi instituta. Quæ congregatio inter omnes Reformatas, sive Observantes apud Italos est celeberrima.

Congregatio Eremitarum S. Mariæ de Monte Ortono, apud Patavium, an. 1460. per Simonem Camerinensem inchoata.

Congregatio Baptistarum per quemdam nomine Baptistam, natione Genuensem an. 1484. instituta, quæ & Genuensium dicitur.

Congregatio Apuliae alias de Dulceto an. 1492. per Felicem natione Apulum, in Apulia instituta.

Congregatio Germaniæ seu Saxoniam anno millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, per Andream Prolem instituta: quæ postea est extincta, cum ex ea Martinus Lutherus impiissimus apostata prodisset.

Congregatio Zampanensis anno 1502. in Calabria per Zampanam Calabrum inchoata.

Congregatio S. Augustini de Dalmatia, eodem anno in Sclavonia inchoata.

Congregatio Eremitarum Sancti Pauli primi Eremitæ, anno 1555. inchoata. Cujus Congregationis multa sunt monasteria in Hispania & nonnulla in Italia, circa urbem Romam.

Est & Congregatio Bituricensis Eremitarum in Gallia, qui Biturigis, Pictavii, Latiniaci & alibi, suos habent conventus.

Ordo Cruciferorum seu Crucigerorum in Italia celebris; cujus originem referunt ad tempora S. Cleti Papæ, qui D. Petro successit, aut S. Helenæ Imperatricis.

Congregatio Huiensis Crucigerorum in Germania, Belgio, Gallia, aliisque provinciis Transalpinis celebris circa an. 1216. inchoata. Cujus Præfectus generalis residet Huy ad Mosam flu. in diœcesi Leodiensi.

Congregatio Crucigerorum in Hispania.

Ordo S. Brigittæ, qui est monialium & monachorum, per S. Brigittam institutus, & an. 1370. per Urbanum V. confirmatus.

Ordo seu Congregatio S. Pauli primi Eremitæ, per Eusebium virum pium, circa ann. 1215. inchoata.

Ordo Servitarum, seu Servorum Beatæ Mariæ circa an. 1233. vel 1252. inchoatus, quem mirificè amplificavit S. Philippus Benitius nobilis Florentinus.

Ordo Fratrum Vitæ communis, sive fratrum Hieronymianorum à Gerardo Magno Daventriensi an. 1376. inchoatus. Habuerunt ii, celeberrimas olim Scholas per Germaniam superiorem ac inferiorem, ut hodie Patres Societatis Jesu.

Ordo Alexianorum sive Cellitarum in Belgio celebris, qui contagione laborantibus adsunt & sepeliendis mortuis piam operam impendunt.

Ordo seu Congregatio Nigrarum Sororum in Belgio, quæ agris & peste infectis piè inserviunt.

Ordo Charitatis nostræ Dominæ, circa an. 1300. in Gallia inchoatus.

Ordo Hieronymianorum Eremitarum S. Hieronymi, an. 1300. à Petro Gambacurta institutus, in Italia.

Congregatio Hieronymianorum in Hispania celebris.

Ordo fratrum Mendicantium S. Hieronymi Fesulensis, an. 1405. per Redonem Comitem Gravellæ in Italia institutus.

Ordo sive Congregatio Apostolicorum, sive Barnabitarum, à S. Barnaba Apostolo dicitur institutus, cujus Congregationis Sodalibus anno millesimo quadringentesimo octogesimo quarto Innocentius VIII. regulam S. Augustini præscripsit.

Congregatio S. Ambrosii ad Nemus anno 1431. ab Eugenio IV. confirmata.

Congregatio Bonorum hominum in Anglia anno 1257. per Richardum, Henrici III. Regis Angliæ fratrem, inchoata.

Ordo Saccitarum, sive Fratrum de Pœnitentia JESU Christi, desit.

Congregatio S. Georgii de Alga apud Venetios, Canonicorum Sæcularium per Antonium Corrarium patritium Venetum inchoata, & per S. Laurentium Justinianum primum Patriarcham Venetum, mirificè illustrata.

Ordo Guilielmitarum, auctore S. Guilielmo Duce Aquitaniam. Alii tamen dicunt hos Guilielmitas militare sub Regula S. Benedicti.

Ordo Ministrantium infirmis, per B. Joannem Lusitanum circa annum 1540. inchoatus Granatæ, & sub regula S. Augustini anno 1571. Kalend. Januar. per Pontificem Maximum confirmatus. Ab Italis vulgò dicuntur *Fate beu Fratelli*. horum constitutiones extant typis editæ, unâ cum vita B. Joannis conscripta per Franciscum de Castro, presbyterum & Rectorem Hospitalis Granatensis.

Ordo Clericorum Regularium minorum, Romæ nostro sæculo institutus, nisi fallor sub Regula S. Augustini. Horum domus seu Conventus primarius est Romæ ad S. Laurentium in Lucina: habent & alium Conventum ad S. Agnetem in Agone.

Ordo Clericorum, seu Presbyterorum B. Mariæ Magdalensæ, aliàs de Pœnitentia initio Pontificatus Clemens VIII. Romæ institutus, sub regula Sancti Augustini, nisi fallor.

Ordo Equitum Hospitalanorum S. Joannis Hierosolymitani, cujus olim sedes primaria fuit Rhodus, hodie Melita Insula, vulgò *Malta*: unde nunc Melitenfes vocantur.

Ordo Equitum Marianorum sive Teutonicorum in Germania ac Prussia.

Ordo Equitum S. Mauritii & S. Lazari in Sabaudia.

Ordo Equitum S. Mariæ de Monte Carmelo & S. Lazari, in Gallia.

Ordo



Ordo Equitum Sancti Jacobi, in Hispania.

Ordo Equitum JESU Christi contra Albigenfes, à S. Dominico institutus.

De his ordinibus Equeſtribus, conſule origines noſtras Equeſtres.

## CAPUT V.

*Jacobi Vitriaci Cardinalis & Episcopi Aconensis testimonium de  
Canonicis Regularibus sui temporis.*

**I**LLI, qui Canonici Regulares dicuntur B. Augustini regulam pro fundamento religionis habentes, media & regia via incedentes, secundum primas regularium institutionum Observantias, camisiis & femoralibus, superpellitiis & pellibus, culcitis & linteaminibus utuntur. Camisias & femoralia de nocte non deponunt. Post matutinas ad cubicula revertentes, causa recreationis, dormiunt. Novem lectionum numerum in nocturno officio non excedunt; tribus diebus in hebdomada carnes edunt; pisces, ova, & caseum, in refectorio diebus aliis manducant. Ipsi autem prandentibus, unus eorum divinarum Scripturarum recitat lectiones. Sub unius Abbatis vel Prioris obedientia continenter vivunt, proprium autem eis habere non licet: animarum curas licitum est eis suscipere, & Ecclesias parochiales regere. Alias præterea habent canonicas institutiones, & regularia decreta, quæ si diligenter, & cum timore divino observare & adimplere studuerint; manna absconditum & thesauros indeficientes, & præmium sempiternum in splendoribus Sanctorum, gloria & honore coronati, possidebunt. Væ igitur illis, qui murmurantes, queruli, loquaces & garruli, mendaces & detractores inter fratres discordiam seminantes, ignavi, otiosi, & desides secundum desideria sua ambulantes, inflati & inanes, invidi, contentiosi & impatientes, avari & ambitiosi, incompositi & imprudentes, gulæ & rebus fræna laxantes, majoribus suis inobedientes, & primum votum irritum facientes, tam sanctum ordinem quasi contemptibilem reddiderunt, multos scandalizantes, & tanto laicis turpiores, quanto in operibus sanctitatis, prout altitudo gradus, & ordo professionis exigit, debuerunt esse priores. De quibus scriptum est: *Meretrices & publicani præcedent vos in regno cælorum.* Ipsi enim tanquam sepulcra foris dealbata, intus autem pleni immunditiis & ossibus mortuorum, & putredine cadaverum, aded fatentes in naribus bonorum virorum secum cohabitantium effecti sunt, quod multi cum jam sustinere non possent, ab eis discesserunt, ad aliam religionem, mutato habitu, fugientes. Quidam autem in eodem habitu, & sub eadem regula permanentes, prædictis velut foliis defluentibus, fortiter perstiterunt ad Observantiam regulæ sanctæ, & reformationem Regularium institutionum, tam in se quam in aliis tota virtute laborantes, & totis desideriis anhelantes. Conventus siquidem Canonicorum Regularium (\*) *S. Joannis in Vineis Sueſſionensis, & S. Auberti Cameracensis, & Sanctæ Mariæ Bleſensis, & S. Nicolai de Oegnies,* cum quibusdam aliis quasi pauci racemi consumpta vindemia, in virtute religionis & fervore charitatis, & decore honestatis permanserunt. Ascendentes de virtute in virtutem, & odore bonæ vitæ & sanctæ conversationis multos allicientes de mundi naufragio ad congregationem suam, tanquam ad securum tranquillitatis portum, traxerunt. (\*\*)

## CAPUT VI.

*Sententia lata à Pio IV. Pontifice Maximo, in causa Præcedentiæ,  
ad relationem trium S. R. E. Cardinalium, in favorem Canonicorum Regularium,  
Ordinis S. Augustini, Congregationis Lateranensis, contra Monachos Ord. S. Benedicti,  
Congregationis Cassinensis.*

**C**Hристи nomine invocato, pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam ferimus in his scriptis, in causa & causis, quam coram nobis, & quas dilectis filiis nostris Joanni Michaeli Saraceno tit. Sanctæ Anastasiæ, Joan. Baptistæ Cicadæ tit. Sancti Clementis, ac Bernardino Scotto, tit. Sancti Matthæi S. R. E. Cardinalibus primo audiendas, cognoscendas, & per eos decidendas & terminandas, & deinde per præfatos Cardinales nobis referendas commisimus, inter dilectos filios Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini, Congregationis Lateranensis, & universam eorum congregationem, ex una, & Prælatos, Abbates, & Monachos Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis.

(\*) De his monasteriis, vide infra cap. 37. & 40.

(\*\*) Ita Jacob. Vitriacus, qui in Belgio diu vixit, & anno 1244. obiit.

finensis, aliàs Sanctæ Justinæ de Padua nuncupatos, & dictam eorum congregationem, de & super Præcedentia, & jure inter eos præcedendi tam in processibus, quam in Generalibus & Synodalibus, seu Provincialibus conciliis, omnibusque actibus publicis, & privatis, rebusque aliis in actis causæ & causarum hujusmodi latius deductis, & illorum occasione in prima seu alia versæ fuerunt, & vertebantur instantiis, partibus ex altera: Causa hujusmodi coram dictis Cardinalibus ad plenum ventilata, ac sæpius auditis partibus, & dubiis in ea plenè discussis, ac resolutis, ac visis de jure videndis, & demùm per dictos Cardinales nobis matura desuper facta relatione, pronunciamus, decernimus & declaramus Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares congregationis Lateranensis, uti clericos dimissa superiori veste, pallio, seu cappa in linea veste, clericali que habitu incedentes (quod etiam in alma nostra Urbe Roma consuetum fuit, & nunc observatur) in processibus, & omnibus aliis actibus publicis & privatis, tam in dicta alma Urbe nostra, nostròque & Successorum nostrorum conspectu, quam aliàs universis, ac quibuscumque aliis civitatibus, terris, oppidis, & locis, dictos Abbates, Prælatos & Monachos Ordinis Sancti Benedicti Cassinensis præcedere debuissè, & debere, eosdemque Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares, dictamque eorum congregationem, ut supra incedentes dictis Abbatibus, Prælatibus & Monachis Sancti Benedicti, & eorum congregationi in omnibus & singulis præmissis, præferendos, antependendos, & in digniori loco collocandos fore & esse. Abbates verò dictarum Congregationum Lateranensis, & Sancti Benedicti singulariter, & per se, absque eorum Conventibus, in conciliis Generalibus, Provincialibus & Synodalibus, & aliis actibus publicis & privatis, in quibus Abbates de jure, vel de consuetudine locum & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter sese juxta singulorum ipsorum Abbatum ibidem intervenientium priorem & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, atque illa promotione duntaxat, non autem congregatione & ordine, cujus fuerint, attentis, præcedere ac præferri, & in digniori loco collocari debuissè & debere, prout præferimus anteponimus, collocamus, præferri que anteponi, & collocari respectivè mandamus: Jactationes quoque molestiones, oppositiones, perturbationes, vexationes & impedimenta quæcunque per præfatos Abbates, Prælatos & Monachos dicti Ordinis S. Benedicti, & dictam eorum congregationem eisdem Abbatibus, Prælatibus, Canonicis Regularibus dicti ordinis, & eorum congregationi de & super præfatis omnibus & singulis, & illorum occasione quomodolibet factas, præstitas, & illatas, factaque præstita, & illata fuisse & esse temerarias illicitas, indebitas, & injustas, temerariæque, illicita, indebita & injusta, ac de facto præsumptas & præsumpta, illasque & illa præfatis Abbatibus, Prælatibus & Monachis fecissè & facere minimè licuissè, nec licere de jure, & propterea de & super illis, ac dicto jure præcedendi ut supra, omnibusque aliis & singulis præmissis perpetuum silentium imponendum fore & esse decernimus, atque imponimus.

Ita refero, & censeo judicandum esse, Joannes Michael Cardinalis Sarracenus.

Ita refero, & censeo judicandum esse, Joannes Baptista Cardinalis S. Clementis.

Ita refero, & censeo judicandum esse, Bernardinus Cardinalis Tranensis.

## C A P U T VII.

*Breve ejusdem Pii Papæ IV. in quo suppleantur omnes & singuli Processus & Sententiæ prædictæ, defectus etiam substantiales, si qui forsan intervenierint, ac mandatur, ab omnibus inviolabiliter observari debere prædictam sententiam sub pœnis & censuris.*

Pius Papa Quartus.

**A**D futuram rei memoriam. Sedis Apostolicæ providentia circumspecta (ne rursus ea, quæ in controversiis inter personas ecclesiasticas, præsertim Altissimo sub regulari professione famulantes versantur, in molestos contentionis anfractus relabantur) majorem solet, dum id res ipsa requirit, adhibere cautionem. Sanè nuper postquam, sicut nobis innotuerat, ab antiquis usque temporibus, etiam supra centum annos retroactos, lis & causa seu controversia inter dilectos filios Rectorem generalem & Canonicos Regulares sancti Augustini Congregationis Lateranensis ex una, ac Monachos S. Benedicti, Ordinis Cassinensis, aliàs Sanctæ Justinæ de Padua, ex altera, super illorum præcedentia suborta, & coram diversis iudicibus etiam in nostro Palatii Apostolici auditorio ventilata ac demùm non sine animi nostri molestia in Oecumenico Concilio Tridentino, inter earundem congregationum Abbates renovata fuerat: Nos considerantes, lites & controversias hujusmodi in Ecclesia præsertim inter religiosas & reformatas personas, que relictis

relictis mundi vanitatibus, votum suum in humilitatis spiritu Domino & Deo nostro (qui se pro nobis usque adeo humiliavit, ut formam servi acciperet) persolvere profitentur, non modicum illi præclaræ Deoque; præcipuè dilectæ virtuti, quæ est humilitas, labem infundere, populóque scandalum generale, ac propterea illas omni ratione submovendas, publicæque religionis tranquillitati, ac ministrorum Dei reconciliationi, & mutuæ dilectioni quam primum consulendum esse rati; Motu proprio dictas causas & controversias ubilibet & coram quibusvis iudicibus, motas, & in quibusvis instantiis indecisas pendentes, ab eisdem iudicibus, ad nos avocavimus, illasque dilectis filiis nostris Joanni Michaeli sanctæ Anastasiæ Sarraceno, Joanni Baptistæ sancti Clementis Cicadæ, ac Bernardino Scotto, nuncupatis, S. R. E. presbyteris Cardinalibus audiendas, cognoscendas, & decidendas per quandam motus propii schedulam, & deinde illas per aliud nostrum rescriptum eisdem Cardinalibus per eos audiendas tantum, nobisque referendas commisimus. Qui quidem Cardinales dictis partibus earumve Procuratoribus & Advocatis pluries auditis, dubiisque emergentibus ad plenum discussis & resolutis, conperto satis per eos ex conpluribus litteris Apostolicis diversisque aliis documentis, rationibus & probationibus, (\*) qui ipsi Canonici fuerunt & sunt de illis clericis à S. Augustino, quinimò à sanctis Apostolis institutis, eosdem Canonicos tam suæ antiquæ institutionis, quàm etiam dignitatis clericalis (quâ eos statim cum professionem regularem emittunt, insignitos esse oportet) aliarumque qualitatium in eis existentium rationem, dictamque illorum Congregationem Lateranensem præfatos Monachos & eorum congregationem Cassinensem præcedere debere censuerunt & concluderunt, suamque conclusionem homini ad audientiam nostram retulerunt. Unde nos illorum relatione intellecta, eaque per nos diligenter examinata, quoniam eam in omnibus suis partibus veritati & juri consonam comperimus per nostram definitivam sententiam judicavimus, decrevimus & declaravimus Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares congregationis Lateranens. uti Clericos dimissa superiori veste, pallio seu cappa, in linea veste clericali habitu incedentes quod etiam in alma urbe consuetum fuerat, & tunc observabatur) in Processionibus, & omnibus aliis actibus publicis & privatis, tam in dicta urbe, nostróque & aliorum Romanorum Pontificum Successorum nostrorum conspectu, quam aliàs in universis & quibuscumque aliis civitatibus, terris, oppidis, & locis, Abbates, Prælatos & Monachos Ordinis S. Benedicti congregationis Cassinensis prædictos præcedere debuisse & debere, ac eosdem Abbates, Prælatos & Canonicos Regulares, dictamque eorum Congregationem, ut præfertur incedentes, dictis Abbatibus, Prælatibus & Monachis sancti Benedicti & eorum congregationi in omnibus & singulis præmissis, præferendos, anteposendos, & in digniori loco collocandos fore & esse, Abbates verò dictarum congregationum singulariter & per se absque eorum Conventibus in Conciliis generalibus, Provincialibus, Synodalibus, ac aliis actibus publicis & privatis, in quibus Abbates de jure vel consuetudine locum & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter sese juxta singulorum ipsorum Abbatum ibidem intervenientium priorem & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illorum promotione duntaxat, non autem congregatione, & ordine, cujus sint, attentis, præcedere & præferri, & in digniori loco collocari debuisse & debere, prout & tunc prætulimus anteposuimus, & collocavimus, præferrique anteponi, & collocari mandavimus, jactationes quoque molestationes, oppressiones, perturbationes, vexationes & impedimenta quæcumque per Abbates, Prælatos, & Monachos prædictos & eorum congregationem Cassinensem eisdem Abbatibus, Prælatibus & Canonicis Regularibus congregationis Lateranensis super præfatis omnibus & singulis & illorum occasione quomodolibet factas, præstitas, & illatas, facta, præstita, & illata fuisse & esse temerarias, illicitas, indebitas, & injustas, temerariæque, illicita, indebita & injusta, ac de facto præsumptas & præsumpta illasque & illa Abbatibus, Prælatibus & Monachis, Congregationis Cassinensis hujusmodi fecisse & facere minimè licuisse neque licere de jure. Et propterea de & super illis ac dicto jure procedendi, omnibusque & singulis aliis præmissis perpetuum silentium imponendum fore & esse, & tunc imposuimus prout in rescripto, relatione & sententia prædictis plenius continetur. Ne autem de sententiæ aliorumque præmissorum validitate ullo unquam tempore dubitari, ac propterea vel alio quovis prætextu rem maturè discussam & judicatam rursus in controversiam retrahi, neve denuò in Ecclesia Dei inter tales personas religiosas contentiones exoriri ac populo scandala generari contingat, tempestivè providere ac supremam huic negotio manum apponere cupientes, necnon veriores litterarum singulorum prædecessorum, ac rescripti processus, relationis, sententiæque præfatorum & inde secutorum tenores præsentibus pro suffragiis expressis habentes. Motu simili non ad ipsorum Abbatum, Prælatorum, & Canonicorum Regularium congregationis Lateranensis, vel alterius pro eis nobis super

D 2

hoc

(\*) Canonicorum regularium antiquitas.

hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione & certa scientia nostra, ac de Apostolica potestatis plenitudine ad effectum executionis dictae sententiae tantum, omnes & singulos processus & sententiae praefatorum defectus etiam substantiales, si qui forsan in eisdem intervenerint, harum serie supplemus, ac eandem sententiam unâ cum ejus processu validos & efficaces esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri & inviolabiliter ab omnibus observari debere, nec partes ipsas ab eis ullo unquam tempore quovis praetextu quaesito colore resilire posse, sed illorum observationem teneri, censurisque & pœnis tam ecclesiasticis, quam pecuniariis ad id cogi & compelli, neque monachos eorumve congregationem adversus sententiam aliave praemissa in pristinum statum quovis quaesito colore, vel ingenio restitui, nec illa oppugnantes audiri, praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari seu impugnari posse. Sicque & non aliter per quoscunque Judices & Commissarios, etiam S. R. E. Card. sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & autoritate, judicari & definiri debere, ac quicquid fecus à quoquam, quavis autoritate scienter aut ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus, praemissaque omnia perpetuò statuimus, utque ita fiant & observentur volumus atque mandamus, similiter venerabili Fr. Episcopo Amerino & dilectis filiis nostro in alma Urbe & ejus districtu Vicario in spiritualibus, ac Curiae Caesarum camerae Apostolicae auditori generalibus per praesentes motu pari mandantes, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios praesentes litteras, & in eis contenta quaecunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris generalis & Abbatum, Praetorum ac Regularium Canonicorum S. Augustini congregationis Lateranensis praefatorum, vel alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in praemissis efficaciae defensionis praesidio assistentes faciant autoritate nostra illos suppletionem, decreto, statuto, voluntate & mandato, aliisque promissis pacificè frui & gaudere. Non permittent eos vel eorum quempiam desuper, per quoscunque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras, & tam Ecclesiasticas & pecuniarias etiam arbitrio suo moderandas & applicandas, quam etiam privationis beneficiorum Ecclesiasticorum per ipsos contradictores obtentorum pœnas, aliisque juris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus illas sententias, censuras, & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, illosque etiam iteratis vicibus aggravando & interdictum Ecclesiasticum imponendo, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praemissis, ac felicitis recordationis Bonifacii Papae Octavi praedecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo quispiam praesentium vigore ultra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasteriorum & Ordinum, ac congregationum praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis capitulis irritantibusque, & aliis decretis in genere vel specie, etiam motu proprio & scientia quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores pro expressis & insertis habentes (illis aliàs in suo robore permanens) hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis in iudicio & extra ubilibet locorum plena & indubia, eademque prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVIII. Januarii M. D. LXIV. Pontificatus nostri anno quinto.

## C A P U T VIII.

### *Canonicorum Regularium variae Congregationes reformatae.*

ANNO salutis humanae 1080. sub Gregorio VII. ut testatur Volaterranus, lib. 21. instauravit Ordinem Canonicorum Regularium *Jo* in Ecclesia S. Quintini Bellovacensi, qui fuit ejusdem Ecclesiae Praepositus, & postea Episcopus Carnotensis quique post Isidorum fuit Decretorum collector.

Eodem

Eodem tempore per Galliam idem Canonicorum Regularium Ordo florere cœpit sub *Arnulpho* Abbate, & Episcopo Lugdunensi: ut refert *Naucerus* vol. 2. Chron. gener. 37.

Eundem ordinem revocavit, teste *Volaterrano*, *Fridianus* Episcopus *Lucensis*, per *Tusciam* & universam penè *Italiam*.

Anno item, ut refert idem *Volaterranus*, redemptionis humanæ 1401. auctore *Leone* cognominato *de Carate*, cive *Mediolanensi*, Canonico Regulari, orta est apud cœnobium *S. Mariæ de Frigionaria*, in diœcesi *Lucensi*, congregatio Canonicorum regularium, quæ dicta est *Congregatio Frigonaria*, & postea jussu *Eugenii IV.* cujus auctoritate est approbata, vocataque fuit *Lateranensis Congregatio*.

Anno Christi Domini 1410. cœpit alia Congregatio Canonicorum regularium, quam fundarunt *Stephanus* & *Hieronymus*, viri *Senenses*, *Eremitæ Augustiniani*. Hi enim cum aliis paucis, *Gregorio XII.* approbante, ad ædem *S. Salvatoris* in *Scopeto* propè *Florentiam* migrarunt; & ibi cœnobium extruxerunt, unde dicta est *Congregatio Scopetina* seu *S. Salvatoris*, teste *Volaterrano*. Utuntur veste alba, scapulari item albo, & tunica alba linea. Cum prodeunt in publicum & incedunt per urbem, assument pallium nigrum, quo teguntur. Quadraginta per *Italiam* conventus habent.

Est & alia Congregatio, teste eodem *Volaterrano*, *Julii II.* auctoritate confirmata, quæ nomine *S. Petri de monte Corbulo*, in *Florentina* diœcesi appellatur. Cujus congregationis Clerici hospitalitatem colunt, & pullum atque humilem cucullum linteis crassisque tuniculis superinduunt. Hæc *Volaterranus*, lib. 21.

Est & Congregatio Canonicorum *Sancti Gregorii in Alga* *Venetiis*, quam illustravit *Beatus Laurentius Justinianus* & *Eugenius Quartus*. Canonici utuntur amictu cærulei coloris.

Cæterum quæritur, quomodo propagatus sit ordo Canonicorum regularium? *Volaterranus* lib. 21. in *Anthropol.* ait, hunc ordinem propagatum & mirificè auctum fuisse, sic ut ex eo existerint triginta sex *Romani Pontifices*, *Cardinales* trecenti, viri sanctitate vitæ clari, & in *Sanctorum* numerum adscripti, septies mille & quingenti. Et postea numerat *Romanos Pontifices*, *Gelasium Primum*, *Leonem VIII.* *Alexandrum II.* *Paschalem II.* *Lucium II.* *Alexandrum III.* *Innocentium III.* *Honorium III.* Potuisset his etiam adjungere *Anastasium IV.* & *Adrianum IV.* *Augustin.* *Ticinensis* in suo *Propugnaculo Ordinis Canonici* part. 1. cap. 1. 2. 3. & 14. & part. 5. confirmat. 14. scribit; Ex ordine Canonicorum Regularium fuisse *Romanos Pontifices* quinquaginta quatuor, *Cardinales S. Romanæ Ecclesiæ* mille quingentos sexaginta septem, viros, qui sunt in *Sanctorum* numerum relati fuisse ducentos ultra sedecim millia. Et *Ecclesiam Romanam*, inquit, gubernavit hic ordo per annos quingentos & sex. Penes hos auctores, quos nominavi, sit fides. *Onufrius Panvinius* in lib. de 7. Ecclesiis Urbis scribit in hunc modum: *Gelasius Primus circa annum Domini 400. constituit in Ecclesia Lateranensi clericos Canonicos, qui servabant regulam Apostolorum, nihil proprium habentes, sed in communi, juxta regulam S. Augustini viventes. Postea Gregorius III. posuit monachos in Ecclesia Lateranensi, ut in ea preces quotidie cantarent. Deinde monachis deficientibus, iterum sunt in eadem Ecclesia Clerici Canonici constituti, qui more monachorum religiosum vitæ institutum servabant: & Priori, loco Abbatis, parebant, & in communi domo habitabant. Et ex hoc Lateranensi Canonicorum regularium monasterio fuerunt Romani Pontifices Alexander II. Urbanus II. Paschalis II. Honorius II. Innocentius II. Alexander III. Innocentius III. Honorius III. Et duravit, inquit Onufrius, Lateranense Canonicorum regularium monasterium octingentos annos usque ad Bonifacium VIII. qui anno Domini 1300. exclusit e monasterio Canonicis regularibus, posuit in eo Canonicos sæculares. Ita Onufrius.*

## CAPUT IX.

## Congregatio Lateranensis Canonicorum Regularium.

CANONICI Regulares Ordinis S. Augustini, dicti *Lateranenses*, ab *Apostolis* primum (ut narrant *historiæ*) traxerunt originem, sed postmodum à *B. Augustino*, fuit ista Congregatio regulariter ordinata: cum quibus *Canonicis*, factus ipse presbyter, à *Valerio Episcopo*, secundum regulam ab *Apostolis* traditam aliquamdiu vixit. Qui cum, post multa temporum spatia, varias à laudabilibus viris *Reformationes* accepissent, secundumque illas varia sortiti essent nomina; inter alias prima fuit ista Congregatio *Lateranensis*. Quæ tandem fuit reformata in templo *S. Mariæ Frigionariæ*, propè *Lucam Etruriæ* urbem, anno millesimo quadringentesimo septimo, à quodam clerico nobilissimo Romano, nomine *Bartholomæo*, illustrissimæ familiæ *Columnæ*, ejusque socio *Jacobo de Anogradis*, V. I. Doctore excellentissimo. Olim, idque per octingentos ferè an-

nos, usque ad Bonifacium VIII. sedem habuerunt in basilica Lateranensi, à Gelasio I. ibidem collocati. Ex qua basilica licet postea pluries fuerint eiectioni, atque iterum regressi; tandem sub Sixto IV. Summo Pontifice, illius possessionem prorsus amiserunt: non tamen titulum & privilegia, quæ idem Pontifex ipsis concessit, unà cum monasterio S. Mariæ Paris, in quo etiamnum Romæ sedem ac domicilium habent.

## CAPUT X.

*Aroasiensis Congregatio Canonorum Regularium, per Belgium & Franciam.*

ANNO 1097. duo pii sacerdotes Conon & Heldemarus Aroasiam monasterium fundarunt, quod hodie visitur secundo ferè lapide à Bapalma Artesiæ oppido versus fines regni Galliæ. Quo factum ut bellis inter Gallos & Belgas sævientibus non semel fuerit destructum.

In hac Abbatia tanta fuit olim regularis disciplinæ Observantia, ut illius regimini, quamplurima sese Monasteria olim submiserint & amplissimæ Congregationis, inde Aroasiensis dictæ, caput olim exstiterit.

Catalogum porrò monasteriorum, quæ Aroasiensi Congregationi paulatim accesserunt, hunc nobis R. P. Franciscus Barrius, Prior Aquicinctinus transmisit.

*Nomina Monasteriorum, quorum Abbates dextro in latere considerare solent in congregatione solemnii.*

TOTIUS congregationis caput & princeps est Aroasiense monasterium.

Beatæ Mariæ monasterium Henniense, seu S. Martini de Henniaco, vulgò *Hennius Liefart*.

B. Mariæ monasterium Boloniense, fundatum anno 1159. dirutum autem anno 1544. ab Henrico VIII. Angliæ Rege.

Monasterium S. Eligii Fontis in Calviaco, aliàs à Calviaco, Gallicè Chanii.

Monasterium S. Marci, seu S. Nicolai in pratis juxta Tornacum.

Cisoniense S. Calixti monasterium, anno octingentesimo trigesimo octavo, à S. Everardo Comite fundatum.

Monasterium S. Joannis Baptistæ, juxta Chocques, Artesiæ pagum in agro Bethuniensi.

Monasterium S. Mariæ à Bello loco, quod à monasterio Joannis juxta Chocques initium habet.

Zunebecanum S. Mariæ monasterium, an. 1578. per tumultus bellicos dirutum.

Monasterium Sanctæ Mariæ à Castriciis.

Monasterium S. Joannis Baptistæ in Valentiana Hannoniæ urbe, quod monasticæ hujus suæ institutionis originem traxit à monasterio S. Crispini in Cavea apud Sueffiones, anno 1112.

Bartholomæi Monasterium Brugense, quod Latine Quercetum, Flandricè *Oecboudt* nuncupant; quod monasticæ hujus suæ institutionis originem habuit à monasterio S. Marci five S. Nicolai in pratis, juxta Tornacum, anno 1050.

Bethleemeticum monasterium in Alemannia.

S. Patritii monasterium in Hibernia. fuit illud, ut arbitror, olim situm in primaria urbe Dublinensi. Constat enim ex Actis S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis, ipsum Canonicos seculares in Canonicos regulares Aroasiensis Ordinis transformasse. Vide Surium 14. Novemb. Tom. 6.

*Nomina Monasteriorum, quorum Abbates ad sinistrum latus sedent in comitiis solemnibus.*

Monasterium S. Mariæ à Nemore, nunc Guisseauvilla, aut Rivovilla, fundatum à Dominis seu Toparchis Creciacensibus, cujus Abbas dicebatur Prior, ut loquuntur, Congregationis Aroasiensis.

Monasterium S. Crispini in Cavea apud Sueffiones.

Monasterium S. Vulmari Bononiense, in Gallia, ab Henrico VIII. Angliæ Rege dirutum.

Monasterium S. Leodegarii apud Sueffiones.

S. Amandi

S. Amandi monasterium Mareolense, apud Atrebatum, à S. Bertilia virgine fundatum.

Monasterium à Claro Fageto.

SS. Petri & Pauli monasterium Varneftunense, vulgò Warnefton.

Castellionense monasterium, quod originem habet à monasterio B. Mariæ in Nemore.

Monasterium à Dodellievilla, seu Dodevilla.

Monasterium S. Mariæ à Sagano in Silesia, & diœcesi Vratislaviensi; cujus monasterii Abbas Alardus VIII. Kalen. Maji defunctus notatur, in Catalogo seu libro defunctorum monasterii Aroasiensis.

Monasterium S. Christophori Fanopiense, seu Falenpinense fundatum ann. 1039. apud Insulas Flandriæ urbem.

Monasterium S. Mariæ & S. Huberti in atrio in Vafago, aliàs ab Alteriaco.

Monasterium Dulcis Vallis, juxtà Middelburgum Flandriæ oppidum, quod Meyerus an. 1215. vult conditum, sumptis initiis institutionis ex Brugenfi S. Bartholomæi monasterio.

Dirutum est autem anno 1578. per tumultus bellicos.

Atque in hoc quidem Catalogo, non nisi sex & viginti monasteria, præter Aroasiense, recensentur; cum alii tamen velint octo & viginti monasteria Aroasiensem Abbatem agnovisse.

*Jacobi Vitriaci Cardinalis testimonium de Canonicis Regularibus  
congregationis Aroasiensis.*

SUNT alii regulares Canonici, qui de Aroasia nuncupantur; eo quòd prima hujus institutionis Abbatia, quæ caput est omnium aliarum, sic vocetur, in diœcesi Atrebatensi sita. Hi siquidem fundamentum regulæ B. Augustini retinentes, ut carnem suam cum vitiis & concupiscentiis arctius crucifigerent, carnes à refectorio suo subtraxerunt. Camisiis insuper non utuntur, sed cum tunicis laneis nocte in dormitorio suo quiescunt. Quasdam etiam alias institutiones necessarias & honestas suprâ prædictum fundamentum prudenter ædificantes, contra imminetia pericula sibi præcavescentes, addiderunt. Et quoniam nihil magis virtutem religionis conservat, ubi plures sunt Congregationes & Conventus, quàm respectus ad unum superiorem, qui diversa sub se membra regit & continet, quasi summum & supremum caput; semel in anno sub primo & principali Abbate generale Concilium celebraturi conveniunt, ut omnes unanimiter hujus ordinis Abbates, secundum quod religioni viderint expedire, corrigant corrigenda, refecent superflua, instituunt & addant quæ fuerint superaddenda, vel secundum temporum aut rerum mutationem, quæ fuerint commutanda commutent, & novis supervenientibus ita vetera rejiciantur, quod vetustissima veterum, prima scilicet antiquorum Patrum instituta, firmiter & invariabiliter observentur. Principalis siquidem Abbas filias suas, inferiores scilicet Abbantias per se, vel per viros idoneos studiosè visitando, quantum religioni subministrat fulcimentum, ne per negligentiam defluat, vel per dissolutionem status religionis enervatus corruat, ex his liquet conventibus & congregationibus, quæ ex uno tantum Abbate pendentes, & uni soli superiori intendentes, cum corrueute plerumque corruunt, cum non habeant unde alias fulciantur. Væ siquidem soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem. Funiculus autem multiplex non facilè rumpitur: frater enim fratrem adjuvans, est quasi civitas munita. Si autem corrupto capite ad Prælatos sæculares membra recurrerint, Scyllam fugientes, frequenter Charybdim incurrerunt, & fugientes arma ferrea, in arcum æreum inciderunt. Quidam enim Ecclesiarum Prælati regularium dissensionibus tantò magis exultant, quantò velut in aqua turbata copiosorem reperientes piscationem, ab altera vel utraque parte hac occasione pecuniam emungere non formidant. Quod si fortè justos & timoratos invenerint Prælatos, qui ab omni munere manus excutientes, eorum partes intercedente pecunia, fovere renuerint, tandem facta ad Dominum Papam appellatione, discurrendi & evagandi materiam libenter inveniunt, & inutilibus expensis ex utraque parte miserabilem domum eorum obligantes, redditus copiosos, & amplas plerumque consumunt possessiones. Ita Vitriacus in sua *Historia Occidentali*.

Cæterum floret hodièque Abbatia Aroasiensis, ut & aliæ Abbatie ejusdem olim Congregationis, sed proh dolor! desit ista societas, five unio, nec annum amplius capitulum à Congregatione Aroasiensi, utpotè extincta celebratur.

## CAPUT XI.

*Ordo seu Congregatio Canoniorum Regularium S. Rufi,  
in Gallia.*

**C**ONGREGATIO Canoniorum Regularium S. Rufi, (quem alii Arnulfum nuncupant) Paschalis Papæ II. temporibus, circa annum 1107. fumpsit exordium. Beatus namque Rufus, Lugdunensis Episcopus, cum esset egregius divini verbi præco, monasteriis plurimis in Gallia excitatis, demum in Italiam transiit, atque in Etruria & alibi multa Canoniorum Regularium cœnobia instituit: quorum caput apud Valentiam, Delphinatus seu Provinciæ Viennensis urbem statuit. Sic Aymarus Falco in historia sua Antoniana Lugduni an. 1534. edita, notatque idem in Provincia Viennensi tria monasteria, religiosarum familiarum capita, numerari: nimirum Cartusiam Majorem, S. Antonii Viennense monasterium, & dictam S. Rufi Abbatiam.

Hujus reformationis meminit Joachimus Abbas, commentario in Apocalypsim, videturque initia ejus referre ad annum circiter 1100.

## CAPUT XII.

*Congregatio & Abbatia S. Victoris ad muros urbis Parisiensis.*

**I**NTER Canonicos Augustinianos celebris, est familia seu Congregatio Canoniorum S. Victoris, qui nomen hoc induerunt à monasterio S. Victoris Abbatiali titulo illustri, ad muros Urbis Parisiensis sito. Quod quidem monasterium anno 1113. à Ludovico Crasso Galliæ Rege fundatum dotatumque est; teste Francisco Belleforestio in sua Cosmographia. Floruerunt hoc in monasterio Hugo & Richardus à S. Victore, Theologi longè celeberrimi.

Est autem hodièque in monasterio isto Bibliotheca manuscriptorum codicum mediæ ævi longè præstantissima, quam exteri omnes meritò admirantur, & nos aliquando admirati sumus.

Cæterum haud abs re fuerit Jacobi Vitriaci (qui anno 1244. obiit) de Canonicis S. Victoris testimonium hic adfuisse. *Sunt alie Canoniorum Regularium devota, & humiles, & amabiles Deo congregationes, quæ S. Victoris Canonici nominantur; eo quòd prædictus Dei martyr patronus & advocatus sit eorum, in quibus hujus ordinis primordia claruerunt. Primus siquidem & præcipuus hujus sanctæ Religionis conventus extra muros Parisiensis civitatis, in Ecclesia quæ dicitur S. Victoris, quasi lucerna Domini supra candelabrum posita, non solum propinquam civitatem, sed remotas circumquaque regiones & ad Dei cognitionem illuminat, & ad charitatem inflammat, tanquam piscina probatica, & luter æneus in templo Domini, scholaribus Parisiis commorantibus, & variis populis undique confluentibus aquas purificationis subministrans. Hæc siquidem sancta & omni acceptione digna militantium in castris Domini congregatio, refugium est pauperum, consolatio lugentium, fulcimentum & quasi basis debiliùm, recreatio lassorum, relevatio lapsorum, portus tranquillissimus scholarium, quibus de mundi hujus naufragio evadere cupientibus sinum misericordiæ aperit, & in gremio suo velut pia mater eos fovet & nutrit. Multis à principio Parisiensibus magistris, viris litteratis & honestis, velut stellis fulgentibus illustrata, & quasi margaritis pretiosis decorata. Inter quos nominatissimus & præcipuus exstitit citbarista Domini, organum Spiritus sancti, Magister Hugo de Sancto Victore dictus, qui malogranata tintinnabulis conjungens, exemplo sanctæ conversationis, multos ad honestatem incitavit & melliflua doctrina ad scientiam erudit. Multos autem aquarum viventium puteos effodiens, libris suis, quos de fide & moribus tam subtiliter quàm suaviter disserendo edidit, incerta & occulta divini sapientiæ pluribus aperuit, mortalem sui memoriam velut compositionem odoris, & opus pigmentarii, & in omnium ore quasi mel dulcoratum, velut musicam in convivio vini, & tanquam naves poma ferentes, posteris relinquendo. Hi siquidem prudentes & honesti viri extra Parisiensis urbis tumultum seorsim congregati, supra firmum & stabile fundamentum regulæ S. Augustini institutiones honestas & salutare observantias statuerunt. Nigris siquidem cappis & tunicis albis & laneis induti, pellibus agninis & lineis utuntur camisis. Carnes in refectorio non manducant. Certis temporibus & horis constitutis infra terminos suos manibus suis corporaliter laborant. Circa primam vel secundam noctis horam ad matutinas surgentes, in bymnis, & psalmis, & canticis spiritualibus Domino suaviter & devotè jubilando, residuum noctis plerumque expendunt. Æstatis autem tempore à vespera usque ad auroram nocturnum frequenter protrahunt officium. Semel autem in anno omnes hujus ordinis Abbates Parisiis apud S. Victoris Ecclesiam generale capitulum celebraturi, congregantur. Post divini prædicationis epulas delicatas & suaves, de his quæ ad religionem & ordinis instituta pertinent, unanimiter pertractantes. Hactenus Vitriacus.*

Cate-



Cæterum ut Aroasiensis, sic & Congregatio S. Victoris desit, nec annum amplius capitulum à Victorinæ olim Congregationis Abbatibus celebratur.

Inter Victorinæ Congregationis Abbatias olim fuit, Abbatia S. Mariæ de Victoria, cujus foundationem vide infra cap. 40.

Item Abbatia S. Martini Gemellorum, de qua vide infra 43.

*Monasteria Monialium Congregationis Victorinæ.*

Gronenbrielenfis Abbatia, in urbe Gandensi, in Flandria.

Trudonensis Abbatia in urbe Brugensi: de qua vide supra caput trigessimumtertium.

Wasmunstriensis in agro Wasiensi, apud Teneramundam Flandriæ oppidum.

Abbatia Pontis Roradi, vulgò Roesbrugge, in Flandria.

Abbatia novi monasterii in oppido Bergensi S. Winoci in Flandria.

Vallis S. Margaretæ vulgò Nonnarum monasterium in urbe Antwerpiensi.

CAPUT XIII.

*Capitulum, seu Congregatio Windesemensis, Canonorum Regularium, in Germania inferiore & superiore.*

**W**INDESEMENSE Monasterium, Canonorum Regularium Ordinis S. Augustini, tertio milliari à Daventria, Germaniæ inferioris urbe, ad Isalam flu. sita, anno Christi 1387. fundatum est. Ab hoc monasterio nomen induit, legesque accipere solet Capitulum seu congregatio Windesemensis quæ centum viginti ferè per Germaniam inferiorem ac superiorem monasteria olim complectebatur, hodièque non mediocriter floret. Debet autem ista congregatio originem ac progressum suum Gerardo Magno, & Fratrum, seu vitæ communis clericorum familiæ ab ipso institutæ, ut Thomas Kempensis, qui Gerardi vitam copiosè descripsit, his verbis testatur: *Habuit Gerardus propositum edificandi monasterium Clericorum ordinis Canonorum regularium, volens quosdam de idoneis Clericis sibi adherentibus, ad religionis habitum promovere, ut aliis devotis essent in exemplum, & adventantibus aliundè Clericis vel Laicis bonæ conversationis iter ostenderent; ad hunc ordinem Regularium instituendum præcipuè inductus fuit, propter singularem reverentiam & amorem Venerabilis Domini Joannis Busebrouc, primi Prioris viridis Vallis, & aliorum ibidem religiosè conversantium probatissimorum fratrum in ordine Regulari, quos dudum in Brabantia visitaverat: à quibus magnam edificationis formam, ob multam ipsorum humilitatem, & simplicis habitus deferentiam, traxit & annotavit. Cum igitur pro loco religioni apto & monasterio fundando diligenter instaret, mortalitate præventus non potuit perficere, quod optavit; sed Deo intentum voluntatis suæ pro operis effectu obtulit, ac desiderium monasticæ constructionis, carissimis discipulis suis ab eo conversis, perficiendum commisit, hortans, ne tantum bonum ipso defuncto sopiretur, sed pro honore Dei ampliando omnes pariter consilium præstarent & juvamen. Ex his fuerunt qui Monasterium Windeshem, & domum S. Agnetis in monte propè Swollas, primitus, Deo juvante, fundaverunt. Cæterum: quibus potissimum auctoribus, ex isto fratrum seu vitæ communis Clericorum cætu, Congregatio Windeshemensis primùm cœperit, adoleverit, atque ad summam vitæ perfectionem pervenerit accuratè describit, Arnoldus Buschius in suo Libro de origine virisque illustribus Capituli seu Congregationis Windeshemensis, quo Lovanii ad D. Martini, & alibi MS. adservatur. Porrò Windeshemensè, Dordracenum, Arnhemianum & Hornanum monasteria in unum Capitulare, ut vocant, corpus primùm sunt colligata: Quod cum Bonifacius IX. Papa adprobasset, statuit idem, ut Prior seu Præfectus monasterii Windeshemensis, cæteris omnibus præesset, utque singulis annis Windeshemi Capitulum, ut loquuntur, seu Conventus generalis haberetur. Huic congregationi ob disciplinam monasticam efflorescenti plurima cum virorum tum virginum cænobia, quorum pleraque isto ævo sunt excitata, paulatim accesserunt: Martino V. Pio II. Sixto IV. Innocentio VIII. Leone X. aliisque Pontificibus adficientibus. Exstat liber de Constitutionibus & privilegiis Canonorum regularium Capituli Windeshemensis ann. millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, Ultrajecti editus, ad quem Lectorem plura cognoscere volentem remittimus.*

*Ex ordinario, ut vocant divini Officii & Constitutionibus Canonorum Regularium Capituli Windesemensis, anno 1552. Ultrajecti excusi.*

Anno 1387. Fundatum est monasterium Canonorum Regularium in Windesem.

Anno 1382. fundatum est monasterium in Eemstheyn propè Dordracum, Hollandiæ oppidum.

Tom. III. Cann. Regg. Origines.

F

Anno

Anno 1392. monasterium B. Mariæ propè Arnhemum, Geldriæ oppidum.

Anno eodem, monasterium Novæ Lucis propè Hornam, Hollandiæ Septentrionalis oppidum.

Quatuor hæc monasteria in unum Capitulare corpus, sive Congregationem colligatam à Bonifacio Papa IX. privilegia sequentia impetraverunt:

Capitulum generale singulis annis celebrabitur in Windesem.

Prior superior, & reliqui Priores omnes obedientes erunt Capitulo.

Prior Windesemensis erit semper Prior superior, potest tamen Superioritas ad aliam domum transferri.

Definitores singulis annis eligentur.

Definitores cum Priore superiore, auctoritatem habebunt statuendi, corrigendi, reformandi, &c.

Quod à definitoribus ordinatur, ab omnibus observabitur.

Constitutionum transgressio, non obligat ad culpam, sed ad pœnam.

Priores singulis annis absolutionem petere debent.

In causis, quæ Capitulum generale expectare nequeunt, Prior superior habet auctoritatem Capituli generalis.

Appellare non licet, nisi ad Capitulum generale, vel Priorem Superiorem.

Visitatorum ordinatio spectat ad Definitores.

Uniformitas in officio Divino, ubique servanda est, secundum Ordinarium Ecclesiæ Ultrajectensis, exceptis quibusdam historiis.

Prædictis privilegiis gaudebunt non solum monasteria jam fundata, sed & fundanda, quæ se Capitulo Windesemensi subjecerint.

Monasterium Canonicorum Regularium propè Amstelodamum Hollandiæ emporium, itemque cœnobium monialium in ipsa urbe Amstelodamensi fundata sunt anno 1394.

Anno eodem, fundatum est monasterium in Vredenswege propè Northornam in Westphalia & diœcesi Monasteriensi, & in Comitatu Bentemenfi.

Anno 1398. monasterium Montis S. Agnetis propè Swollam, Transfulanæ provinciæ oppidum.

Anno 1400. monasterium vallis Angelorum in Leydendorp, apud Lugdunum Batavorum.

Capitulum seu Congregatio Windesemensis, octo tum virorum monasteria complectens, à Frederico Blanckenhemo, omnium privilegiorum à Bonifacio IX. concessorum approbationem impetravit.

Anno 1405. Fundatum est monasterium in Rugge propè Brielam Hollandiæ oppidum: & anno sequenti Capitulo Windesemensi incorporatum.

Sub idem tempus alia tria monasteria initium sumpserunt, videlicet.

Monasterium Visitationis B. Mariæ propè Harlemum, Hollandiæ oppidum.

Monasterium Thabor propè Sneam, Frisiæ Occidentalis oppidum.

Monasterium Stagni S. Petri propè Bomeliam, Geldriæ oppidum situm.

Anno itaque Domini 1407. Capitulum Windesemense duodecim Monasteria continebat. Quibus an. 1413. septem Monasteria Brabantiae sunt addita; agente Petro Alia-

co, Episcopo Cameracensi, Cardinale & Legato Apostolico, videlicet:

Monasterium viridis Vallis, tertio lapide à Bruxellis.

Monasterium Rubeæ vallis, primo lapide à Bruxellis.

Monasterium septem Fontium, quarto lapide à Bruxellis.

Monasterium Corfendoncanum, propè Turnhoutum.

Monasterium Bethlehem, propè Lovanium.

Thronus Beatæ Mariæ, propè Herentaliam.

Monasterium S. Barbaræ in oppido Thenensi, quod est Monialium.

Successu temporis alia Virorum monasteria octo, & Monialium quatuor, Capitulo Windesemensi sunt adscripta, videlicet:

Monasterium Bircket, propè Amersfordiam, diœcesis Ultrajectensis.

Vallis Pacis, nunc S. Joannis monaster. in Amersfordia.

Elzinghem propè Aldenardam, Flandriæ oppidum.

Ezinghen, diœcesis Bremensis.

Bodinghen diœcesis Colonienfis.

Monasterium Tungrense, in diœcesi Leodiensi.

Monasterium Amstelodamense, in Hollandia, vulgò Paradisum, ad Mœnia urbis, nunc Pomœriis inclusum.

Diepeveen in Hollandia, Monialium.

Bronopia.

Hierusalem, in urbe Ultrajectina, monialium.

Anno

Anno 1430. temporibus Martini Papæ V. Capitulum Nussienſe, quod duodecim monaſteriis conſtabat Capitulo Windeſemenſi ſe ſubmiſit ac conjunxit: atque ita ex duobus unum Capitulum, ſeu Congregatio eſt facta, & Catalogus eſt mutatus.

Post hæc & alia monaſteria Capitulo Windeſemenſi ſunt addita, Catalogo commutato.

*Catalogus Monaſteriorum Capituli Windeſemenſis Canoniorum regularium, per Germaniam ſuperiorem & inferiorem.*

Monaſterium B. Mariæ Virginis in Windeſem propè Zwollam, Tranſyfulanæ provinciæ oppidum, diœceſis olim Ultrajectenſis nunc Daventrienſis.

Monaſterium B. Mariæ, propè Nuſſiam diœceſis Coloniensis oppidum, nunc in oppido Nuſſiæ, hodièque floret.

Monaſterium B. Mariæ in Viridi Valle, propè Bruxellam Brabantiæ urbem, diœceſis olim Cameracenſis, nunc Machlinienſis.

Monaſterium B. Mariæ in Bethlehem, in oppido Zwollenſi diœceſis olim Ultrajectenſis, nunc Daventrienſis.

Monaſterium S. Pauli in Rubea valle, propè Bruxellam, diœceſis olim Cameracenſis, nunc Machlinienſis.

Monaſterium B. Mariæ, & duodecim Apoſtolorum in urbe Ultrajectenſi, quod dicitur ad Regulares.

Monaſterium S. Salvatoris in Eemſtheym, propè Dordracum Hollandiæ oppidum, diœceſis Ultrajectenſis.

Monaſterium B. Mariæ ad Septem Fontes, vulgò *Sevenbor*, propè Bruxellam, diœceſis olim Cameracenſis, nunc Machlinienſis.

Fons B. Mariæ propè Arnhemum, Geldriæ oppidum, diœceſis olim Ultrajectenſis, nunc Ruremundenſis.

Monaſterium S. Joannis Evangeliftæ propè Amſtelodamum, nunc in Heglo propè Alcmariam Hollandiæ oppidum, diœceſis olim Ultrajectenſis, nunc Harlemenſis.

Monaſterium B. Mariæ in Noerthoern in Weſtphalia, d. Monaſterienſis.

Monaſterium B. Mariæ in Corſendonca, propè Turnhoutum Campaniæ Brabanticæ municipium, d. olim Cameracenſis, nunc Antwerpienſis.

Mons S. Agnetis propè Swollam, diœceſis olim Ultrajectenſis, nunc Daventrienſis.

Monaſterium B. Mariæ in Valle Angelorum in Leydendorp in Hollandia, d. olim Ultrajectenſis.

Monaſterium Beatæ Elifabethæ propè Brielam, Hollandiæ oppidum, diœceſis Ultrajectenſis.

Monaſterium B. Mariæ in Goesdonck, propè Goch in Geldria, d. olim Coloniensis, nunc Ruræmundenſis, floret.

Monaſterium B. Mariæ in Noviomago Geldriæ oppido, d. olim Ultrajectenſis, nunc Ruræmundenſis.

Monaſterium Viſitationis B. Mariæ propè Harlemum, Hollandiæ oppidum, diœceſis olim Ultrajectenſis, nunc Harlemenſis.

Monaſterium S. Salvatoris in Thabor, propè Snecam Friſiæ Occidentalis oppidum, diœceſis olim Ultrajectenſis, nunc Leovardiensis.

Monaſterium B. Mariæ in Bethlehem propè Lovanium Brabantiae oppidum; diœceſis olim Leodiensis, nunc Machlinienſis.

Monaſterium Sancti Meynulphi Confessoris in Bodiken, diœceſis Baderbornensis floret.

Stagnum B. Petri Apoſtoli propè Bomeliam, Geldriæ oppidum, d. olim Ultrajectenſis, nunc Silviducenſis.

Monaſterium B. Mariæ in Romerſwael, Zelandiæ oppido, d. olim Ultrajectenſis, nunc Middelburgenſis.

Thronus Beatæ Mariæ propè Herentaliam oppidum & Grobbendonch, Brabantiae pagum, diœceſis olim Cameracenſis, nunc Antwerpienſis.

Monaſterium Sancti Joannis Baptiſtæ in urbe Aquisgranenſi, diœceſis Leodiensis, floret.

Monaſterium B. Mariæ in Bircket propè Amersfordiam, nunc Curia Beatæ Mariæ in Amersfordia, d. Ultrajectenſis oppido.

Vallis Pacis propè Ultrajectum, nunc monaſterium S. Joannis in Amersfordia, diœceſis Ultrajectenſis.

- Monasterium vallis B. Mariæ, aliàs Elzeghem propè Aldenardam, Flandriæ oppidum, diœcesis Tornacensis.
- Monasterium B. Mariæ in Dumo, propè Endoviam Brabantia oppidum, diœcesis olim Leodiensis, nunc Silviducensis, hodie in urbe Silviducensi situm.
- Campus B. Mariæ in Frisia Orientali, propè Ezinghen, d. Bremensis.
- Mons B. Mariæ in Bodinghen propè Zyberch, in Ducatu Montensi, d. Colonienfis, floret.
- Monasterium Sancti Salvatoris in Errich propè Attendoren, diœcesis Colonienfis, floret.
- Monasterium Passionis Christi, & Beatæ Mariæ, in oppido Tungrensi, diœcesis Leodiensis.
- Monasterium B. Mariæ in Wittenberga Saxonæ oppido, diœcesis Hildesemensis.
- Monasterium S. Martini in Lunenkercke nunc Achlum in Frisia Orientali propè Herlingen, diœcesis olim Ultrajectensis.
- Monasterium B. Mariæ in Sion, propè Beverteyck in Hollandia, d. olim Ultrajectensis.
- Monasterium B. Mariæ in Ryckenberch in Saxonia, d. Hildesemensis.
- Vallis B. Elifabeth propè Ruremundam, Geldriæ oppidum, d. olim Leodiensis, nunc Ruremundensis, floret.
- Monasterium B. Elifabeth bonorum puerorum, in urbe Leodiensi, diœcesis ejusdem floret.
- Monasterium B. Mariæ in Nazareth propè Bredevoert, d. Monasteriensis.
- Monasterium B. Mariæ in Aningen in Frisia, d. olim Ultrajectensis.
- Monasterium S. Bartholomæi in Zulta, juxtâ Hildesem, d. Hildesemensis, floret.
- Ad alteram urbis Hildesemensis partem floret hodièque Cartusia.**
- Monasterium B. Mariæ in Hertzzenhagen juxtâ Francofurtum, d. Moguntinensis.
- Monasterium B. Mariæ in Mello, juxtâ Gandavum in Flandriæ Comitatu, d. olim Cameracensis, nunc Gandavenfis, floret.
- Monasterium S. Dionysii in Molenbeeke, diœcesis Mindensis.
- Hortus B. Mariæ Virginis juxtâ Wormatiam, diœcesis Wormatiensis.
- Buscum Domini Isaac, juxtâ Nivellam Brabantia oppidum, d. olim Cameracensis, nunc Namurcensis, floret.
- Monasterium B. Mariæ, & Joannis Evangelistæ, juxtâ Seghenberch in Holfatia, d. Lubecensis.
- Monasterium S. Hierony. in Ruræmunda, Geldriæ oppido, diœcesis olim Leodiensis nunc Ruræmundensis: est nunc Collegium Societ. JESU. Canonici cathedrales habent annuos redditus monasterii.
- Monasterium S. Petri Apostoli in Hegene, in Comitatu Lingensi, diœcesis Wormatiensis.
- Monasterium B. Mariæ in Insula propè Confluentiam, d. Treverensis.
- Monasterium B. Mariæ in Sylo, propè Emdam in Frisia Orientali, diœcesis olim Monasteriensis.
- Monasterium S. Antonii Confessoris in Albergen, in Tuenta, d. olim Ultrajectensis.
- Monasterium S. Nicolai in Bergum propè Leovardiam, d. Ultrajectensis, nunc Leovardiensis.
- Monasterium Corporis Christi, in urbe Colonienfi, d. ejusdem floret.
- Monasterium S. Petri in Daelem, d. Badebornensis, floret.
- Monasterium S. Viti propè Naerden, Hollandia oppidum, d. olim Ultrajectensis, nunc Harlemensis.
- Monasterium Sancti Nicolai in Trutenhusen, diœcesis Argentinensis, fundatum à nobili familia Landspergiorum, qui hodie illud sibi vindicant.
- Monasterium S. Pancratii in Hamersleve, d. Halberstadensis, floret.
- Monasterium S. Spiritus in Udem, five vallis Gratia, in Ducatu Clivia, d. Colonienfis, floret.
- Monasterium S. Joannis Baptistæ in Rebdorp, d. Eistetensis, floret.
- Monasterium S. Hieronymi. propè Leidam Hollandia oppidum, d. olim Ultrajectensis, nunc Harlemensis.
- Monasterium B. Mariæ Virg. in Clusa, d. Treverensis, floret.
- Monasterium Sancti Martini, in urbe Lovaniensi, d. olim Leodiensis, nunc Machliniensis.
- Monasterium S. Irenæi Mart. in Marbach, d. Basileensis, ad Rhenum fluv. ex opposito Brisgoia oppidi, floret.
- Monasterium B. Mariæ in Bircling, diœcesis Herbipolensis.

- Monasterium S. Leonardi, in urbe Basilea, d. ejusdem.  
 Monasterium Rosæ Vallis, B. Mariæ in Hasca, in Frisia Occidentali, d. olim  
 Ultrajectinæ.  
 Monasterium B. Christinæ in Herdewille, d. Argentinensis.  
 Monasterium S. Joannis Bapt. in Volkerdinckhusen, d. Paderbornensis.  
 Monasterium Beatæ Mariæ Magdalenaë, in majori Franckendael, diœcesis Worma-  
 tienfis. Ex hoc monasterio factum est oppidum Franckendael à Calvinistis è Belgio pro-  
 fugis, permittente Comite Palatino Rheni.  
 Monasterium B. Mariæ Virg. in Swavenheim, d. Moguntinæ.  
 Monasterium in Ravensberghen, d. Moguntinæ.  
 Monasterium B. Mariæ in Arena, propè Stralen Geldriæ oppidum, d. Coloniensis;  
 nunc Ruræmundensis, floret.  
 Monasterium S. Martini juxtà oppidum Turicense, d. Constantiensis.  
 Monasterium Corporis Christi in Bloemenberch, d. Paderbornensis.  
 Monasterium S. Martini in Zindelfingen, d. Constantiensis.  
 Monasterium Beatæ Mariæ Montis-Fagorum, vulgò *Berenberch*, diœcesis Con-  
 stantiensis.  
 Monasterium Sancti Laurentii, in Hissa, propè Sarburch, diœcesis Metensis.  
 Monasterium B. Mariæ in Bardersholm in Holfatia, d. Bremensis.  
 Monasterium S. Joannis Baptistæ in Merkeshusen, in Haffia, d. Moguntinæ.  
 Monasterium S. Georgii martyris in Sambeco, d. Ratisponensis.  
 Mons B. Mariæ propè fluvium Jafonis, d. Caminensis.

*Cenobia Monialium Capituli Windesimensis.*

- MONASTERIUM Campi B. Mariæ in urbe Amstelodamensi in Hollandia, d. olim  
 Ultrajectensis.  
 Monasterium vallis S. Barbaræ in Thenis, oppido Brabantiaë, d. olim Leodiensis,  
 nunc Machliniensis.  
 Monasterium B. Mariæ, & S. Agnetis in Diepenvene propè Daventriam, d. olim  
 Ultrajectensis, nunc Daventriensis.  
 Monasterium B. Mariæ in Redinchem, propè Wageningam, in Ducatu Geldriæ,  
 d. Ultrajectensis.  
 Monasterium S. Joannis Baptistæ, in Bronopia propè Campos, oppidum d. olim  
 Ultrajectensis, nunc Leovardiensis.  
 Vallis Angelorum in Bonna, oppido d. Coloniensis, floret.  
 Monasterium Hierusalem in urbe Ultrajectensi, ejusdem diœcesis.  
 Monasterium S. Agnetis in Dordraco, Hollandiaë oppido, d. Ultrajectensis.  
 Monasterium B. Mariæ in Bethania propè Machliniam, d. olim Cameracensis; nunc  
 Machliniensis, floret.  
 Monasterium B. Mariæ in Bethania propè Arnhemum, Geldriæ oppidum, d. Ultra-  
 jectensis.  
 Monasterium B. Mariæ in urbe Gandensi, diœcesis olim Tornacensis, nunc Gan-  
 densis, floret.  
 Monasterium B. Mariæ in Facons, five Facens, in urbe Antverpia, d. olim Ca-  
 meracensis, nunc Antverpiensis.  
 Monasterium B. Mariæ in Neorago Geldriæ oppido, d. olim Coloniensis, nunc  
 Ruræmundensis, est nunc valetudinarium, seu nosocomium.  
 Hactenus ex Ordinario Capituli Windesemensis, suprâ citato.  
 Est & monasterium Virginum regularium in Oostmal Brabantiaë pago, diœcesis  
 Antverpiensis.  
 Cæterum Canonici regulares Capituli Windesemensis, proprium habent Brevia-  
 rium ad horas Canonicas legendas ac cantandas, Lovanii anno 1546. excusum.  
 Fuit itaque olim longè celeberrima atque amplissima congregatio Windesemensis,  
 sed quæ plurima post hæreses in Germania ac Belgio enatas monasteria amisit, quibus  
 asteriscum, five crucis notam, suprâ in Catalogo præfiximus.

CAPUT XIV.

*Congregatio Canoniorum S. Gregorii in Alga, apud Venetos.*

ONUFRIUS Panvinius in Chronico suo Ecclesiastico, tradit, ordinem Canoniorum  
 sæcularium S. Georgii in Alga Venetiis anno M. CCCC. IV. à B. Laurentio Justiniano  
 Patriarcha Veneto institutum esse. Alfonsus Ciaconius in vita Eugenii IV, narrat, primos  
 Tomus III. Cann. Regg. Origines. G huic

huic familiæ nomen dedisse Antonium Corrarium, Gregorii XII. nepotem, & Gabrielem Gondelmerium, qui post Eugenius IV. Papa fuit. Paulus Morisius in historia sua monastica, lib. I. c. 44. adserit, istam S. Georgii congregationem primùm inchoatam esse à dicto *Antonio Corrario*, postea verò sic auctam atque illustratam à *S. Laurentio Justiniano*, ut illius quodammodo fundator habeatur; non secus ac *S. Bernardus Cisterciensis* instituti pater ferè haberi solet, quod tamen à *S. Roberto Molismensi Abbate* scimus inchoatum. Probat hanc suam sententiam Morisius ex inscriptione tumuli ejusdem Corrarii, quæ in dicta S. Georgii basilica legitur: *Sepulcrum piissimi Patris Domini Antonii Corrarii, beatæ memoriæ, Episcopi Ostiensis, Cardinalis Bononiensis, Fundatoris hujus Congregationis. Qui obiit anno à natiuitate Domini 1445. die 19. Januarii. Orate pro eo semper.*

Cæterum non pauci Congregationem hanc collocant inter eas, quæ sub S. Augustini regula militant. Ex Onufrio certè & Morisio constat, eos olim fuisse Canonicos seculares, nec eos solennem emittere solitos professionem ante annum Christi M. D. LXX. quo eam Pius V. Papa præscripsit.

## CAPUT XV.

*Congregatio Canonorum Scopetinorum aliàs S. Salvatoris**Bononiensis.*

ANNO 1408. Congregatio Canonorum regularium S. Salvatoris Bononiensis, aliàs Scopetinorum, per *Stephanum Senerssem* ordinis Eremitarum S. Augustini à Gregorio XII. Pontif. instituitur. Sic Onufrius in Chronico, de hujus Congregationis initiis ac progressu, deque universo ordine ac statu canonico Joannes Baptista Signius, Bononiensis Canonicus regularis S. Salvatoris libros tres conscripsit, Bononiæ anno 1601. editos. Vitam religiosam agebat Stephanus iste cum sodalibus aliquot, haud longè à Senis in silva Ilicitana: Sanctitatis ejus famâ comnotus Gregorius XII. Pont. ipsum Lucam (qua in urbe tum fortè versabatur) ad se evocavit, & monasterium Ilicitanum S. Salvatori sacrum, quod hæcenus fuerat ordinis Eremitarum S. Augustini, in Prioratum Canonorum regularium erexit. Itaque cum sodalibus suis velut manu missus, atque ab omni aliorum, præsertim Eremitarum, jurisdictione liberatus, novam vestem & nova decreta suscepit. Cæterum Franciscus Giflerius, monasterii S. Mariæ de Rheno apud Bononiam, & monasterii S. Salvatoris, in urbe Bononiensi, (quæ Canonorum erant regularium cœnobita perpetuum unita) Prior anno 1419. huic piissimæ familiæ se suosque adfociavit; Martino V. Papa adprobante, hodie Prior S. Salvatoris Bononiensis est universæ Congregationis caput. Anno 1430. parochialis, ut loquuntur, Ecclesia S. Donati in Scopeto, apud Florentiam, ipsis accessit, atque in Prioratum est erecta. Plura apud Signium, qui voluerit, legat.

Haud abs re fuerit pauca quædam ex eodem Signio, subnectere de originibus ac progressibus dictorum monasteriorum Rhenani, & S. Salvatoris Bononiensis.

*Monasterium S. Mariæ de Rheno apud Bononiam, Italiæ urbem.*

ANNO 1136. Innocentius II. cum esset Papis, ordinem Canonorum regularium Sancti Augustini, in antiquissima Canonica Sanctæ Mariæ de Rheno apud Bononiam reformavit, atque firmavit. Eo namque tempore Canonici Rhenani (hortatu dicti Pontificis, qui fuerat ejusdem ordinis Canonicus) Regulam à S. Petro Damiani tribus libris conscriptam, & à Paschali II. Papa confirmatam susceperunt. Dicebantur autem Rhenani, à monasterio S. Mariæ de Rheno, quod intra tertium lapidem ab urbe Bononia situm, inter famosissimas olim Italiæ Canonicas numerabatur.

Ex hoc monasterio Rhenano quatuor Pontifices Maximi prodierunt, nimirum Honorius II. Innocentius II. Lucius II. & Innocentius III. eo nomine Papa: Cardinales item, Archiepiscopi, & Episcopi quàm plurimi: quos longa serie recenset Joannes Bapt. Signius lib. I. de ordine ac statu Canonico. Apud eundem exstat catalogus Priorum, dicti monasterii Rhenani.

*Monasterium S. Salvatoris in urbe Bononiensi.*

CANONICI regulares S. Mariæ de Rheno, de quibus jam diximus, donum five hospitium in urbe Bononiensi habebant, quò divertere solebant, cum ex agro in urbem negotiorum causa veniebant. In hac domo five hospitio, anno 1136. post reformationem, & S. Petri Damiani regulam à Canonicis Rhenanis susceptam, Olinarius ejusdem

mo-

monasterii olim Canonicus, & tunc sub Innocentio II. Cardinalis, monasterium ac templum, in honorem Salvatoris JESU Christi, à fundamentis excitavit: ac præsertim in memoriam miraculi, quæ in Beryto Syriæ urbe contigit, cum ex Christi icone, seu imagine à Judæis transfixa sanguis & aqua profluxit, quibus perfusi cæci, paralitici, aliique infirmi mox sanitatem sunt consecuti. Refert hoc miraculum S. Athanasius in secunda Synodo Nicæna, Actio. 4. Sanguinis istius miraculosi ampullam, Pisis ab Innocentio II. Papa dono acceptam, Olinarius Cardinalis Bononiam transtulit, & in novo templo S. Salvatoris à se ædificato collocavit.

*Jacobi Vitriaci Cardinalis & Episcopi Aconensis testimonium de Canonicis Regularibus, juxta Bononiam.*

EST alia Regularium Canonicorum Deo grata, & hominibus gratiosa Congregatio extra civitatem *Bononia*, non longè ab ea, in castris æterni Regis militantium, & eidem sub unius majoris obedientia, in fervore spiritus, & mentis excessu, tam devotè, quàm humiliter servientium. Hi siquidem aded expediti post Dominum currunt, & nudi nudum sequuntur, quòd omnem exteriorum curam & temporalium possessionem à se penitus rejecerunt, omnia transitoria tanquam stercora reputantes ut Christum lucrifaciant. Sapienter enim pensantes & prudenter attendentes, quod sufficit diei malitia sua, in tantum de crastino non cogitant, quòd eleemosynas aliquas à fidelibus non recipiunt, nisi quantum sobriæ vitæ suæ ad arctam necessitatem possit sufficere. Tribus in hebdomada diebus carnes, si eis apponantur, non recusant, in refectorio manducantes, & in dormitorio quiescentes, & horas canonicas secundum B. Augustini regulam pariter in Ecclesia, in voce exultationis & confessionis, Domino concinentes, immolantes Deo sacrificium laudis, & reddentes altissimo vota sua. Ipsi autem ex numero scholarium, Bononiæ causa studii commorantium, in unum, Domino inspirante, congregati, divinarum Scripturarum lectiones, uno eorum docente, singulis diebus audiunt: quæ autem diligenter audierint, Summi Pontificis auctoritate, Christi fidelibus, diebus festis, magna prædicationis & doctrinæ gratia proponunt. Prædicatorum ordinem Canonicorum ordini conjungentes. Hæc igitur dulcis mixtura bonorum, multos ad imitandum allicit, provocat, & accendit, & diebus singulis Sancta & honesta Christi scholarium congregatio & numero ampliatur, & charitate dilatatur. Attendentes enim sapienter fortes athletæ JESU CHRISTI, quòd nullum sacrificium magis placitum sit Deo, quàm zelus & salus animarum, & quòd anima quæ impingat, impinguabitur, fumentes in vasis de optimis terræ fructibus, & ferentes virò munera, aquas suas in plateis dividunt, & fontes eorum derivantur foras in agro Domini, fructum centesimum recepturi, unanimiter laborantes, ut animas peccatorum de faucibus Leviathan extrahentes, postquam ad scientiam erudierint multos, fulgeant tanquam stellæ in perpetuas æternitates. *Hactenus Vitriacus.*

## CAPUT XVI.

*Abbatia S. Genovefæ, olim extra, nunc intra muros urbis Parisiensis.*

SANCTA Genovefa virgo Parisiensis floruit temporibus Valentiniani III. Imp. & Clodovei I. Francorum Regis, obiitque Lutetiæ anno Christi 514.

Cæterum templum ac cænobium istud, anno 500. fundavit idem *Clodoveus*, petente *Clotilde* ejus conjugè, & *S. Genovefa*: Estque dedicatum à *S. Remigio* Archiepiscopo Remensi, in honorem Dei & SS. Apostolorum Petri & Pauli. Fuit olim Clericorum seu Canonicorum sæcularium, quibus amotis, substituti sunt Canonici regulares ab *Eugenio III.* Pontifice Maximo.

Retro aram summam, spectantur columnæ quatuor marmoreæ, quæ sustinent ossa ac reliquias *S. Genovefæ*, loculo pretioso inclusas: ad quem locum frequentissimus est utriusque Sexus Parisiensium concursus: quod magna animi voluptate non semel ipsi spectavimus.

In eodem cænobio spectatur, hodièque tumulus fundatoris *Clodovei* Regis: hac inscriptione;

*Hic est illustrissimus Rex Ludovicus, qui & Clodoveus ante baptismum dictus, Francorum Rex Quintus, sed verus Christianus. Qui ab Anastasio Imp. Consul & Augustus est creatus, hunc S. Remigius baptizavit, & in baptisate ejus, Angelus ampullam sacri Chrismatis detulit. Vi Aquitania Arianos expulit, & totam illam terram, usque ad montes Pireneos subjugavit. Huic per Viennem fluvium, cervus mira magnitudinis viam ostendit, per quam Rex ac milites vadum transierunt,*

sierunt, & in ejus adventu muri Angolismæ civitatis corruerunt, Alemaniam, Loringiam ac Burgundiam tributarios fecit, & terram adjacentem transiit; Parisiis sedem regni constituit, Ecclesiam istam fundavit, in honorem Apostolorum Petri & Pauli, monitis sanctissimæ & non satis commendandæ Clotildis uxoris suæ, & Beatæ Genovesæ, quam Sanctus Remigius dedicavit. In qua post laudabilia opera, rex sepultus est, à quatuor filiis suis regibus Theodorico, Clodomiro, Childeberto & Clotario, Anno Domini quingentesimo decimotertio, regni sui trigesimo.

## CAPUT XVII.

*Niderburgense Cœnobium monialium nobilem, in urbe Pataviensi, seu Passaviensi, in Germania.*

UTILO Dux juxtâ Danubium, Pataviæ Niderburgense Virginum monasterium construxit, & dedicavit S. Pirminius, Metensis Episcopus, circa annum 739. Aventino teste. Otto II. Imperator hanc Abbatiam, olim sui juris, dedicatam in honorem Sanctæ Dei genitricis, unâ cum *Walachunestorf*, cæterisque omnibus pertinentiis, Pilgrino Pataviensi Præfule, ob constantem fidem, Imperatori, in perturbatione Bojariorum, scilicet in rebellione fratris ipsius Henrici Hezilonis, Ducis Baviaræ, præstitam, ac damna hinc enata, perpetuò tradidit, petentibus fratruale Ottone, Duce Bojariorum, atque Wilchgiso Archiepiscopo Moguntino, Anno Domini nongentesimo septuagesimosexto, qua de re extat diploma.

Henricus Sanctus, tum Romanus Rex, ob preces conjugis Kunegundæ, & dilectissimi Ducis Hezelini, dictæ Ecclesiæ dedit partem silvæ *Nortwald*, in Comitatu Adalberonis, à fonte fluminis Ulzæ, usque ad terminum silvæ hujus, ubi separat Bohemiam & Baviarum, & decursum Ulzæ & Rotilæ usque in Danubium juxtâ diploma XIII. Calendis Maji, Anno millesimo decimo, datum.

Heilkæ primæ Abbatissæ sepulcrum, hodièque visitur, cum hac inscriptione: *Anno 1020. in die Sanctæ Theclæ Virginis obiit Heilka, anata Sancti Henrici Imperatoris, prima Abbatissa hujus monasterii.*

Ibidem anno 1095. Non. Maji, obiit Sifala S. Henrici Imperatoris soror, uxor Stephani, Regis Ungariæ, Abbatissa secunda hujus loci, hinc pariter sepulta: quæ tam viro quàm filio orbata, Pataviam ad hoc monasterium venit, in quo primùm habitum monasticum assumpsit; paulò post Abbatissa designata, monasterium præclare illustravit & auxit. Sic ferè Hundius in sua Metropoli Salisburgensi.

## CAPUT XVIII.

*Schlirense Monasterium Germanicè Schliers.*

DE institutione hujus monasterii ad lacum *Schliers*, inter OEnum & Mangualdum flumina ad radices Alpium situm, sic ferè scribit Aventinus in suis Annalibus, lib. 3. *Adlund*, *Hildevald*, sive *Hiltipold*, *Odacer*, *Gariovalda*, sive *Garioald*, *Antonius*, claris orti natalibus ad *Sylorman* lacum, monachis Benedictinis, templum edificarunt, *Aribo* Episcopus *Frisingensis* dedicavit, *Berchtoldum* ipsi patrem dedit, & hoc sub *Tessalone* Duce Baviaræ, circa annum Domini 760. De hac fundatione ita scriptum reperio in libro magno traditionum *Frisingæ*: *Regnante in perpetuo Domino nostro JESU Christo, est in Dei nomine Adalunc, simul cum fratribus nostris, nomine Hiltipalt, seu Kerpalt, necnon & Antonio sive Otatic, inspirante divina gratia, secularia negotia deferentes, locum nobis elegimus de communi hereditate nostra, sive parentum nostrorum in vasta solitudine eremi, que dicitur Schliersee, & ibidem, adjuvante Domino Deo nostro, cellulam more solito construximus. Nam & oratorium cum consensu Episcopi Domini Aribonis edificavimus, deinde advocato prædicto Episcopo ad consecrandam prædictam Ecclesiam, ita factum est. Deinde sub ditione ipsius Episcopi nosmetipsos commendavimus per omnia, & inde de manu Episcopali electum nobis magistrum, virum venerabilem, nomine Berchtol, in nostro suscepimus magisterio. Deinde post biennium complacuit fratribus eligere prædictum Berchtol ibidem Abbatem per consensum fratrum; & adduximus eum ad prædictum Episcopum, qui juxta ordinem regulæ S. Benedicti, electum ordinavit & nobis posuit Abbatem. Ideoque decrevimus cum consensu ipsius prædicti Episcopi nostri, ut secundum auctoritatem S. Benedicti regulam regerent, & ibidem regulariter de ipsis fratribus sibimetipsi eligerent Abbatem, ipso ordinante Episcopo, de domo S. Mariæ: si ibidem forsitan defuerint, tales intra ipsos fratres de domo Episcopali eligant Abbatem, ordinante Episcopo. Actum in prædicto monasterio Schliersee XII. Kalen. Februar. indict. 12. regnante Domino Tassilone, anno 32. Et ipsi subscripti fratres invicem testes exstiterunt. Hos fundatoresputo fuisse familiæ Waldecensium dominorum. Tametsi enim hoc monasterium, cum aliis plerisque*  
circa



circa annum 907. per Ungaros vastatum, per Ottonem Episcopum Frisingensem cum fratre Henrico Duce Bavariæ, ex familia Leopoldi Austriaci Marchionis unà cum aliis monasteriis Bavariæ, circa ann. 1140. restauratum sit, translatis eò *Canonicis regularibus*, nihil tamen eximium contulerunt, utpotè, qui in Bavaria nihil proprii habebant, atque ibi modico tempore imperarunt: vnde pro fundatoribus hujus monasterii ipsi non habendi; sed potius Domini Baldecenses.

Propter vetustatem hujus familiæ, quæ omnia circum circa possedit, post devastationem antiquæ arcis Waldeck, cujus rudera in præalta rupe, supra lacum adhuc extant, in Schliers & Wallenburg, Waldecenses proceres habitaverunt, merum ac mixtum imperium unà cum advocatia monasterii, imò etiam in plerisque monasterii prædiis, à majoribus suis datis, partem censuum, vulgariter, *die Stiftpfenning*, in signum Domini retinuerunt. unde ab ipsis canonicis in libro de origine & fundatione monasterii, anno 1378. scripto, in plerisque locis fundatores illius nominantur, qui ibidem sua sepulchra anniversaria ac sacra habent. Item in quodam contractu inter Canonicos & Dominum Wolfgangum de Waldeck, ultimum illius familiæ, per Sixtum Frisingensem Episcopum, & Albertum Bavariæ ducem, anno 1467. probato, cautum est, ut prædictus Wolfgangus pro altero fundatore haberetur & inscriberetur. Post obitum Waldecensium translatum est hoc monasterium auctoritate Pontificia per Albertum Ducem Bavariæ, una cum Ilmunsteriensi Monachium, & unione facta, instituta est ibi collegiata Ecclesia ad B. Virginem Mariam, anno Domini 1495. Ita ferè Hundius libro citato.

## CAPUT XIX.

*Dononiense Monasterium Canonissarum reformatarum ad Scaldim  
Fluvium secundo lapide à Valencianis, Hannonia oppido.*

**S.** Regina ex consilio parentum, & Pipini Regis, cujus neptis erat, in conjugale confortium accepit Aldebertum, ex primis palatii proceribus, probitate & militia apud Regem clarum, virtute animi & gratia apud Regem Christum clarissimum. Clarebat enim non solum nobilitate sanguinis & opulentia prædiorum, verum etiam omnimoda morum bonitate, & rerum experientia.

Sociati autem in charitatis copula, Deo primum, & postea per Deum sibi invicem placere studebant, totum vitæ suæ cursum decenter ornantes, facti sunt per eleemosynas locupletiores, per humilitatem potentiores. Non enim nudus Christus ante eorum fores moriebatur, sed angustiatis indigentia, & oppressos præjudicio sublevabant. Quibus etiam Deus ex supernæ felicitatis benedictione decem dedit filias, quæ à parentum moribus non dissimiles, omnes elegerant cœlibem vitam, ut transacto cursu, gratiosiores Deo occurrerent. Ædificarunt etiam parentes harum virginum ad Scaldim fluvium, (\*) in loco qui *Dononium* dicitur, cœnobium ad honorem Dei Genitricis, itemque Ecclesiam in venerationem S. Martini; ubi numerosum sanctimonialium numerum, cui *B. Ragenfredis*, filia præfuit, & clericorum Dei gregem instituerunt, redditibus & prædiis decenter ad servitum Dei legatis. Visuntur eorum sepulchra in parochiali Ecclesia, sed corpora elevata sunt, & in monasterii summo altari, in argenteis pheretris quiescunt, *S. Ragenfredis* in medio, *B. Aldeberti* (qui tamen non est canonizatus) in dextro latere, in sinistro verò *Sanctæ Regine*.

Est autem dominium pagus apud Valencenas, in finibus diœcesis Atrebatensis, quam eo loci Scaldis terminat. Ibique S. Regina pingitur cum corona in capite, cujus causa ex antedictis colligi potest, & cum baculo Abbatiali, quia vel prima præfuit, vel si filia memoretur prima, ipsa tanquam fundatrix videtur honorari insignibus Abbatissæ. Sic ferè Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii. De hoc Monasterio vide plura in libro de monasteriis Benedictinis Belgii, per nos edito.

## CAPUT XX.

*Pollingense Monasterium, Canoniorum hodie regularium.*

**POLLING** Monasterium fundatur pro sacratis virginibus unà cum aliis septem monasteriis per Landfridum, Waldramum & Elilandum, fratres, Comites ab Antorf & Loyfa, ut latius de ipsis in monasterio Burenfi traditur. Tassilo Dux, filius Utilonis, Pollingen, & Wesselsprunn ampliavit, & instauravit. Nam juxta monumenta Pollingen-  
Tom. III. *Cann. Regg. Origines.* H fia,

(\*) Dinnonius Gallicè Deniy.

fia, Tassilo Dux ibi venatus, cerva dum fugit canes insequentes, subito substitit, terram effodere non cessans pavida: terrefactus Dux effodit crucem, tabulae affixam, creditur esse ex cornu piscis confecta: Dedicatum est hoc templum à D. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino VI. Kalend. Maji. Tassilo obiit Idibus Decembris, anno 788. juxta versiculum:

*Idibus in ternis decessit ille Decembris.*

Devastatur una cum aliis monasteriis per Ungaros, anno 973. postea per Henricum sanctum reficitur & dotatur, cujus diploma tale est:

*In nomine Sanctae & individuae Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex, si Ecclesiarum Dei loca alicujus doni interventu meliorare & ditare studuerimus, nobis id profuturum esse minime dubitamus. Quapropter omnium Christi fidelium presentium atque futurorum noverit universitas, qualiter nos divini amoris instinctu ac remedio animae nostrae, interventu atque petitione Engelberti, Episcopi Frisingensis Ecclesiae, tale praedium, quale in villis Pollinga, Weilheim, Ubingen, Rieden, Ainsterin, Aschering, Hochenwanc, Pfaffenhoven nominatis, monasterio in honorem S. Salvatoris Domini nostri JESU Christi, in eadem villa Pollinga constructo, prius pertinere videbatur, situm in Comitatu Alberonis Comitis, & in pago Houfi, in beneficium datum multis fuit, nunc etiam cum omnibus ejus pertinentiis seu appendiciis, arvis, aedificiis, pratis pascuis, quaesitis & acquirendis, atque cum familiis utriusque sexus, sive cum omnibus quae quolibet modo dici, aut nominari possunt utilitatibus atque cum cortalibus, decimationibus, in illis duabus villis, Ubingen, & Ascheringen dictis, per hanc nostram regalem paginam corroborando & confirmando ei monasterio, ad usum & stipendia fratrum inibi Deo famulantium integrè concedimus atque largimur, ac de nostro jure ac dominio in ejus jus, & dominium transfundimus.*

*Signum D. Henrici Regis invictissimi, Guntherius Cancellarius vice Willigisi Archicapellani notavit. Datum XVI. Kalend. Maji, indictione 8. anno 1010. Anno vero Henrici II. regnantis octavo. Actum Regenspurch feliciter. Amen.*

Ex quo apparet tempore hujus restitutionis ibidem fuisse religiosos. Scribit Aventinus in Annalibus suis: *Polling & Schlehdorf ab Ungaris affliguntur, amotis illis fratribus, mystæ D. Aurelii Augustini nominantur.* Fuerunt nihilominus ibidem etiam moniales, sicut in plerisque aliis, quas Gisela Imperatrix, Conradi Salici uxor (quæ obiit VI. Kalend. Februarii anno 1041. 42. vel 43.) ejecit ex illo loco, substitutis Canonicis.

## CAPUT XXI.

### *Cisoniensis & Fanopinensis, seu Falempinensis, Abbatiae in Flandria.*

**C**ISONIENSE S. Calixti monasterium, anno 838. fundatum est à S. Everardo Comite Cisoniensi. Est id situm tertio lapide ab Insulis, Flandriae oppido mercatura celeberrimo, quod alteram, sive minorem Antverpianam nonnulli hodie nuncupant. De Sancti Calixti reliquiis huc translatis, vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii, & infra cap.

Fanopinense S. Christophori monasterium apud Insulas Flandriae urbem, pariter situm, ann. 1039. est excitatum.

Utrunque porrò monasterium jam commemoratum fuit olim Congregationis Aroasiensis: de qua vide supra cap. 10.

## CAPUT XXII.

### *Dieffense Monasterium, in Bavaria.*

**H**AUTO, aliàs Hanto, Comes de Andechs, Episc. Augustanus, maximus illius Episcopatus locupletator, & dotator, successit S. Simperto. Praefuit adhuc an. 840. sub Ludovico Pio; habuitque fratrem religiosissimae vitae Rathardum Canonicum, qui monasterii Sancti Georgii Martyris, non procul à vico *Dieffen*, ubi nunc est Ecclesia parochialis, auctor & fundator fuit: quod postea per Arnoldum Malum desolatum & destructum est. Ita Bruschius de Episcopis Augustanis scribens. Anno 1013. instaurata est S. Georgii Ecclesia per quemdam *Adelbeimum*, & fratrem ejus *Adalricum*.

Secunda fundatrix fuit *Kunigunda*, aliàs *Kunessa*, uxor Friderici Comitis Dieffensis, secundi illius nominis, filia non Ottonis Comitis de Valeji (ut liber Dietranzellensis per errorem habet) sed Conradi Comitis Oningenfis, propè Lacum Brigantium & Richlite, quæ fuit filia magni Ottonis Imperatoris I. Ista devotissima matrona post mortem mariti, fundavit Ecclesiam S. Stephani, in qua posuit tres Canonicos Regulares, ibidemque

de-

defuncta est, & sepulta. Aventinus scribit, in ejus sepulchro suo ævo inventum esse laterem coctum, cum inscriptione Latina: *Kunegundis peccatrix, hujus loci fundatrix, istam construens aulam II. Nonis Martii, anno 1020. Anno 1124. Hartuicus Præpositus monasterii Sancti Georgii, cum consensu Hermanni, Episcopi Augustensis, unâ cum suo conventu migravit ad Ecclesiam S. Stephani, propter majorem commoditatem. Ibi Hartuicus Præpositus obiit an. 1170. qui 46. annis laudabiliter præfuit.*

Tertia fundatio facta est anno 1132. juxtâ Bullam Innocentii Secundi, per illustres Principes, *Berchtoldum Comitem de Andechs, & Ottonem Comitem de Wolfrazhausen*, unâ cum uxoribus Sophia & Lauritia, & liberis eorum, qui arcem suam Damasiam verterunt in monasterium, construentes ibi Ecclesiam in honorem B. Mariæ virginis, dotantes eam mobilibus & prædiis, nec non pluribus privilegiis, offerentes eam tutelæ B. Petri & sedis Apostolicæ, cui annuatim unum aureum persolverent.

Aventinus in Chronico ita ponit: *Arnolphi filii, Poppo, Berchtoldus I. Otto Wolfrathus & Gebhardus: hi Damasiam in templum vertere.* Otto Episcopus Bambergensis hanc Ecclesiam multis quoque beneficiis & prædiis juvit, videlicet Kirchein, Munsing, Pierdarf, Schmiechen & Prunnen Ecclesiis; qui obiit anno 1196. Sic ferè Hundius in Metropoli sua Salisburgenfi.

## CAPUT XXIII.

*Albiniacum Abbatia in Territorio, & diœcesi Atrebatensi.*

**S.** Kilianus Episcopus, regio sanguine in Hibernia procreatus, cum multarum virtutum decore polleret, à provinciæ illius clero & populo ad Episcopatum est electus. Cui jugo, licet invitus, humiliter collum subjecit. Contigit cœnobitis ipsius pransuris negligentia pistoris panem deesse: vir Dei succensam officinam intravit, veste sua prunas ejecit, & clibanum mundavit, panemque per stupendam Dei bonitatem suis detulit. Sed dum hoc miraculum passim innotescit, ne elationis tumor subreperet, relicto Episcopatu castella perlustrabat, multos sanando, & regnum Dei prædicando. Eratque præcipuum ejus studium, Sanctorum loca visitare, & eorum orationibus humiliter se commendare. Tandem Romam pervenit, ubi in Ecclesia S. Petri per undecim annos & amplius Deo fervivit. Quibus peractis, peregrinationem resumens, Franciam intravit, & sanctum Fiacrium, quondam patris sui servum invenit; apud quem tamen, peregrinationem præferens, manere noluit. Dum autem propositum impleret, ingressus est Comitis Eulfi curiam, Axonæ contiguam, ubi sitibundo viro uxor Comitis improbè potum negavit. Unde Dei judicio penuria ejus exaruerunt: Eulfus autem re cognita, insecutus est beatissimum Kilianum, & humili petitione reditum ejus impetravit; sed & benedictionem domus suæ. Non enim deerat Dei clementia beato viro in hunc modum oranti: *Domine JESU Christe, effunde super hanc domum gratiam benedictionis tuæ, & quæ peccatis exigentibus perditæ fuerunt, abundantia pietatis tuæ restitue.* Hactenus ex historia, quam ex monte S. Eligii accepi; sed imperfectam. Quare ut eum defectum aliunde suppleam; legitur in Chronico Atrebatensi: *In vico Albiniaco est monasterium Canonicorum, videlicet Sancti Kiliani, qui Scotus fuisse traditur.* Huc etiam pertinere arbitror, quod in vita Sancti Faro- nis Meldorum Episcopi de Chilleno legitur.

*Porro, inquit auctor, Chillenum Scotum, virum sanctum Faro ad Atrebatenses misit, quos ille doctrina & illustribus miraculis ad Christum duxit. Sedente quandoque eodem Chilleno ad mensam cum Farone, poculum vitreum è manibus pincernæ excidens, confractum est. Cernens ea re ministri animum perturbatum Chillenus, vultumque ejus pallore perfusum, clam ei innuit, ut fragmenta poculi ipsi præberet. Quæ cum accepisset, fufis ad Dominum precibus, pro fragmentis, redintegratum poculum homini mœrenti restituit.* Ita Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii.

## CAPUT XXIV.

*Mareolensis Abbatia, in diœcesi Atrebatensi, ordinis olim Aroasiensis.*

**S.** Bertilia Virgo, ex nobilissima Francorum profapia, oriunda, adamata fuit à Guthlando quodam, qui virgini & generositate & divitiis par videbatur. Cui ipsa fortiter reluctabatur; importunis tamen parentum molestiis tandem cessit, & Guthlandum in sponsum accepit: qui cum ea in castitate & omni sanctitate succrevit; quod meritis Bea-

tæ Virginis tributum non ambigitur. Erant autem ambo religione clari, hospitalitate præcipui, castitatis amatores ferventissimi. Beato ergo Guthlando prius ab hac vita discedente, & ut indubitanter tenetur, in paradisi deliciis collocato, S. Bertilia omnia sua patrimonia diverforum locorum monachis, Canonicis, & sanctimonialibus, sub chartarum auctoritate, tradidit. Solum Mareolum reservavit, in quo basilicam condidit, & aram statuit, in honorem S. Amandi. Adjecit & cellulam basilicæ, in qua meritis & annis matura de hoc sæculo migravit. Venerabile autem corpus in dicta Ecclesia est tumulatum; & multi beneficia optata consecuti, virginis nomen celebrarunt. Ob quæ Atrebatenses & eorum vicini de ea in feretrum elevanda, ut publicè & solemniter inter Sanctas veneraretur, Gerardo II. Episcopo suo suggererunt. Publicavit itaque futuram elevationem in die Exaltationis S. Crucis: cumque per supervenientem infirmitatem impediretur, noluit piam populi expectationem defraudare. Quare vices suas quatuor commisit Abbatibus, qui eam elevarunt anno 1181. Deinde 1128. cum vas primum sacrilegi fures auro & argento denudassent, Petrus Abbas dignius vas præparavit; in quo Pontius, Episcopus Atrebatensis, VIII. Idus Octobr. reliquias reposuit cum magna solemnitate. Ipse contulit indulgentias; & Magister Asso, Canonicus Atrebatensis, sermonem ad populum faciebat. De quibus omnibus clarum est testimonium liber vitæ & elevationis, jam olim conscriptus. Scribitur de eadem virgine, ad primum Antistitem Gerardum, lib. 2. Chronici Cameracensis: *Est etiam in vico Maraculo, aliàs Mareolo, monasterium Canonicorum, ubi S. Bertilia quiescit: quæ hoc ipsum suum prædium S. Mariæ tradidit.* Intelligitur autem per S. Mariam cathedralis Ecclesia Atrebatensis. Mareolum enim est Episcopi Atrebatensis, tenuem habens Abbatiam Canonicorum ordinis S. Augustini in Ecclesia SS. Amandi & Bertiliæ.

Quo loco adhuc visuntur fossæ, in quibus Julius Cæsar dicitur castra metatus. Sic ferè Molanus in Natalibus SS. Belgii.

Vixerunt autem in Mareolo Canonici olim sæculares, quos ob liberiorè vitam, anno 1144. amovit Aluifus Episcopus Atrebatensis. Regulares substituit, & Balduinum Balliolanum (qui furnis in Ecclesia S. Nicolai cum laude præfuerat) ipsis præfecit.

Fuit verò Mareolus olim unà ex Abbatibus reformatæ Congregationis Aroasiensis: de qua supra cap. 10. diximus.

## CAPUT XXV.

### *Maloniense Monasterium, in diœcesi Leodiensi, propè Namurcum.*

S. Bertuinus Episcopus ex Hibernia veniens in saltum, qui vulgò appellatur Marignia, condidit oratorium in villa Malonia, ad Sabim, vulgò Sambram, in honorem semper virginis Mariæ. Ubi diu Deo militans cursum suum feliciter implevit. Fuerat in Anglia educatus in Monasterio, cui nomen est *Othbellum*, & in ejusdem parochiæ Episcopum vacante sede, assumptus. Sed divina monitione Romam abiit, ibique duos annos solitarius exegit: deindè in Gallias ad Sambram commigravit, ubi eruditionis suæ radiis tenebras expulit perverſitatis. Cujus virtutes admiratus Odoarius Princeps, Floreſiæ residens, eadem Pipino commendavit, qui Sancto viro villas quinque in voti sui propositum concessit. Ob quam donationem cum quinque pingitur Ecclesiis. Quiescit propè Namurcum, in ditione tamen & diœcesi Leodiensi, in monasterio Canonicorum five Clericorum veteris instituti Sancti Augustini, quod Malonia dicitur; ubi diu Domino militavit. Meminit ejus Sigebertus: *Anno 651. multi de Anglia vel Scotia in Galliis peregrinantes, verbum Dei seminabant, multumque fructum Deo faciebant, scilicet, Otto, Bertuinus, Eloquius.* Ita Molanus in Natalibus SS. Belgii.

## CAPUT XXVI.

### *Chiemseense Monasterium, Hernwerd, olim in der Aw oder Pfaffenwerd, in provincia Salisburgensi, & in diœcesi Chiemensi, nisi fallor.*

DE hujus monasterii fundatione scribit Aventinus, & adfert Arnulphi Regis diploma, in quo dicitur Arnolphum, hunc Regem monasterium istud, vel Abbatiam S. Salvatoris cum Episcopo Metensi, cui ab antiquis Principibus Baviaræ datum erat pro Abbatia Luxovium dicta, commutavisse, & Archiepiscopo Salisburgensi, Diethmaro tradidisse, ut illic pro anima genitoris sui Carolomanni suæque annuatim per omne tempus anniversarii commemoratio in eleemosynarum largitate & pauperum cura peragatur, diplomate

plomate anno 891. Ratisbonæ dato. Otto deinde Imperator plenariè tradidit hanc Abbatiam Friderico Archiepiscopo Salisburgensi, qui fuit Comes à Kiemgen, anno 969.

Aventinus in Annalibus ita ponit: *In Norico Conradus, Fuvavia Episcopus, & Abenspergensis familia oriundus, Chimum templum olim à Tessalona, secundo Duce Bavarie D. Benedicto conditum, ab Ugris ad egestatem redactum, monachis Augustinianis tradit, &c. hoc est, Canonicis Regularibus ordinis S. Augustini.* Sic Hundius ex Aventino, & aliis.

## CAPUT XXVII.

*Chiemseuse Monasterium monialium, Germanicè Frauenwerd.*

DE hujus monasterii fundatione ac progressu, plenè constat ex Henrici IV. Imp. diplomate. *In nomine Sanctæ & individuae Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Ad notitiam, ad memoriam, ad fidem rerum, & firmitatem omne scribitur testamentum, sub qua ratione & hoc scribi, sed unde & quare jusserimus, notum facimus omnibus Christi fidelibus; in quo dum cautius perspeximus, dum diligentius consulimus, eandem rem (res enim alta est) longè suprâ repetere volumus. Ad solam Dei gloriam & laudem, ob salutem animæ, ob remedium peccatorum suorum, Thessalo Rex Chiemensem substituit & fundavit Ecclesiam. Substituit, inquam, & prædiis his dotavit, Evenhausen, Leuchtental, Schonsteten, Tegingen, Sapienzmunster, Puech, Fraunhoven, Hofhaim, Fridefingen, Fraundorf, Palcheigen. His ut dictum est, dotavit, aliisque pluribus. Dotavit & perfectissimam libertatem digna & religiosa institutione, cum judicio in insula sua quæ Nunnuert dicitur, & in omnibus Hofmarchis suis ritè & legitime habendo, sicut aliud regale cœnobium tenetur, liberè & principaliter eidem Ecclesie tradidit, & solis tantum Regibus in tutelam & patrocinium decrevit. In hac libertate ad Carolum usque Regem successorem tuum pervenit, à Carolo usque ad Ludovicum Regem, qui ob ejusdem Ecclesie, quam sibi præ ceteris habuit specialem, filiam suam Irmgardam ibidem præfecit Abbatissam. A Ludovico autem ad Henricum, qui quoque sororem suam Geruïrgam constituit Abbatissam, ob loci nobilitatem & religionem. Ea, ut diximus, libertate à Rege ad Regem descendit & usque ad nos eandem libertatem habuit & pertulit, & ut hæc perfectissima regalis libertas, quam ab auctore suo Tessalona Rege accepit, firma & inconvulsa omni ævo permaneat, hanc chartam conscribi jussimus, & propria manu, ut infra videtur, corroboravimus, nostroque sigillo insignitam omnibus sæculis, ut hæc sciant & reddant, relinquimus.*

*Signum Henrici quarti Regis invictissimi Gebhardus Cancellarius recognovi, anno incarnationis Dominice M. LXXVII. indictione prima anno autem Domini Henrici Regis quarti invictissimi ordinationis 24. regni 22. Ratisbonæ actum feliciter.*

Henricus S. Imperator Chiemensibus virginibus Gerbirgam sororem, Patavienfibus Helican amitam præfecit: Aventino teste.

## CAPUT XXVIII.

*Ranshoviense Monasterium in Bavaria.*

Arnolphus Imp. filius Carolomanni Regis Bavarie & Italiae, ædiculam sacram, quam ad preces Wichingi Episcopi Pataviensis, Cancellarii sui, Christo Domino Deoque nostro, & D. Pancratio à fundamentis in *Randenisdorf* seu *Candersdorf* exstruxit, Ellenbrechto sacerdoti committit ea lege, ut ipse quidem pareret parocho Oetingensi; at post mortem ejusdem, facellum in *Randersdorph* foret sub ditione templi Oetingensium, ubi brachium S. Philippi Apostoli reconditum reservabatur, & pater imperatoris Arnolphi Carolomannus Rex Bojorum & Italiae sepultus est. Exstat diploma Arnolphi, datum anno 898. anno II. regni, imperii autem III. Sequenti quoque anno, hoc est, anno 899. idem imperator Arnolphus duo agri jugera orientem versus, viginti carrucas foeni, molam aquariam in ripa fontis, qui ex clivo, cognomine Prylo erumpit, tantum lignorum quantum opus est & foco & ædificiis perpetuo donat sacerdotibus ibidem rem divinam facientibus. Wichingus superior Episcopus Pataviensis cancellarius Imperatoris Arnolphi, Ifengrininius illustris Comes, ministerialis Imperatoris, hæc impetrarunt sacerdotibus.

Ellenprechtus præfuit huic sacello annis 22. obiit anno 920. post ejus obitum venit in potestatem Oetingensium, sub quorum procuratione & parochia fuit amplius 100. annis.

Anno centesimum *Rantenisdorf*, vel *Ratzendorf*, fuit inter cetera datum in dotem D. Chunigundæ Augustæ à Divo Henrico II. Imperatore Romanorum, ac Duce Bojorum, qui obiit anno 1024. uxor verò anno 1039. Ambo sepulti sunt *Bambergæ* in Tom. III. Cam. Regg. Origines. I templo

templo majori ab ipsis magnificè constructo & dotato. Hunc Sanctum Henricum primum hujus cœnobii auctorem fuisse quædam diplomata testantur.

Anno Christi 1040. Henricus tertius, Dux Bojorum, quintus hujus nominis, profecturus in Ungariam, tradit Ducatum Bojariæ Henrico sexto nepoti ex fratre Divæ Chunigundæ Augustæ; & præsentibus sedecim Episcopis (inter quos præcipui fuerunt Theodomaratus Archiepiscopus Salisburgensis, Bernigerus Episcopus Pataviensis Nizo, qui & Nizerius, Leodiensis Pontifex) templum B. Pancratii refecit, ampliavit, parochiam instituit, certisque limitibus ultra & circa Oenum distinxit, decimasque omnium rerum, piscationum quoque & venationum donavit, quemadmodum in privilegio scriptum legitur. Præfuit ea tempestate parochiæ Sacerdos quidam nomine Hantus, primus parochus. Is administravit Ecclesiam S. Pancratii annis 20. obiit circa ann. Christi 1060.

Hanto quem quidam cum primò eundem esse putant, secundus parochus, fuit, tempore Ottonis, Ducis Bavarix. Is Otto è Bavaria pulsus est ab Henrico IV. Imperatore, Duce Bojorum, ejus nominis septimo, anno 1070. successitque in Principatu Bojaricò Ottonis gener, Welpho primus Dux Bojariæ; qui profectus Jerosolymam, obiit anno 1101. relinquens duos filios, Welphonem secundum Ducem Bojariæ, & Henricum VIII. qui ambo potiti sunt Bojaria.

Circa annum 1085. Segiburga femina quædam cum fratre Erenberto, quædam prædia in Hadelbach (cujus templum anno præcedenti ab Altmanno Archiepiscopo Salisburgensi consecratum fuerat) tradidit B. Pancratio.

Tertius parochus Herenbertus de Phaphing exstitit tempore superiorum Ducum Bavarix Welphonum. Postea evocati sunt *Canonici Augustiniani*, fuitque destructum monasterium decem penè annis, & parochia in cœnobium commutata, quæ administrata fuit à sacerdotibus ut vocant sæcularibus annis fermè 80.

Erat hoc tempore in toto Romano Imperio maximæ auctoritatis Conradus de Abensperg, Archiepiscopus Ratisburgensis, & plerique sacerdotes sæculares, ejus nomine, religione, & justitia moti, disciplinam Augustinianam profiteri cœperunt; ejusque hortatu & suasu Henricus octavus hujus nominis Dux Bojorum, Canonicis & mystis Augustinianis parochiam, & templum Divi Pancratii tradidit, contuberniumque sacris D. Augustini initiavit, ejusque religionis sacris viris & feminis illud dicavit. Nam ibi sacratarum feminarum cœnobium fuisse testantur pleraque vestigia & monumenta, quæ adhuc extant in libris, instrumentis, templo & monasterio, maximè Occidentem versus. Non plures tamen quàm sex receptæ sunt; quarum una fuit præposita. Ita scribit Conradus primus, Divi Pancratii Præpositus: teste Viguleo Hundio in Metropoli Salisburgensi.

## CAPUT XXIX.

### *Schlechdorfense Monasterium, in Bavaria superiore.*

Hoc monasterium situm ad radices Alpium in superiori Bavaria, constitutum seu fundatum est cum *Beurn*, *Polling*, & aliis monasteriis à Landfrido, Waldramo & Elilando, fratribus, Comitibus ab Antorf, & Loyfa, sub Utilone, Duce Bavarix. Devastatur per Ungaros sub Ludovico Imperatore, circa ann. 907. Aventino teste. Reficitur per Henricum Ducem Bojorum, & Ottonem Episcopum Frisingensem fratrem ejus, unà cum *Schliers* & *Scheftlarn*, circa annum Domini 1140. teste eodem Aventino. Alibi idem in Annalibus ponit: *Schlechdorf & Polling post Ungarorum devastationem receperunt regulam S. Augustini. Nam ab initio erant ordinis S. Benedicti* Tenues sunt hoc tempore hujus monasterii census ac reditus, ut vix tres aut quatuor Canonicos alere possit. Dicitur ibi requiescere corpus *S. Tertulini* Martyr. viri industrii ac nobilis Romani sub summo altari,

## CAPUT XXX.

### *Abbatia S. Maglorii in suburbano Parisiensi.*

Temporibus Lotharii Gallix Regis, cum Normanni Britanniam Aremoricam, vicinasque provincias vastarent, *Salvator* Alethenensis, five Macloniensis in Britannia Episcopus Parisios se subduxit, & corpora Sanctorum *Maglorii Sampsonis* & *Maclovii* secum avexit, atque in capella Regia palatii, nunc in parochiam evecta, & S. Bartholomæi nuncupata, collocavit. Quo in loco tunc erant Canonici regulares, qui inde translati sunt

sunt in Capellam seu Sacellum S. Nicolai, quod nunc S. Michaelis dicitur, intra muros palatii Parisiensis.

Cæterum Hugo Capetus Major palatii, & Dux Franciæ eo loco monasterium fundavit, in honorem Sanctorum Bartholomæi & Maglorii circa annum Christi 975. regnantibus in Gallia dicto Lothario & ejus filio Ludovico, illo nomine quinto, hanc fundationem ac dotationem suo diplomate, dicti Reges confirmarunt.

*In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi Lotharius & Ludovicus, divina ordinante providentia Reges Augusti. Dum petitionibus Hugonis Franciæ Ducis rationabilibus & justis, divini cultus amore favemus, superna gratia muniri non dubitamus Proinde noverit omnium fidelium nostrorum presentium, scilicet & futurorum solertia, quia vir prætaxatus honorabilis nostram petiit clementiam, præceptum firmitatis à nobis fieri ex rebus, quas idem piè monasterio Sanctorum Bartholomæi Apostoli, & Maglorii Archipresulis Britannicæ, urbis scilicet Dolenfis, contulit, quod fundavit in urbe Parisiaca, ad sanctorum corpora, quæ ut peregrina hospitabantur per aliorum jura.*

Ex hoc diplomate liquet, non Lotharium Regem, ut quidam existimarant, sed Hugonem Capetum istius monasterii fundatorem extitisse.

Anno 1138. temporibus Ludovici Junioris, Magloriani ob loci angustiam & palatii viciniam S. Bartholomæi templum deseruerunt, & in facello Sanctorum Georgii & Maglorii juxtà vetus cæmeterium sedem suam collocarunt. Quod quidem facellum tunc erat extrà muros urbis Parisiensis.

Anno 1572. Magloriani tertio locum mutarunt, & ex vico S. Dionysii intra muros urbis Parisiensis sitæ, ad suburbanum S. Jacobi hospitale sese transtulerunt, quod hodièque obtinent. Quod quidem hospitale fundavit Philippus Pulcher Galliæ Rex, qui anno 1286. regnare cæpit.

Maglorianum verò Monasterium in vico S. Dionysii situm cessit filiabus, ut vocant Pœnitentibus, seu monialibus S. Mariæ Magdalenæ, quæ illud ipsum, hodièque incolunt.

Abbatiam hanc Maglorianam cum Epiiscopatu Parisiensi Pius IV. anno 1564. univit, quod Senatus Parisiensis, anno 1581. approbavit.

#### *Parisiensis Diœcesis status.*

LVTETIA Parisiorum, regni Galliæ metropolis, Regumque fedes, ad Sequanum fluv. S. Dionysii oppidum, in insula Franciæ S. Denis en France.

Corabolium. *Corbeil.*

Lufarchiæ. *Lusarche.*

S. Campellæ. *Champeaux.*

Turnayum. *Tournay.*

Pontifacæ pars media, cis Isaram: *Pontoyse.* Reliqua enim pars est diœcesis Remomagensis.

Latiniacum. *Lanigny.*

#### *Collegia Canoniorum urbis Parisiensis.*

B. Mariæ collegium Cathedrale.

Capellæ sacre, seu facelli regii, in veteri Regum Galliæ palatio *La sainte Chapelle.*

S. Germani Antiffiodorensis, apud Luparam. *S. Germain de l'Auxerrois.*

S. Oportunæ, in vico S. Dionysii.

S. Benedicti in vico S. Jacobi

S. Mederici. *S. Merry.*

S. Sepulcri Dominici, in vico S. Dionysii.

S. Stephani Græcorum, five de Gressibus, ut in vetustis monumentis legitur, in vico S. Jacobi. *S. Estienne de Grecs.*

S. Thomæ ad Luparam.

Sancti Nicolai, ad Luparam. *S. Nicolas du Louvre.*

S. Honorati, in vico ejusdem nominis.

S. Jacobi de Hospitali, in vico S. Dionysii. *S. Jacques de l'Hospital.*

Sancti Marcelli, in suburbano ejusdem nominis.

His addunt nonnulli minorum velut gentium collegia, in insula urbis Parisiensis domicilium habentia.

S. Ioannis Rotundi. *S. Jean le Rond.*

S. Dionysii de Passu. *S. Denis du Pas.*

S. Aniani. *S. Aignan.*

S. Symphoriani.

*Collegia Canonorum extra urbem Parisiorum.*

- Collegium N. in oppido S. Dionysii.  
 B. Mariæ de Lufarchiis, in oppido Lufarchia.  
 Collegium Campellense, sive de Campellis. *De Champeaux.*  
 Tornacense. *De Tournay.*  
 S. Mauri Foffatensis Collegium: quod olim fuit Benedictinorum monasterium.  
 De Longo Ponte. *De Long Pont.*  
 Collegium de Longiumeau.  
 Collegium de Neofole.  
 S. Trinitatis seu Capellæ regiæ Collegium in arce, seu saltu Vicennarum. *Au bois de Vincenne.*  
 Capellæ regiæ de Vivario. *De Viviers en Brye.*  
 Sancti Mederici de Linariis. *De Lynas en Brye.*  
 S. Clodoaldi S. Cloud, in oppido ejusdem nominis.  
 S. Pauli. *S. Paoul.*  
 De Montmorentiaco. *Montmorency.*  
 Domni Martini. *Damp Martin.*  
 De Piffiaco. *De Poiffy.*  
 De Meaux, Pars urbis dicitur esse Præposituræ Parisiensis.

*Abbatia Canonorum Regularium ordinis sancti Augustini in diocesi Parisiensi.*

- S. Genouefæ in monte. *S. Genevieve au mont*, in urbe Parisiensi.  
 Sancti Victoris ad muros, ejusdem urbis.  
 Liuriacum, Abbatia. *Liurii en Lannoy.*  
 S. Lazari, ibidem, Prioratus in suburbano Parisiensi.  
 Abbatia S. Maglorii, in suburbano Parisiensi.  
 S. Catharinæ, ex ordine Vallis Scholarium, in urbe Parisiensi, ad portam S. Antonii.  
 S. Catherine du Val des Escoliers. Prioratus.  
 Est in hac diocesi & Abbatia Herminiarum, sive Hermeriarum. *Hermieres*, ord. Præmonstratensis: itemque sodalium ejusdem ordinis collegium, in Academia Parisiensi.

## CAPUT XXXI.

*Wettenbusense Monasterium in Suevia.*

Wettenhusium monasterium, Marchionatus Burgoviensis, in Suevia ad Chamlachium annum medio itinere inter Ulmam & Augustam situm, ordinis Canonorum regularium S. Augustini, fundatum est, anno Christi 982. à *Conrado Equite aurato*, & *Wernbero* fratribus, Comitibus de Rothenstein, & *Domina Gertrude*, eorum matre, quæ dicitur esse vera fundatrix. Petiit enim tantum agri à filiis ad extruendum locum sacrum, quantum ipsa unius diei spatio aratro posset circumscribere; quod cum à filiis facile impetrasset ipsa miræ parvitas & levitatis aratrum adornans, id spatium, quod hodie adhuc isti cœnobio paret, obequitans & aratrum in sinu gestans, circumscripsisse & obtinuisse legitur. Sic Caspar Bruschius in Chronolog. monasteriorum Germaniæ.

Spectat autem Marchionatus Burgoviensis, vulgò *de Burgau*, ad familiam Austriacam.

## CAPUT XXXII.

*Abbatia Canonorum regularium in Hispania.*

Ferdinandus I. cognomento Magnus, Legionis & Castellæ Rex obiit an. 1017. Is Abbatiam S. *Isidori* in urbe Legionensi, fundavit ac dotavit, in qua sepeliri quoque voluit. Habet ea nomen à S. *Isidoro* Archiepiscopo Hispalensi, cujus ibidem sacrum corpus adservatur.

Est & Abbatia celebris in diocesi Oscensi, vulgò *Mons Aragoniæ*, Hispanis *Mont' Aragon* nuncupata per Aragoniæ Reges fundata.

In eodem Aragoniæ regno in oppido Calataum, est illustris Abbatia S. *Sepulchri*, cujus loci religiosi crucis signum in veste exteriori gestant.

In



In urbe Barcinonensi, est monasterium S. Annæ, pariter celebre-  
 Conimbricæ floret Abbatia S. Crucis: In qua quiescunt sacra corpora quinque Mar-  
 tyrum Franciscanorum, in Africa pro Christo occisorum. Dicta Abbatia fundata est,  
 ac dotata per Alphonsum I. Regem Portugalliæ, qui obiit anno 1185. cum annos 91. vi-  
 xisset, in dicto S. Crucis cœnobio sepultus: Idem fundavit S. Vincentii cœnobium apud  
 Olisiponem Portugalliæ metropolim.

## CAPUT XXXIII.

*Quercetum Abbatia apud Brugas Flandriæ urbem: Item Abbatia  
 Sancti Trudonis, monialium.*

ANNO CIDL. in suburbano Brugensi conditum est cœnobium Regularis disciplina, cui nomen Quer-  
 cetum. Ita Meyerus in Annalibus Flandriæ. Fuit id fundatum in honorem Sancti  
 Bartholomæi, evocatis primùm religiosis ex Tornacensi monasterio Sancti Marci, seu S.  
 Nicolai in pratis. Flandricè nuncupant *Oechoudt*; fuitque hæc Abbatia olim unà ex iis,  
 quæ ad Congregationem Aroasiensem spectabant: de qua vide supra capit. decimo.

Libet his subnectere Quercetanæ Abbatie foundationem, ex illius loci tabula qua-  
 dam manuscripta.

Anno redemptionis Dominicæ nongentesimo sexto, qua tempestate Dominus Udal-  
 ricus, idem Noviodunensis & Tornacensis Episcopus, cathedram regebat, in parœciali  
 Ecclesia S. Trudonis, in Pomerio urbis Brugensis, non procul à lapideo magno ponte  
 posita, in loco *Odeghem* nuncupato, sacrum initium habuerunt fratres quidam dicti de  
 Capella, sub auspiciis Prioris cappas, quas vocant, nigras gestantes, in modum Guliel-  
 mitarum. Hi fratres, locum præfatum in eodem ritu, ac statu tenuerunt annis centum  
 & tribus, nimirum ab anno nongentesimo septimo, usque ad annum millesimum dec-  
 imum. Quo quidem anno, rem sacram promovente illo, de quo supra diximus reve-  
 rendissimo Domino Uldarico, iidem fratres de Capella, facti sunt Canonici Regulares, ad  
 normam veteris instituti S. Augustini. Quod sanctum institutum ab eodem S. Augustino  
 in Hipponensi civitate, provinciæ Africanæ, primitus ordinatum fuit, circiter annum Do-  
 mini 394.

Porro hoc loco constituti, in Societatem ejusdem nimirum instituti & muneris, eo-  
 dem loco Canonicos quosdam Regulares veteris instituti S. Augustini, ab Aroasiæ mo-  
 nasterio nomen trahentes, ad se perduxere, simulque coaluere. Hi autem Aroasiæ Regula-  
 res Canonici, de quibus diximus, initium habuere anno Domini millesimo. Ex quo fit,  
 ut anno decimo, post institutionem Canonicorum Regularium, præsci instituti sancti Augu-  
 stini de Aroasia, prædicti fratres, de Capella Canonici ejusdem instituti facti sint. Pos-  
 tremò in præfato loco post commutationem ordinis, de quo supra attigimus, permanse-  
 runt annis sex, nimirum usque ad annum Domini millesimum decimum sextum. Quo an-  
 no ad celebrem locum, juxtà Brugas, *Quercetum* appellatum, à quercuum ibi consitarum  
 multitudine, domicilium suum, ac sedem transfulerunt. Quo quidem in loco tam anti-  
 quitate, quam religione venerandus *Everelmus*, præscorum in Thebaide Eremitarum mor-  
 talibus nostris vitam repræsentans postquam anno millesimo quadagesimo octavo anacho-  
 reticam vitam omnium piorum calculis suffragiisque absolutissimam severè agere cœpif-  
 set, eandemque annis duodecim, eodem fervore ac tenore ibidem continuasset, die secun-  
 da mensis Octobris anno Domini millesimo sexagesimo, in suæ Cellulæ sacrario obiit, &  
 ibidem sepulturam invenit. Anno millesimo centesimo decimo sexto, posteaquam præ-  
 dicti Canonici, in Querceti luco jam diu commorati essent, in parœciali Ecclesia Sancti  
*Trudonis in Odeghem*, ad formam ordinis & instituti sui Moniales, iisque præfectam Priorif-  
 sam constitui procurarunt, quarum gubernationem & regimen, cum sollicitæ provisionis  
 cura tam in spiritualibus, quàm temporalibus centum triginta duobus annis habuerunt. Sci-  
 licet, ab anno Domini millesimo centesimo decimo sexto, usque ad annum millesimum  
 ducentessimum quadagesimum octavum. In cujus anni decursu multis difficultatibus, in-  
 ter dictos Canonicos ex una parte, & sorores ex altera subortis, tandem aliquando men-  
 sis Augusti die vigesima prima reverendissimus in Christo Pater Walterus Tornacensis  
 Episcopus (consilium suum & auctoritatem interponentibus, reverendo Domino Abbate  
 Dulcis Vallis, *Suetendale* nuncupati, & illustrissima Margareta, Flandriæ & Hannoniæ Prin-  
 cipe, ac Comitissa) indicavit dictas sorores cum Priorissa, in perpetuum liberar, & abso-  
 lutas esse ab omni gubernatione, seu promissione, quas præfati Canonici in eum diem tam  
 in spiritualibus, quàm temporalibus jure suo sibi reservarant. Post cujus decreti senten-  
 tiam easdem moniales à prædictis Canonicis segregavit, absolvitque, assignans præfatis Ca-  
 nonicis partem unam, dictisque sororibus partem alteram facultatum, bonorumque tem-  
 pora-

poralium, quæ censuerant esse communia. Nec illud prætermittendum est, reverendissimum Tornacensem, de quo postremò diximus, ordinem dictarum Monialium & Priorissæ transtulisse, ad ordinem & regulam S. Augustini, sanctique Victoris & illius ordinis sororibus convocatis, simulque collatis, ex Priorissâ Abbatisam constituisse, (\*) itemque ad ejus rei firmamentum, perpetuamque memoriam impetrasse eis à sancta sede Apostolica robur & confirmationem. Nimirum eodem tempore, quo *Goswinus* hujus Quercetani cœnobii Antistes fuit, *Ufilia* quoque sancti Trudonis Abbatiam obtinuit.

Anno vero Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo, in feriis sanctæ Mariæ Magdalenaë, præfatum illud monasterium S. Trudonis, quod juxta magnum pontem lapideum situm diximus, fulmine deflagavit: postquam calamitatem in loco, quo etiamnum ejus vestigia cernuntur, per præfatum serenissimam Principem Margaritam Flandriæ & Hannoniæ comitissam, translatum ac reædificatum fuit. Quarum postremo sororum cœtus, Sancti nimirum Trudonis, nunc Brugis, cum prius monasterium ab hæreticis dirutum & solo æquatum esset, ad S. Bavonis domicilium se recepere, sibi que adjungere conventum qui quondam fratrum tertii ordinis S. Francisci fuit. Hactenus ex tabula manuscripta.

Operæ pretium fuerit dictis addere, quæ de ejusdem monasterii S. Trudonis me legere memini in Chronico MS. Trudonensi.

*Beatus Trudo habuit, ex parte patris Dominium villæ Brugis nuncupatum cum suis attinentiis, quæ modo est oppidum famosum in terra, quæ vocatur Flandria, juxta quod oppidum monasterium nigrarum monialium, quasi ad dimidium miliare situm est, habens de nomine B. Trudonis sortitum vocabulum scilicet S. Trudonis. Istud monasterium ipse B. Trudo ibidem in proprio suo allodio fundavit & dotavit & in eo LXX. monachos instituit. Sed qua causa postea immutatio sexus contigit, nescitur.*

Hactenus ex Chronico MS. Trudonensi, quæ hic obscurius dicuntur, libet clarius distinctiusque efferre, ex literis Joannæ Plassiæ, ejus loci Abbatissæ jam olim datis ad Joannem Latomum Canonicorum Regularium Priorem in Throno B. Mariæ apud Herentaliam Brabantiaë oppidum. Earum hæc erat sententia.

*B. Trudo loci hujus princeps fuit, & cœnobium condidit, ubi nunc intra urbem Brugensem Basilica (\*\*\*) est B. Virginis; in quo collocavit abbatem cum 80. monachis, ex instituto S. Benedicti. Sed post 239. annos, Danis & Hunnis omnia vastantibus cœnobium fuit eversum, jacuitque desertum, usque ad tempora Baldrici Noviomensis & Tornacensis Episcopi qui adductis aliunde cœnobitis, sed nullius certi instituti, monasterium instauravit: quod non multo post in regulam seu institutum S. Augustini concessit; admissis in societatem monialibus, anno nimirum 1110. Carolo autem Dano rerum apud Flandros potito monasterium traductum fuit extra oppidum, in locum à lapideo ponte haud procul distantem, qui Odegem dicitur. Sed anno Christi 1134. Theodoricus Elsatius Flandriæ Comes rursus intra mœnia locum concessit, qui à multitudine quercuum Quercetum dicebatur, quod nomen illi adhuc hodie superest. At verò traducti sunt tantummodo viri, monialibus in dicto loco extra urbis mœnia remanentibus; communi tamen omnium fortunarium & nomine & possessione. Qua in rerum communiōne manserunt, usque ad annum 1248. quo tempore, Margareta Flandriæ & Hannoniæ Comitissa apud Gualterium Tornacensem Episcopum instante, per Abbatem Vallis dulcis, moniales, quoad fortunas, resque omnes, à Quercetanis monachis sejunctæ sunt. Sed duodecimo post anno, cum monialium cœnobium fulmine tactum penitusque exustum esset, locum illum execrantes, haud procul inde, apud Cortracenses novum monasterium ædificaverunt, in quo etiamnum habitant. Hæc ferè anno 1559. Joanna Plassia Antistita, ex loci monumentis ad Latomum transcripsit.*

## CAPUT XXXIV.

### *S. Nicolai Monasterium, in urbe Pataviensi, seu Passaviensi, apud Germanos.*

DE fundatione hujus monasterii, ita scribit Aventinus: *Altmannus Episcopus Patavia, auxiliò Agnetis Augustæ & Henrici Neoburgensis, extra mœnia urbis Aureliani mystis monasterium exstruxit, circa annum 1050. Literæ foundationis habent annum 1074. De Henrico Neoburgensi in illis nulla mentio, sed de ope aliorum nobilium, & quòd hoc sit factum manu & potestate Ruperti Comitis. In Chronicis scriptis monasteriorum Bavariæ, invenio, in hoc loco olim à Tesselone, Bavariæ Duce, fuisse fundationem factam. Ut sit, Imperatrix Agnes juxta tenorem fundationis, dedit fundum, in quo monasterium ædificatum est, cum duobus hortis, & duobus prædiis in eodem loco. Item dedit novam partem omnium bonorum suorum, quæ possidet in Profepug & in Vespurgir.*

Reliquum dedit Episcopus de suo patrimonio, non de Ecclesiæ bonis,

CAPUT

(\*) Abbatia monialium S. Trudonis.

(\*\*) Basilica S. Mariæ Brugis quæ est hodie collegiata.

## CAPUT XXXV.

*Loensis Præpositura in Flandriæ Comitatu.*

**L**OA Flandriæ vetus oppidum distat Furna, Dixmuda & Honschota duobus milliariibus. Dimidia oppidi pars pertinet ad Præposituram Abbatialem Canoniorum Regularium, eo loci anno 1050. fundatam.

Initium dotationis fecerunt *Philippus* Ipræ Burggravius, *Roberto* Frisio, Flandriæ Comite natus, ejusque filius *Guilielmus* Iprensis, qui Ecclesiæ Loensi dederunt terram præconis, Comitatum, stallum totius oppidi, telonium, exactionem, cunctumque ibi jus suum seculare, exceptis gladio & moneta: ut in diplomate donationis legitur. Confirmarunt id Flandriæ Comites, *Carolus Pius*, ann. 1122. & *Philippus Alfatus*, anno 1181.

## CAPUT XXXVI.

*Italiae Cœnobium, Canoniorum Regularium.*

**A**NNO 1062. ordinem Canoniorum regularium S. Augustini Romæ, item Lucæ apud S. Frigidianum, & alibi in Italia ab *Alexandro II.* Papa restitutum testatur *Onulfrius*, in Chronico suo Ecclesiastico.

Idem tradit anno 1231. Congregationem Canoniorum regularium S. Marci Mantuæ inchoatam fuisse.

## CAPUT XXXVII.

*Sancti Auberti Abbatia Canoniorum regularium, in urbe Cameracensi.*

**S.** AUBERTUS Episcopus Cameracensis fulsit temporibus *Dagoberti*, *Dagoberti* inclyti Francorum Regis, sacerdos Christi probatissimus, sub quo & per quem *Hannonia* mirabiliter in Christiana religione cæpit florere & vigere. Habuit enim in ea discipulos, *Landelinum* Abbatem *Crispinii*, *Vincentium Madelgarium* Comitem, & conjugem ejus sanctissimam *Waldetrudem*. Horum sanctitati adjunxerunt se etiam multi Apostolici prædicatores ex *Scotia* & *Gallia*: quibus sanctissimus *Gislenus* ex *Græcia* accessit. Per quas columnas felix *Hannonia* Christo Domino est incorporata, ac fidei Christianæ initiis imbuta.

Dolendum est tanti Pontificis vitam magna ex parte nesciri. Quod nescio utrùm scriptorum ignaviæ debeat imputari, an justo Dei judicio, qui stellas claudit quasi sub signaculo, dum videlicet exigentibus peccatis malorum, vita absconditur bonorum. Sepultus est *Cameraci* extra muros in *S. Petri* Ecclesia, quæ ampliatis mœnibus nunc est intra muros, *Sancti Auberti* Abbatia. Sepulcrum autem ejus Deus multiplici miraculorum gratia mirificavit, potissimum tamen per dies 40. ann. 24. Episcopatus *Gerardi* Cameracensis Episcopi. Quo etiam jubente *Fulbertus*, Doctor clarissimus, librum scripsit, quoad potuit, de vita & miraculis *S. Auberti*, qui exstat in Tomo ultimo *Laurentii Suri*.

Cæterum Abbatia *S. Auberti* fuit olim templum *S. Petro* Apostolo sacrum, in quo primùm resederunt clerici, sive sacerdotes sæculares à *S. Auberto*, ibidem ut creditur collocati: his postea substituti sunt Canonici regulares Congregationis *Lateranensis*, ut quidam tradunt. Utut sit, templum istud anno 996. exustum *Herevinus* XXX. Episcopus, an. 999. instauravit. Cæterum corpus *S. Auberti*, quod *Dodilo* XXI. Episcopus propter incursiones *Normannorum* in urbem ad Ecclesiam *Deiparæ* transtulerat) *Gerardus* XXXI. Episcopus ann. 1025. Ecclesia, ut loquuntur, reconciliata, suo pristino iterum loco restituit.

*Libertus* verò XXXII. Episcopus Canonicos sæculares in ordinem redegit, & *S. Augustini* Regulæ anno 1066. subdidit; in qua excolenda etiamnum gnæviter perseverant, ipsis nunc Urbis mœnibus inclusi.

*Abbas Primus* anno jam dicto, urbe ejectus fuit *Bernardus*, qui annis 23. præfuit. Liceat hic subjungere testimonium *Jacobi Vitriaci* Cardinalis, qui in *Historia Occidentali*, cap. 21. sic scribit:

Conventus Canoniorum regularium sancti Joannis in vineis *Suessionensis*, & sancti *Oberti* *Cameracensis*, & sanctæ *Mariæ Blesensis*, & sancti *Nicolai de Oegnes*, cum quibusdam aliis quasi pauci racemi consumpta vindemia, in virtute religionis & fervore caritatis, & decore honestatis permanferunt. Ascendentes de virtute in virtutem & odore bonæ vitæ & sanctæ conversationis multos allicien-

*allicientes de mundi naufragio ad congregationem suam tanquam ad securum tranquillitatis portum traxerunt.* Hactenus Vitriacus, qui obiit anno Dom. 1244.

Cæterum monasterii hujus, uti & Montis S. Eligii regulares Canonici violaceis hodie togis ac pileis utuntur.

## CAPUT XXXVIII.

*Abbatia Montis S. Eligii in agro & diœcesi Atrebatensi.*

**M**ONS S. Eligii nomen habet à S. Eligio Noviomensi ac Tornacensi Episcopo, qui ibidem in Sacello quodam solitus est orationi ac contemplationi vacare. Ejus ut amici ac familiaris quondam sui vestigiis insitens S. *Vindicianus* Atrebatensis & Cameracensis Episcopus, circa annum 678. in eodem monte Canonicos sæculares collocavit, quos B. *Lietbertus* Episcopus, cum vitæ essent liberioris, ann. 1068. ad regularem vitam amplectendam permovit.

Quiescit hoc in monasterio dictus S. *Vindicianus* Episcopus, à Fulberto XV. in Episcopatu successore an. 885. elevatus.

Primus Abbas hujus loci à B. *Lietberto* constitutus fuit JOANNES: qui cum annis 40. præfuisset, vivere desiit anno 1108.

## CAPUT XXXIX.

*Watanensis sive Watenensis Præpositura, in Flandria, secundo lapide sub Audomaropoli.*

**A**NNO dō. LXXII. instituti ab Roberto Friso, Flandriæ Comite, Canonici disciplinæ Regularis apud Watanas, illisque Odfridus sacerdos religiosissimus datus Antistes; qui ædiculam ibi quandam divo sacram Richario, ab Alfunino presbytero acceptam auxit vertitque in monasterium. Id monti est impositum ad Enulam amnem in extremis Casletensium, qua eorum spectant, finibus; duobus distans miliaribus ab oppido S. Audomari, ubi cuniculi subterranei procul ex monte, ut referunt, deducti, vetustæque arcis fundamenta claram loci antiquitatem arguere videntur. Tradunt incolæ, fuisse Watanum Batavorum olim Coloniam. Cum autem Odfridus antistes abolere hic contenderet divi Richarii memoriam, ac venerationem introducere divi Nicolai, obstiisse narrant ejus consilio populi Menapiensis agri consuetudinem, qui eo ad sacra Richarii stato quot annis die convenire non cessabat. Hac autem tempestate ad memoriam venerationemque divi Egidii undique illd concurritur. Huic cœnobio attribuit Adela Roberti Frisii mater Balinbergam ad occidentalem plagam Caleti Montis (sic enim scribunt pro Casteti) super fluvium Penam, Joannes advocatus Atrebatium & Hermentrudis uxor ducenta viginti agri jugera in pagis Stenis, Petinghem, & sacello Erenboldi. Et Gilboldus Fleternensis eques Flandrus in Thiggabusco agri jugera viginti.

Obiit autem Odfridus Primus hujus cœnobii Antistes anno 1085. Sic ferè Meyerus in Annalibus Flandriæ. Est autem Watanense, sive Watenense monasterium, situm ad fluvium Aa (qui inde per Gravelingam lapsus in Oceanum devoluitur) & unitum cum Episcopatu Audomaropolitano.

De eodem monasterio sic legitur in MS. Chronico Bertiniano per Joannem Iperium Abbatem S. Bertini conscripto.

Anno millesimo septuagesimo secundo, Robertus Friso Flandriæ Comes, fundavit monasterium Watenense Canoniorum regularium, in honorem Beatæ Mariæ Virginis, ubi prius Ecclesiola fuerat beati Richarii Confessoris. Sic Iperius.

## CAPUT XL.

*Abbatia S. Joannis de Vineis apud urbem Sueffionensem, & aliæ in Gallia.*

**I**llustre istud S. Joannis monasterium anno 1076. condidit Hugo, Castri Theodorici Dominus. Est & alia apud Sueffiones Abbatia, nimirum S. *Crispini* in Cavea, quæ olim fuit Congregationis Aroasiensis: de qua vide suprâ cap. 10.

Abbatiam S. *Mariæ Magdalene*, apud Castrodunum, fundavit Carolus Magnus; quam postea Innocentius Secundus, Eugenius Tertius: & alii Pontifices Romani multis privilegiis donarunt: ut testatur Choppinus lib. 2. *Monasticon*,

Abba-

Abbatiam S. *Mariæ de victoria* in urbe Silvanestensi (quæ est una ex tredecim Abbatibus Victorianæ congregationis reformatæ) fundavit, ac dotavit Ludovicus Crassus Galliarum Rex anno 1131.

Abbatiam S. *Rufi de Valentia* in Delphinatu, suæ congregationis caput, anno 1092. multis privilegiis Urbanus II. ornavit: teste Choppino lib. 2. monast. tit. 1.

Cæterum Reformata Canonicorum Regularium S. Rufi Congregatio circa annum Christi 1107. sumpsit exordium: de qua vide supra cap. 11. Abbatiam S. *Martini Nivernensis*, à qua multi Prioratus dependent, idem Innocent. II. privilegiis anno 1130. stabilivit.

Monasterium omnium Sanctorum in d. Catalaunensi anno 1063. à fundamentis excitavit Rogerius II. Episc. Catalaunensis.

In Gallia itemque in Hispania, multæ Ecclesiæ Cathedrales seu Episcopales, olim fuerunt Regulares, sive Canonicorum Regularium: ut *Tolosana*, teste Choppino lib. 1. de Politia sacra tit. 3. Item Cabilonensis S. Vincentii, teste Petro San-Juliano lib. de Antiquitatibus Cabilonensibus. Item Sagiensis, & aliæ.

Sicut Cæsaraugustana in Hispaniis Ecclesia Metropolitana fuit Canonicorum Regularium, usque ad tempora Philippi II. Regis Catholici.

## CAPUT XLI.

*Reicherspergense Monasterium apud Bavaros.*

Cœnobium istud ad Oenum supra Ebdreberch & Passau fundasse scribuntur Bernardus Comes de Reichersperg, & Dietpurga ipsius conjunx, quæ fuit soror Gebhardi Archiepiscopi Salisburgensis, ex familia Comitum de Helfenstain, ut refert Munsterus in sua Chronographia, ex relatione Lucretii Cancellarii Salisburgensis, & Bruschius, ubi de Laureato veteri, sub Altmanno Episcopo, agit.

In Chronicis autem Salisburgensibus non fit mentio ipsius Gebhardi familiæ, præter ista verba, *Alto Suevorum genere natus, patre Catholdo, & matre Agata*. Aventinus scribit, Bernardum & conjugem ejus Dietburgim sororem Gebhardi Salisburgensis Episcopi, unà cum filio Gebhardo, Comitibus à Plain, Reichersperg fundasse. Credibile est illos Reichersperg possedisse, prout alia multa bona in Austria, supra Anassum, Bohemiam versus: De quo vide librum Stemmatum Bavaricæ.

Conradus Archiepiscopus Salisburgensis, dedit huic monasterio, pro meliori sustentatione pauperum 61. fratrum, decimas parochiarum, Putinæ & Bramberg, unà cum decimis novalium in silva Putinensi, usque ad terminos Ungarorum, & usque ad montem Hartperg; excepta tamen Canonica ibidem portione parochorum, an. 1142.

Confirmat ac magis declarat hanc donationem successor Conradi, Eberhardus Archiepiscopus, anno 1156.

Similiter quoque Conradus Archiepiscopus, anno 1448.

In libro decimo, Rapsodiæ Joannis Aventini, ita annotatum reperio: *Anno Domini 1084. Reichersperg Castro, Wernberus præpotens Bojus, super flumine Oeno, Pataviensis diocesis, uxor ejus Dietpirga, soror Gebhardi Archiepiscopi Salisburgensis. Is post mortem unici filii Gebhardi & uxoris, cum oriretur lis eo vivo inter agnatos ejus de hereditate, castrum demolitur, D. Michaeli templum dedicat, Canonicis regularibus attribuit: post Albinus, filius Arbonis, fratris hujus Wernberi, vivente patruo, sacerdotem pellit, prædium occupat, Wernberus in tutelam præsentis Gebhardo Archiepiscopo Salisburgensi tradit, pauloque post obiit III Non. Octobris, ad aram Sanctæ Crucis, cum filio & uxore sepultus. Sic ferè Hundius in Metropoli sua Salisburgensi.*

## CAPUT XLII.

*Evershamensis Præpositura apud Furnas Flandriæ oppidum.*

ANNO c10. xci. inceptum est monasterium in agro Furnensi, cui nomen Eversham, super fluvio Isara, juxta Stavelam, Walberto Canonico Castletensi, ibi altare D. Petri ad ipsum offerente; quod & Gerardus Morinorum Episcopus libertate donavit. Ita Meyerus in Annalibus Flandriæ. Alii Canonicum istum vocant Waltherum. Auctum est postea monasterium mirificè ac dotatum à Roberto Hierosolymitano Flandriæ Comite, ejusque matre Gertrude.

## CAPUT XLIII.

*Plenipedense Monasterium, in diœcesi Bituricensi, & alia  
in Gallia.*

**R**ICHARDUS II. Bituricensis Archiepiscopus monasterium istud ordinis Augustiniani struxit, ac dotavit: in quo & anno 1092. obiit.

In urbe Ambianensi, est celebris Abbatia Sancti Martini Gemellorum, vulgò *des Gemeaux*, Congregationis Victoriæ, cùm Episcopatu Ambiacensi unita. Ante summum altare notatur locus, in quo sanctus Martinus adhuc catechumenus, & postea Turonensis Episcopus, chlamidem suam scidit, & pauperi petenti dedit. Fuit enim eo loci olim urbis porta. Quæ omnia volupe nobis fuit ex adjuncta inscriptione discere, cùm ante annos aliquot Ambiani essemus.

## CAPUT XLIV.

*Iprensè S. Martini olim monasterium, in Flandria.*

**B.** JOANNES Morinensis Episcopus ad Ipram fluvium, quem Decretales Ipretum vocant, an. 1101. monasterium insigne, in honorem S. Martini construxit. Cui quidem monasterio religiosi hominibus admodum efflorescenti, postea omnium Iprensis oppidi parœciarum procuratio est commissa.

Monasterium istud, multiplicatis in Belgio Episcopatibus, patriâ memoria versum est in Collegium cathedrale Iprensè Canonicorum sæcularium. Vide origines nostras Collegiorum Canonicalium.

## CAPUT XLV.

*Argentinenfis Episcopatus monasteria: & nominatim Marbachense,  
in Alsatia superiore, & Truttenbusanum.*

**I**N diœcesi Argentinensi undecim fuerunt Abbatie ordinis S. Benedicti, quarum pleræque adhuc supersunt, vigent, pollutæque, paucae in Canonicorum collegia sunt conversæ. Nomina si quis requirat, infra posita sunt.

Novientum, five Ebersheim.

Offonis cella. nunc Scutera.

Mauri monasterium.

Nova Villa.

Hugonis curia.

Wissenburgum.

Arnolfsaugia, nunc *Schwarzach*.

Ettenheimium.

Saletio.

Altorfum.

S. Walpurgis.

Gengenbach, super novum castrum, Cistertiensium.

Marbach, S. Augustini Regularium.

Trauttenhause, itidem S. Augustini Regularium.

Alia aliorum sunt ordinum & legum monasteria & collegia pluresque etiam Præposituræ insignes & opulentæ, ut sunt S. *Fidei*, *Slestadii*, *Leboracensis*, *Surburgensis*. Nam feminarum monasteria amplissima & principalia quid commemorem *Altitonam*, vulgo, *Hochberg*, *Eristein*, *Andlau*, virginum nobilium receptacula; ut planè illud constet, sicuti nobilitate Argentinensis omnes reliquos orbis Christiani Episcopatus facilè antecedit: ita religionis cultu & pietate quàm paucissimis concedit. Sic Franciscus Guillimannus libro de Episcopis Argentinensibus, capite decimo.

Cæterum anno millesimo nonagesimo quarto, vir pius *Manegoldus* monasterium Canonicorum D. Augustini apud *Marbach*, in Alsatia superiore condidit, auxilio & opibus viri nobilis *Burchardi à Gebelsüiler*, sèque iisdem aggregavit: ut in vita Othonis XLIII. Episcopi Argentinensis, idem Guillimannus testatur.

Anno 1137. Conradus Canonicus Argentinensis condidit Collegium Regularium *Itenville*.

*Trutten-*

*Trutenhusanum seu Trautenbause* Canonicorum Divi Augustini monasterium *Herradis* Abatissa Hohenburgi ad ipsius montis pedem extruxit, ut eorum operâ in administratione rerum spiritualium & temporalium uteretur. Quod quidem monasterium Henricus Episcopus Argentinenſis anno circiter 1181. dedicavit: teste eodem Guilimanno.

## CAPUT XLVI.

*Aroasia Abbatia in Artesia, Galliae Belgicae provincia.*

ANNO 1097. Conon & Heldemarus, duo pii sacerdotes fundarunt Abbatiam Aroasienſem, vulgò *Arovage*, secundo lapide à Bapalma Artesiae oppido, in honorem SS. Trinitatis.

Fuit hæc Abbatia viginti octo, olim Abbatiarum velut princeps, & totius congregationis Aroasienſis caput: sub qua olim continebantur, *Henniaticum*, *Cisonium*, *Zunebeca*, *Quercetum*, *Rivovilla*, *Mareolum*, *Warnestunum*, *Fanopium*, *Dulcis Vallis*, Belgii monasteria, præter varia regni Galliae cœnobia.

Fuit & hujus olim Congregationis monasterium Sancti Patritii Dubliniense, in Hibernia, à S. Laurentio Archiepiscopo Dubliniensi fundatum. De his plura vide supra capite decimo.

## CAPUT XLVII.

*Diethramzellense Monasterium juxtâ Isaram, in Bavaria.*

ANNO 1099. duo pii & devoti viri, *Otto* & *Berengerus* cum quodam venerabili sacerdote *Diethramo*, majoris devotionis & pietatis causa in Eremum *Eglingesfurt* nomine secesserunt. Cum verò ibi duos annos mansissent, propter aquæ penuriam, domicilia sua ad rivum ejusdem silvæ transtulerunt, & Ecclesiam eodem in loco in honorem S. Martini extruxerunt. Cum verò inter viros quosdam nobiles, eodem tempore de terminis & finibus hujus silvæ contentio oriretur, *Otto Comes de Dieffen*, cum duobus filiis suis *Ottone* & *Henrico*, Abbas *Udalsalvus de Tegernsee*, cum advocato suo, *Reimpertus de Keut*, cum fratribus suis, *Ruperto*, *Adelberto*, & *Liebhardo* & alii plures convenerunt. E quorum numero duodecim hujus negotii arbitros elegerunt, qui dato juramento, limites unicuique parti proprios designarunt, & hanc silvæ partem tanquam vacantem possessionem judicarunt: cui decisionis & transactioni fratres de Reut, nequaquam acquiescere voluerunt.

Interim Dei omnipotentis instinctu mutati, omnes concorditer prædictam silvam non solum vacantem, verum etiam cuique parti addictam ad monasterium deputarunt, quin etiam alios vicinos fundos ac bona pro ædificatione monasterii tradiderunt. *Diethramus* porrò missus est Romam, & à Pascali Pontifice confirmationem hujus rei obtinuit anno 1107. Ex qua intelligitur prædictos viros nobiles cœnobium simul fundasse, & multis donis auxisse.

## CAPUT XLVIII.

*Pompurg seu Pampurg, in Bavaria*

EST monasterium Canonicorum regularium S. Augustini ad confluentes duorum fluminum *Train* & *Alg*: de cujus fundatione ita scribit *Joannes Aventinus* lib. 5. *Annal. Bavariae*: *Adhaid* filia *Cunonis*, *Comitis de Megling ac Irnogardæ*, cum marito *Berengerio*, filiis, *Berengerio* & *Cunrado* à *Sulzbach* (oppidum id *Nariscorum* est) dynastis ad confluentes *Train* & *Alisæ*, *Pampurg*, ubi humati perhibentur, collegium Augustinianis constituunt.

Idem *Aventinus* lib. 7. ponit. *Pampurgium* olim arcem fuisse in *Boiaria Noricorum*, ad radices *Curvanæ* montis & confluentes *Azali* atque *Train* sitam, nunc in collegium Augustinianorum mystarum commutatam.

Inscriptio lapidis in pariete templi dicti monasterii ita habet: *Hoc in loco sepulti sunt mariti illustris Comitissæ Adelhaidis, fundatricis hujus Ecclesie, quæ fuit illustris Principis Bavariae (id est Comitis) Cunonis filia, Marquardus Comes de Hohenstein & Marquartstein, Ulricus Comes de Pictavia (id est Pitten in Austria) & Berengarius Comes de Sultzpach. Sic ferè Hundius in sua Metropoli Salisburgenſi.*

## CAPUT XLIX.

*Beurbergense, vulgo Peilbergense monasterium, ad Loysam,  
in Bavaria.*

EST id ædificatum per *Othonem, Eberhardum, & Conradum de Irinspurg*, fratres: at secundum *Aventinum*, per *Eberhardum* & fratrem ejus *Albertum*, qui Imperatori *Henrico* quarto plurimum acceptus fuit, unà cum conjugè *Alberti Bertha*, & filio *Othone* dicatumque circa annum 1100.

Confirmatio autem *Calixti* secundi Pontificis, scripta ad *Othonem* fundatorem (quem vocat nobilem & illustrem *Othonem* de Castro *Yringi*) ipsius tantum mentionem facit, quòd ipse prædium suum in *Peilberg* dederit, ut ibi in honorem *S. Petri & Pauli* pro regularibus fratribus Ecclesia construeretur, dans monachis facultatem quem velint advocatum liberè eligendi. Datum *Laterani*, anno 1121.

Sepulti sunt in hoc monasterio duo ex fratribus fundatoribus in abside meridionali, tertius in monasterio *Wiltha*, ordinis *Præmonstratensis*, in *Tyrolensi* Comitatu. Sic ferè *Hundius* libro cit.

## CAPUT L.

*Abbatia de Daucourt, in Artesia.*

ANNO 1101. Abbatiam hanc in diœcesi *Atrebatensi* fundavit *Odo* pius sacerdos, in honorem *Deiparæ*, cum *Lambertus* *Atrebatensis* Episcopus facultatem dedisset sodales colligendi. Dotem monasterii auxit idem *Lambertus* Episcopus.

## CAPUT LI.

*Bornhemianum olim Monasterium, in Flandria.*

LIBET hoc loco meminisse vetusti monasterii *Bornhemiani*, in *Flandriæ* finibus haud longè à *Scaldi* fluv. olim siti. Fuit id olim *Canonicorum regularium* cœnobium *Abbatiali* titulo insignè, à *Wennemano* *Castellano Gandaveni*, & *Manasse* *Cameracensi* Episcopo, anno 1101 constructum.

Quod postea, anno scilicet 1120. (tradente Abbate, & *Canonicis* ejus loci monasterium *S. Benedicti* regulam amplectentibus regendum suscepit *Fulgent. I.* Abbas *Affligemiensis*, sicque *Bohemiana* tandem cella ad monasterium *Affligemiense* in appendicibus universis à *Calixto II.* Pont. Max. translata est. an. 1122. *Burchardo* *Cameracensi* Episc. adfœtiente. Hæc ex *Anselmi* *Abbatis Genblacensis* *Appendice* ad *Sigeberti* *Chronicon*, itemque ex monumentis Ecclesiæ *Bornhemianæ* desumpsimus. Vide plura in *Originibus* nostris *Benedictinorum* monasteriorum per *Belgium*.

Cæterum *Bornhemium* celebris est *Flandriæ* pagus, *Baroniæ* ut vocant, titulo decoratus, in quo perantiqua est *Basilica*, cum *crypta* item veteri sub *Odeio*. Ponè ipsi vidimus rudera ac vestigia claustrum olim monastici. Fuit autem *Bornhemium* ad nostram usque ætatem *Præpositura*, in qua monachi aliquot *Affligemienses* residere solent.

## CAPUT LII.

*Berchtolsgadense Monasterium in Bavaria.*

IOANNES *Aventinus* in hac fundatione variat; nam libro 5. *Annalium* sic scribit: *Chuno* à *Medling* & *Frontenhausen*, *Satrapes Comes Sars* & *AW*; *Uxor* ejus *Irmogarda* in agro *Salisburgensi* *Berchtolsgaden* (ubi sepulta est filia *Adelheidis* cum marito *Beringerio*, filiis, *Beringerio* & *Conrado* à *Sultzbach*, comitibus, quod est oppidum *Nariscorum* ad *Confluentes Train* & *Alifsi*) *Pampurg* ubi humati perhibentur, collegia *Augustiniani* instituerunt. Sed idem *Aventinus* in suæmet translatione *Germanica* aliter narrat: *Chuno*, *Comes* à *Medling*, fundat *AW*, *uxor* sua *Irmogard*, filia *Adelheidis*, cum marito *Comite Beringerio*, & filiis *Beringerio* & *Conrado*, *Comitibus* de *Sultzpach*, instituerunt seu fundaverunt *Berchtolsgaden* & *Bamburg*.

Idem postea in *Annalibus* in *Genealogia* *Comitum Sultzpacensium* soli *Beringario* patri hæc tribuit. Idem facit in suo *Germanico* compendio, Sed in monumentis & diploma-



plomatibus Berchtolsgadensibus reperitur (quod & verum est) Comitem Beringerum & fratrem ejus Chunonem, de Sultzpach, unâ cum ipsorum matre Irmogarda instituisse Berchtolsgadense monasterium in honorem S. Joannis Baptistæ & S. Petri, ac multis bonis ditasse anno 1108. Ex quo apparet, Aventinum in nomine Irmogardæ errasse. Nam Irmogarda fundatrix mater erat Comitis Beringeri, non Socrus: ut tradit Hundius in Metropoli Salisburgenfi.

## CAPUT LIII.

*Novum Monasterium Abbatia apud Huyum oppidum, diœcesis Leodiensis ad Mosam fluv. Gallicè Neumoostier.*

Cœnobium istud condidit *Petrus Eremita*, cujus historiam nemo plenius aut verius conscripsit, quam Willelmus Archiepisc. Tyrius, regni Jerosolymitani Cancellarius. Erat de Episcopatu Ambianensi re & cognomine Eremita, statura pusillus, & quantum ad exteriorem hominem, persona contemptibilis. Hic orationis & devotionis causa Jerosolymam pervenit. Ubi cum diligenter de oppressione Christianorum cum lacrymis scrutaretur, & à Græcorum imperio, quod vix sibi sufficiebat, nihil sperari posse intelligeret, sed tantum à Romana Ecclesia & Occidentis Principibus, obtulit sese in remedium animæ suæ legatum, si Simeon Patriarcha ad dominum Papam, & Ecclesiam Romanam, & Princeps Occidentis, scriptum sigilli sui autoritate corroboraret. Visus est & Dominus JESUS Petro in Ecclesia S. Resurrectionis dicens: *Surge, propera, & quæ tibi sunt injuncta, intrepidus perage. Ego enim tecum ero.*

Quare peractis de more orationibus & impetrata Patriarchæ benedictione, prospera navigatione Barum pervenit. Unde Romam profectus, circa illas partes Beatum Urbanum invenit, fideliter & prudenter legationem exposuit, literas porrexit, miseras & abominationes Terræ sanctæ explicuit. Pontifex legatum benignè suscepit, & mox in Gallis fidelem cooperatorem fore se promisit. Unde Petrus transcurrens Italiam, Alpes transiens, zelo divino succensus, Occidentales Principes increpat, instat, arguit, ut afflictis fratribus succurrant, & loca sacra expurgent. Plebem quoque & infimæ sortis homines animabat. Cui Dominus tantam gratiam contulerat, ut rarò sine fructu populos conveniret. Fuitque Domini Urbani Papæ præcursor usque in Gallias, ubi jam dictus Pontifex in celebri Synodo Claromontana legationem ejus aperuit, & Principes ad bellum sacrum exhortatione evocavit. Nec satis ei fuit ad hanc viam innumeros incitare, sed post captam quoque Jerusalem in multis utilis cum exercitu Dei perseveravit. Tunc summa cum gratulatione exceptus fuit à Christianis, à quibus ante quinque annos suam legationem acceperat. Cum autem urbe feliciter occupata in Belgium redisset, fundavit in suburbio Hoyensi *Novum Monasterium*, in quo Prior obiit; cui postea *Hugo de Petra-ponte*, Episcopus Leodiensis Abbatem dignitatem adjecit. Fundavit autem id potissimum sumptibus Cononis Comitis Montis-acuti, & *Lamberti* Comitis Clari-Montis, qui cum in terræ sanctæ subsidio naufragium passi, Deo Ecclesiam vovissent, mox serenitatem obtinuerunt. Proclamatur autem annuè eo in loco beati viri memoria sequentibus verbis: *Octavo Idus Julii, anno Domini 1115. obiit Dominus Petrus venerabilis Sacerdos & Eremita, qui primus prædicator sanctæ Crucis à Domino meruit declarari. Hic post acquisitionem terræ sanctæ cum reversus fuit ad natale solum, ad petitionem quorundam virorum nobilium & ignobilium fundavit Ecclesiam istam in honorem Sancti Sepulchri & S. Joannis Baptistæ; in qua idoneam sibi elegit sepulturam.* Sic ferè Molanus in Natalibus SS. Belgii.

## CAPUT LIV.

*S. Joannis Bapt. Monasterium in urbe Valentiana, in Hannonia.*

Monasterium hoc à Theodorico Gallia Rege primum ædificatum, sacrisque Virgibus traditum, ac deinde à Pipino itidem Rege auctum esse, sunt qui tradunt.

Utut sit, constat ex manuscriptis Hannoniæ Chronicis, an. 1112. Canonicos sæculares, hunc locum incoluisse; qui vitæ cum essent dissolutioris, Rainerus Castellanus Valentianus, vir pius, de iis apud Samsonem Archiepiscopum Remensem graviter questus est. Florebat id temporis juxta muros urbis Sueffionensis, Canonicorum regularium Ordin. S. Augustini monasterium, SS. Crispi & Crispiniani titulo nobile. Quo ex loco Samson Archiepiscopus Gilbertum monachum evocavit, eumque cum focis aliquot Valentianas misit, & primum S. Joannis Abbatem ordinavit. Qui quidem, Canonicis sæ-

cularibus amotis, post multas demum tribulationes, ritè omnia disposuit, & plurimos sodales congregavit. Sic ferè manuscrip. Hannoniæ Chronica narrant: in quibus postmodum subjungitur diploma Alexandri III. Pont. Max. Anagninæ 1172. datum, quo Gilberti Abbatis & fratrum juxta Regulam S. Augustini, & institutum Aroasiense viventium statum approbat, & possessionum omnium jura confirmat.

Obiit autem Gilbertus Abbas ann. 1185. cum annos quadraginta, laudabiliter præfuisset.

Cæterum Abbatia ista S. Joannis, apud Valentianas, fuit olim una ex iis quæ ad congregationem Aroasiensem spectabant: de qua vide suprâ c. 10.

## CAPUT LV.

*Monasteria Canoniorum Regularium per Belgium.*

## IN BRABANTIA.

*Abbatia.*

**S.** GERTRUDIS Monasterium Lovaniense, est Abbatia Canoniorum Regularium, nobili genere prognatorum.

S. Jacobi Præpositura Bruxellensis, in monte Palatino, vulgò *Cauwenberch*, juxta palatium Principis. Præpositus utitur mitrâ in sacris.

*Prioratus Canoniorum Regularium in Brabantia.*

Viridis Vallis, tertio lapide à Bruxella.

Rubea Vallis, primo lapide à Bruxella.

Septem Fontes, quarto lapide à Bruxella.

Corfendunca, propè Turnhautum Campaniæ municipium.

Bethlehem, propè Lovanium.

Thronus B. Mariæ, propè Herentalium.

S. Martini Monasterium, in urbe Lovaniensi.

B. Mariæ monast. in Dumo, olim propè Endoviam, nunc in urbe Silviducensi.

*Qui quidem Prioratus hodièque subsunt Capitulo, seti Congregationi Windesemensi: unâ cum monasterio Virginum Sanctæ Barbaræ, in oppido Thenensi.*

Ogniacum, vulgò Oignies, in Gallo-Brabantia.

Buscum Domini Isaac, juxta Nivellem.

*Monasteria Virginum in Brabantia.*

S. Elifabethæ Monasterium Bruxellense.

Jerico, in eadem urbe.

Facuntinum, monasterium Antwerpense.

Vallis S. Margaretæ, vulgò Nonnarum monasterium, in eadem urbe, congregationis Victorinæ.

Vallis Sanctæ Barbaræ, in oppido Thenensi.

Virginum monasterium in Oostmal, pago diœcesis Antwerpensis.

Est & monasterium B. Mariæ, Bethania nuncupatum, quod olim extra, nunc est intra muros urbis Machliniensis, & subest Capitulo Windesemensi.

## IN GELDRIA.

*Prioratus Virorum Capituli Windesemensis.*

**F**ONS Beatæ Mariæ, propè Arnhemum.

B. Mariæ monast. in Gaesdonk, propè Goch.

B. Mariæ monast. in Noviomago.

Stagnum B. Petri, propè Bomeliam.

Vallis B. Elifabeth, propè Ruræmundam, floret.

Monasterium S. Hieronymi, in Ruræmunda: nunc collegium Soc. JESU. Proventus annuos monasterii habent Canonici Cathedralis.

Monasterium B. Mariæ in Arena, propè Stralen oppidum, floret.

*Prioratus*

*Prioratus Monialium Capituli Windefemensis.*

- B. Mariæ monasterium in Redinchen, propè Wageningam.  
 B. Mariæ monasterium in Bethania, propè Arnhemum.  
 B. Mariæ monasterium in Neomago.

## IN FLANDRIÆ COMITATU.

*Abbatie.*

- H**ENNIACUM Lietardi, secundo milliari à Duaco.  
 Monasterium S. Marci, aliàs S. Nicolai in Prais, apud Tornacum.  
 Cifonium, tertio milliari ab Infulis.  
 Warneftunense, five Waftenense monasterium, ad Lizam fluv. inter Ipram & Infulas, Flandriæ oppida.  
 Zunebecanum monasterium, in agro Iprensi.  
 Fanopinense, feu Falempinense monasterium, apud Seclinium, in agro Infulensi.  
 Quercetanum, feu Eichoutanum monasterium, olim in suburbano, nunc in urbe Brugensi situm.  
 Dulcis Vallis, apud Middelburgum, Flandriæ oppidum, anno 1215. ædificatum.

*Præposituræ Canonorum regularium, in Flandria.*

- Watenensis Præpositura, annexa Episcopatu Audomarenfi, fundata est à Roberto Frifio, Flandriæ Comite, anno 1072.  
 Formifelensis, anno 1100. inchoata.  
 Loensis Præpositura, inchoata est an. 1050. à Philippo Burggravio Iprensi.  
 Euershamensis, in agro Furnensi, inchoata est anno 1091. per Walterum Canonicum Casletensem, munificentia Roberti Jerosolymitani, Flandriæ Comitis, ejusque matris Gertrudis.  
 Petendalensis Præpositura.  
 Præpositura Sancti Martini Iprensis; anno 1101. fundata, quæ conversa est in collegium cathedrale Canonorum Iprensium, anno 1561.  
 Vallis B. Mariæ, aliàs Elzeghem, propè Aldenardam, est Prioratus Canonorum Regularium, Capituli Windefemensis.

*Virginum Monasteria in Flandriæ Comitatu.*

- Congregationis Victorinæ in Flandria sunt Abbatie quinque.
1. Gronenbrilensis, in urbe Gandavensi.
  2. Trudonensis, apud Brugas.
  3. Wasmunsteriensis, in agro Wasieni. *Waesmunster.*
  4. Pontis Rorardi monasterium, vulgò *Rousbrugge.*
  5. Novum monasterium, in Bergensi Sancti Winoci oppid.  
 Monasterium B. Mariæ in Mello, juxtà Gandavum.  
 Vallis B. Mariæ, propè Aldenardam: sunt duo Prioratus Capituli Windefemensis.

## IN ARTESIA.

*Abbatie Canonorum Regularium.*

- M**ONS S. Eligii, apud Atrebatum.  
 Aroasia, secundo lapide à Bapalma.  
 Rivovilla, feu Guisseawilla.  
 Chocquense monasterium apud Bethuniam.  
 Daucurtum. vide suprà cap. 50.  
 Mareolum, apud Atrebatum.  
 Cantipratum.

## IN HANNONIA.

- S**ANCTI Joannis Abbatia, in urbe Valentiana, Canonorum regularium.

## IN HOLLANDIA.

*Sunt omnes Prioratus, Capituli Windesemensis.*

- S.** Salvatoris monasterium in Eimsteyn, propè Douracum. an. 1382. fundatum.  
 Novæ Lucis monasterium, propè Hornam an. 1392. fundatum.  
 Amfelodamense monasterium, an. 1394. fundatum, vulgò Paradifus.  
 Vallis Angelorum, in Leiderdorp, propè Leidam.  
 B. Elifabethæ Ruggense, monasterium, propè Brilam, anno 1405. fundatum.  
 Visitationis B. Mariæ monasterium, propè Harlemum circa an. 1405. fundatum.  
 S. Joannis Evangelistæ monasterium, in Heylo, propè Alcmariam.  
 S. Viti monasterium, propè Narden oppidum.  
 S. Hieronymi monasterium, propè Leidam.  
 Monasterium B. Mariæ in Sion, propè Beuerwyck.

*Monialium Capituli Windesemensis monasteria in Hollandia.*

- Campus B. Mariæ, in Amstelodamo.  
 S. Agnetis monasterium in Dordracò.

## IN ZELANDIA.

- B. Mariæ monasterium in Romerswael, oppido Zelandiæ, Prioratus virorum Capituli Windesemensis.

## IN FRISIA.

- S. Salvatoris monasterium, propè Snecam.  
 Mons B. Mariæ, in Aningen.  
 S. Petri monasterium in Hegene, in Comitatu Lingensi.  
 S. Antonii monasterium in Albergen, in Tuenta.  
 S. Nicolai monasterium in Bergum, propè Leovardiam.  
 Rosæ Vallis B. Mariæ in Hafca.  
*Et sunt omnes Prioratus Canonice Regularium Capituli Windesemensis.*

## IN PROVINCIA TRANSISULANA.

*Prioratus Virorum Capituli Windesemensis.*

- W**Indesemense Monasterium Beatæ Mariæ, propè Svollam oppidum.  
 B. Mariæ monasterium in Svolla.  
 Mons B. Agnetis, propè Svollam.

*Prioratus Monialium Capituli Windesemensis, in hac provincia sunt duo.*

- B. Mariæ & S. Agnetis in monasterium Dipenvere, propè Daventriam.  
 S. Joannis Bapt. monasterium, propè Campos oppidum.

## IN PROVINCIA ULTRAJECTINA.

- B.** Mariæ & XII. Apostolorum monasterium in Ultrajecto, quod ad Regulares dicitur.  
 Curia B. Mariæ, in Amersfordia.  
 S. Joannis monasteria in Amersfordia.  
 Quæ tria monasteria fuerunt olim Canonice Regularium Capituli Windesemensis.

## IN URBE ET AGRO CAMERACENSI.

- C**Antipratensis Abbatia, virorum, quam nonnulli Artesiæ adscribunt. fuit & olim sita ad muros urbis Cameracensis.  
 Primiacum, vulgò *Primy*, virginum.  
 S. Lazari monasterium, Virginum, quæ leproforum curam habent.

*Abbatia.*

- S. Ægidii Abbatia, Canoniorum regularium, primo lapide à Leodio.  
Flonensis Abbatia, ad Mosam fluv.  
Novum monasterium, Abbatia, apud Huyum.  
Malonia, Abbatia, apud Namurcum.

*Prioratus Capituli Windesemensis, sunt duo.*

Monasterium Passionis Christi, & B. Mariæ, in oppido Tungrensi.  
Monasterium B. Mariæ bonorum puerorum, in urbe Leodiensi.

C A P U T LVI.

*Religiosæ Domus Episcopatus Constantiensis, quæ post hæreticorum defectionem Catholica supersunt: Ex quibus non pauca vivunt juxta regulam Sancti Augustini.*

- Domus militaris Teutonici S. Joannis Baptistæ, in Friburgo Brisgojæ.  
Domus militaris ordinis Teutonici B. Mariæ Virginis, in Maynow.  
Domus militaris ordinis S. Joannis Baptistæ in Tobel.  
Domus militaris ordinis B. Mariæ Virginis Teutonicorum Friburgi Brisgojæ.  
Domus militaris ordinis S. Joannis Baptistæ in Uberlingen.  
Domus B. Mariæ Virginis Teutonicorum Beukhensis.  
Domus S. Joannis Baptistæ in Haiterhaim, cujus loci Commendator est Princeps Imperii.

Domus S. Joannis Baptistæ in Villingen.  
Domus S. Joannis Baptistæ in Rottwyl.  
Domus Altshausen D. Mariæ Virginis Teutensis.  
Lucern Joannitarum.  
Rordorff Joannitarum.  
Domus S. Joan. Baptistæ, in Hemendorff.  
Domus ejusdem in Rexingen.  
Domus ejusdem in Kuffnach.  
Domus ejusdem in Bulickhen.  
Domus ejusdem Wediffswyl.  
Domus ejusdem in Newenburgo Brisgojæ.  
Domus ejusdem Kentzingensis.  
Domus Dominici sepulchri, in Dekhendorff.  
Domus S. Antonii, Friburgi Brisgojæ.  
Domus ejusdem in Newenburgo, Brisgojæ.  
Utnach S. Antonii.  
Villingen S. Antonii.

*Abbatia diocesis Constantiensis.*

Monasterium Salem, vulgò *Sal-Monsschueyler*, ordinis Cistertienfis, propè Uberling.  
Petri domus, aliàs *Petershausen*, ordinis S. Benedicti, in Constantia.  
Dominarum Canonissarum in Buochaw, sub decanatu rurali Sulgenfi.  
Dominarum Canonissarum in Setringen, sub Decanatu Basel, feu Wifenthaal.  
Dominarum Canonissarum in Wald, Decanatus Möfskirchenfis.  
Macktenaw monialium, ordinis Cistertienfis, Decanatus S. Galli.  
Augiæ majoris (vulgò *Reicheraw*) in inferiori lacu, ordinis S. Benedicti, olim exemptum, nunc verò Episcopatu Constantiensi incorporatum.  
Soreth ordinis Præmonstratensis, in Decanatu rurali Sulgenfi.  
Marchtaal, ordinis Præmonstratensis, Decanatus Munderkingensis.  
Zwyfalten, ordinis S. Benedicti, Decanatus ejusdem.  
S. Georgii in Nigra silva, ordinis S. Benedicti Decanatus Villingensis.  
Alberfpach S. Benedicti, Decanatus Rottweylensis.  
Adelberg, ordinis Præmonstratensis, Decanatus Goppingensis.  
Blaubeuren, Sancti Benedicti, Decanatus Blaubeurensis.

Tomus III. *Cann. Regg. Origines.*

N

Ochsen-

- Ochfenhausen, S. Benedicti, Decanatus Laubheimensis.  
 Wiblingen, ordinis S. Benedicti, Decanatus ejusdem.  
 Rott, ordinis Præmonstratensis, Decanatus Diettenheimensis.  
 Portæ cæli, aliàs *Tennenbach*, ordinis Cisterciensis, propè Friburgum Brisgojæ.  
 Weingarten, ordinis S. Benedicti, Decanatus Ravenspurgensis.  
 Augiæ minoris, ordinis Præmonstratensis, propè Ravenspurg, Decanatus Turingenf.  
 Vischingen, in Decanatu Vischingensi, ordinis Cisterciensis.  
 Capele, ordinis Cisterciensis, in Decanatu Wetzikenfi.  
 Hailig Creulzstaal, monialium, ordinis Cisterciensis.  
 Rottenmunster, monialium ordinis Cisterciensis, Decanatus Rottweylensis.  
 Gunterstaal, monialium ordinis Cisterciensis, propè Friburgum Brisgojæ.  
 Baid propè Wingarten, ord. Cisterciensis.  
 Engelberg, monasterium tam monachorum quàm monialium, ordinis S. Benedicti,  
 in Capitulo Lucernensi.  
 Dominarum Canonissarum in Lindow, Decanatus Lindowensis.  
 Augia Brigantina, ordinis S. Benedicti, sub Decanatu Lindowensi.  
 Yfni five Isni ordinis S. Benedicti, Decanatus Yfniensis.  
 Cellæ S. Mariæ, ordinis S. Benedicti, Decanatus Brisfachsensis.  
 S. Truperti in nigra silva, propè Friburgum, ordinis S. Benedicti, Decanatus ejusdem.  
 S. Petri in nigra silva, ordinis D. Benedicti, Decanatus Friburgensis.  
 Rynow, S. Benedicti, Decanatus Steckborensis.  
 S. Joannis in Turtaal, ordinis S. Benedicti, decanatus Fischingensis.  
 S. Galli ordinis S. Benedicti, Decanatus Sancti Galli.  
 Creutzlingen, ordinis D. Augustini Canonicorum regularium, extrà Constantiam.  
 Ruti, Præmonstratensis ordinis, Decanatus Wetzighaimensis.  
 Muri ord. Sancti Benedicti, Decanatus Lucernensis.  
 Truob, S. Benedicti, Decanatus Burgdorffensis.  
 S. Urbani, ordinis Cisterciensis, in Capitulo Lucernensi.  
 Wettingen, ordinis Cisterciensis, in Capitulo Regenspergenfi.  
 Bebenhufen, ordinis Cisterciensis.  
 Veldbach, monialium, ordinis Cisterciensis, Decanatus Steckborensis.  
 S. Georgii in Stain, ordinis S. Benedicti, Decanatus Stainensis.  
 Thuregi monialium S. Benedicti, Decanatus Thuricensis.  
 Einsidlen, Eremitarum ordinis S. Benedicti, Decanatus Lucernensis.  
 S. Blasii, ordinis S. Benedicti, cum suis annexis Schonow, Tottnow, Totmas,  
 & Berow, Decanatus Waldshuottenfis.  
 Omnium Sanctorum ordinis S. Benedicti in Schaffhusen, Decanatus Steinensis.  
 Sunt adhuc alia quàm plurima utriusque sexus monasteria hujus diœcesis, vide-  
 licet Carthusiensium, Cappucinatorum, S. Francisci Minorum Observantium & Gauden-  
 tium, Sancti Leonardi, Sancti Dominici seu Prædicatorum, Sancti Augustini, Sancti  
 Guilielmi, S. Pauli, S. Bernardi, S. Margaretæ, S. Mariæ Magdalenæ, Sanctæ Claræ,  
 Sanctæ Agnetis, Sanctæ Catharinæ, Sancti Petri, S. Adelhaidis, S. Crucis, Patrum So-  
 ciet. Jesu, Carmelitarum, &c.  
 Sed nimis tædiosum foret singula per ordinem enarrare, proinde huic negotio su-  
 perfedendum duximus, pergentes ad Collegiorum & Præpositurarum nomina.

*Collegia Canonicorum diœcesis Constantiensis.*

- Collegium S. Stephani in Constantia.  
 Collegium SS. Joannis Baptistæ & Evangelistæ in Constantia.  
 Collegium in Cella Ratholde.  
 Collegium in Marchdorff.  
 Collegium in Hechingen.  
 Collegium in Herrenberg.  
 Collegium in Bettenbrunnen, Decanatus Uberlingensis.  
 Sindelfingen, Decanatus Tubingensis.  
 Tubingen, Decanatus ejusdem.  
 Stuotgarden, Decanatus Constantiensis.  
 Forindow Decanatus Geppingensis.  
 Episcopalis Cellæ, Decanatus S. Galli.  
 Beronense Collegium, Decanatus Hochdorffensis.  
 Zofingen, Decanatus Willifowensis.

Embrach,

Embrach, Decanatus Winterthurnensis.  
 Zurzach, Decanatus Regenspergensis.  
 SS. Felicis & Regulæ, Decanatus Thuriœnsis,  
 Walkkirch, propè Friburgum.  
 Wisenstaig S. Cyriaci, Decanus Geislingensis.  
 Stauffen Algojæ, Decanatus Stifenhofensis.  
 Surcen, Decanatus Lucernensis.  
 Ehingen cis Nicrum.  
 Hor, Decanatus Demstetenensis.

*Præposituræ Diœcesis Constantiensis.*

Hofensis Præpositura vulgò Hofen, ordinis S. Benedicti, immediatè subest Wingenstadi Abbatiæ, in Decanatu Turingensi.

Præpositura Oningenfis, Decanatus Stuelingenfis, ordinis S. Augustini Canonico-regularium, habens sub se moniales ejusdem ordinis.

Præpositura Waldseensis, ordinis ejusdem, Decanatus Wurzach.

Præpositura Intzkofensis, vulgò *Inzhofen*, ordinis S. Augustini Canonissarum regularium, decanatus Meskirchenfis.

Præpositura omnium Sanctorum, Friburgi, ordinis S. Augustini Canonico-regularium.

Præpositura monialium in Munsterlinge.

Præpositura Riederer, ordinis S. Augustini Canonico-regularium.

Præpositura Beurenfis, ordinis ejusdem, Decanatus Ebingensis.

Ita Joannes Pistorius in Chronico Constantiensi, edito Francofurti, in magno Chronico Belgico. Est autem diœcesis Constantiensis admodum ampla, utpote in qua 66. decanatus rurales, & bis mille ampliùs Parochiæ numerentur.

CAPUT LVII.

*Bernfridense Monasterium, in Bavaria.*

Monasterium hoc ad stagnum Wirmsee fundavit in honorem S. Martini Episcopi Comes *Otho* de Vallay, cum conjuge sua *Adlhaide*: ut Aventinus tradit.

Hujus monasterii prima confirmatio facta est à Joanne XXII. anno 1120. secunda ab Eugenio tertio.

Sepulti sunt ibi *Otho* fundator cum fratre *Othone* juniore, *Mechtilde* sorore amborum, & *Adlhaide*, uxore Ottonis senioris. Ibidem Herlacæ sacratæ feminae sepulchrum ostenditur, ut idem Joannes Aventinus lib. 5. & Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ tradunt.

CAPUT LVIII.

*Chocquensis Abbatia apud Bethuniam Artesiæ oppidum, in Belgio.*

Fuit olim Collegium Canonico-regularium, quos anno 1120. Regulares fecit *Joannes Morinensis* Episcopus. Dotem auxerunt postea *Guilielmus*, *Baldwinus*, *Daniel*, & *Robertus*, Bethuniæ domini.

CAPUT LIX.

*Abbatia S. Marci, alias S. Nicolai in Pratis, apud Tornacum, Flandriæ urbem.*

Hoc monasterium in urbe Tornacensi ad S. Marci Basilicam primùm fuit ædificatum, institutumque an. 1125. ab *Ogero*, Canonico Regulari Montis S. Eligii apud Atrebatas. Postea verò monachis in agrum urbi vicinum migrantibus, cœnobium in pratis *Poninis*, ut vocant, est exstructum, ad fluvium *Scaldim*.

Stetitque ibi usque ad annum Christi 1866. quo ab impiis Calvinistis est vastatum. Quo factum, ut religiosi iterùm in urbem Tornacensem sint reversi, in qua hodièque degunt.

## CAPUT LX.

*Udenstorfense Monasterium in Bavaria.*

**M**onasterium istud ad Gelonum fluvium anno 1126. regnante Lothario, nobilis vir *Otho* Palatinus Comes de Wiltspach major, pater Ottonis postea Ducis Bavariae, aedificare coepit, in honorem Dei omnipotentis, B. Mariae Virginis, nec non SS. Apostolorum Petri & Pauli. Anno autem 1131. ab Innocentio secundo confirmationem impetravit; cujus bulla exstat. Idem quoque Innocentius praepositum primum nomine *Rupertum*, de monasterio Marpachensi ad Ottonis praedicti preces, per Apostolica scripta postulari mandavit, ac sancivit, ut nullus praepositus per violentiam, sed per fratres secundum regulam B. Augustini liberè eligeretur ac constitueretur. Praedictus *Otho* de Udenstorf, praedium suum Udenstorf tradidit monasterio; quam traditionem confirmavit Lotharius Imperator, anno 1230.

## CAPUT LXI.

*Subense Monasterium, Germanicè Suben, in Bavaria inferiore.*

**J**uxta Oenum in inferiore Bavaria *Engelbertus*, tertius hujus nominis Dux Charinthiae de familia Comitum Ortenbergenfium, una cum Coniuge sua *Uta*, Comitissa de Sultzpach, seu, ut alii ponunt, de Butten (quod verisimilius puto) constituerunt, seu, ut vulgò dicitur, fundarunt monasterium Suben pro Canonicis regularibus S. Augustini, quod hodie valde exiguos ac tenues habet redditus. In quodam scripto Catalogo Episcoporum Tridentinorum, ex Joanne Pincio, reperio ita scriptum: *Altemannus ex Comitibus Bavariae fundator monasterii Suben, Diocesis Pataviensis Episcopus* 67. sed Aventino plus crediderim, qui sine dubio vetera monumenta illius monasterii vidit.

## CAPUT LXII.

*Beyrhartingense Monasterium, vulgò Beyrharting, in Bavaria.*

**M**onasterium istud superioris Vindeliciae fundarunt Judith, secundum Aventinum, & frater ejus *Megingotzus* sodalibus Augustinianis: consecratum est à Romano Episcopo Gurcensi, jussu Conradi Archiepiscopi Salisburgensis circa annum 1130. Nam Henricus Episcopus Frisingensis rebus imperii studebat; Conradus autem auctoritatem Pont. Max. sequebatur. Liber manuscriptus de foundationibus Monasteriorum Bavariae, refert, nobilem quamdam matronam nomine *Judith*, in suo fundo propè villam *Hartingen*, cœnobium in honorem Sancti Joannis Baptistae exstruxisse, & istud primò virginibus sacris dicasse; postea verò auctoritate Apostolica ordinem mutasse, substitutis in locum monialium Augustinianis monachis; sacras autem Virgines in monasterium *Altenbochenaw* migrasse. Ipsam adhuc fundatricem in cœnobio liberaliter à se dotato sepultam esse, & reliquisse septem filias, à quibus septem familiae ministerialium ejusdem monasterii ortae sunt, quarum tamen nomina ibidem non exstant. Item hoc cœnobium per Rudolphum & Ludovicum post Imperatorem, Bavariae Duces, & praesertim per Stephanum juniorem Ducem, maximis privilegiis confirmatum esse.

## CAPUT LXIII.

*Schambaptense monasterium in Germania.*

**M**onasterium *Schambapt*, ad fontes rivi dicti *Schambach*, supra vicum *Altmanstain*, nobilis matrona *Gertrudis*, vidua Berchtoldi, cum filia *Luitgarda*, instituit collegium pro Canonicis regularibus S. Augustini, circa annum Domini 1130. Confirmavit Henricus Episcopus Ratisbonensis, ampliusque dotavit. Qua de re extat ipsius diploma datum eodem anno. Berchtoldi mariti quondam fundatricis meminit Joannes Aventinus lib. 6.

## CAPUT LXIV.

*Weiarnense Monasterium, Germanicè Weiarn, in Bavaria.*

**F**undatum est hoc monasterium an. 1133. per Sibothonem, Comitem de Falckenstain & Neuburg: ut ex sequenti diplomate liquet. *In nomine sanctae & individuae Trinitatis.*  
Notum



Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam presentibus, quod ego Sigeboto Dei gratia aliquando Comes, in honorem Domini Jesu Christi ejusque perpetuae Virginis Matris Mariae, nec non Omnium Sanctorum pro remedio animae meae, & quondam conjugis meae Adhaid, nostrorumque filiorum Sigebotonis & Gertrudis, omniumque parentum nostrorum, partem hereditatis meae, concedentibus nostris propinquis, ad construendam in honorem Principum Apostolorum Petri & Pauli vinariam cellam contradidi, in qua, Deo opitulante Canonicos, sub regula Beati Augustini communem vitam profitentibus locare disposui, singula autem ad sublevandam necessitatem eorum delegata in charta praesenti subscripsi, & rata testium ad stipulationem infra positorum corroboravi.

## CAPUT LXV.

*Rorense Monasterium, Germanicè Ror.*

Monasterium istud inferioris Bavariae, non procul à *Laber* fluvio in vico ejusdem nominis situm, ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, fundatur à *Magno*, filio Rudperti, nepote Babonis Comitis Abensbergensis, cum uxore *Irnegarda* ac filio Alberto, dictis de Ror anno Domini 1133. in honorem B. Mariae Virginis. Idem Albertus de Ror pauper Christi factus, communem vitam ibidem duxit, sepultus in choro ante summum altare.

## CAPUT LXVI.

*S. Georgii Cænobium, in urbe Augustana.*

S. Georgii monasterium, quod est intra muros urbis Augustanae, ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, fundatum legitur anno Christi 1135. absolutum verò anno 1142. à *Walibero* Comite Palatino, Tubingensi, & Episcopo Augustano, ejusque Canonicis in honorem S. Georgii Martyris: ut tradit *Bruschius* in *Chronologia* monasteriorum Germaniae.

## CAPUT LXVII.

*S. Theodori Cænobium, Virginum, in urbe Bambergensi.*

S. Theodori cænobium praepotens Bambergense, quod incolae urbis corrupta & abbreviata voce *Sand Oders* vocant, nobilium puellarum perpetuae virginitatis voto adstrictarum, inchoatum est primum *Michelsfeldi* in Sancti Nicolai colle (ubi hodie adhuc vetus templum visitur) anno Christi circiter millesimo centesimo trigesimo quinto postea verò Bambergam, in locum (quo hodie adhuc exstat) translatum anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo, ibique in honorem Sancti Theodori Martyris fundatum est à *Gertrude* Palatina, *Conradi* Marchionis *Misnensis* filia, quae defuncto marito hoc ipsum cænobium ingressa per annos aliquot sanctè illic vixisse & praefuisse ceteris virginibus legitur. Sepultus est in eo *Hermannus* secundus, *Bambergensis* Episcopus; qui obiit anno millesimo centesimo septuagesimo septimo, & creditur fuisse *Marchio Misnensis*, & hujus fundatricis *Germanus* frater.

## CAPUT LXVIII.

*S. Magni Monasterium, in suburbio Ratisbonae, ultra pontem, vulgò Am Hof.*

Circa annum 1135. aedificatum est hoc monasterium per *Gebhardum*, *Ratisbonensem* Canonicum, & Presbyterum. Rex *Conradus* *Jerosolymis* reversus, cum *Ratisbonae* de obsidendo *Chelhaim* consultaret, consilio fratris uterini, *Henrici*, *S. Leopoldi* filii (qui tunc *Ducatum Bavariae* tenebat) suburbium *Ratisbonense* monasterio isti, anno 1138. dedit. *Otto* *Frisingensis* meminit obsidionis lib. 1. cap. 63. de vita *Friderici* Imperatoris; sed de donatione S. Magno facta nihil.

*Hartwicus* secundus Episcopus huic monasterio alia quam plurima privilegia dedit, inter quae etiam Ecclesiam in *Saler*, anno 1156. & 1161.

In descriptionibus apud S. Magnum habetur, praedictum *Gebhardum* fundatorem fuisse de familia *Comitum Raning*, cujus castrum vestigia adhuc exstant juxta *Labarum* amnem. *Joannes Aventinus* lib. 6. ita habet: *Conradus, Henricus, Gebhardus, mysta Reginoburgensis, fratres Germani de Raning, & Rotenburch Comites, cum matre Matlelda Paring, &*

*D. Magnum ad confluentes Danubii & Regni, in adversa Reginoburgii ripa, monachis Augustinianis dedicant. Sic ferè Hundius in Metropoli Salisburgenfi.*

## CAPUT LXIX.

*Henniacum Lietardi, Abbatia, congregationis olim Aroasiensis, in Belgio.*

**D**E hujus monasterii primis initiis ita Chronographus Cameracensis, qui tempore Gerardi, eo nomine secundi, Cameracensis Episcopi, anno nimirum Christi millesimo quadragesimo floruit: *In vico, quem dicunt Henin, est Basilica in honore S. Martini, ante hac unius tantum presbyteri regimine acta. Nuper vero Robertus Atrebatensis, de remedio animæ tractans, consilio Gerardi Episcopi, expensis propriis rebus, duodecim Canonicos inibi deputavit.*

Est autem Henniacum, vulgò *Hennin Lietart*, pagus secundo lapide à Duaco Flandriæ urbe & Academia situs, titulo Comitatus à Philippo Secundo Rege Catholico donatus.

Cæterum Henniacense monasterium putatur fundatum anno 1040. à dicto Roberto Advocato seu Tutore Atrebatensi: sed Canonici facti sunt demum Regulares anno 1094. suadente Lamberto Atrebatensi Episcopo. Vide supra cap. 10.

Ejusdem congregationis Aroasiensis fuit olim Abbatia Cifoniensis, apud Insulas Flandriæ urbem. Quod quidem monasterium fundavit *S. Everhardus Comes Cifoniensis & Dux Foro-Julienfis*, anno Christi, ut quidam volunt, octingentesimo tricesimo octavo.

Idem *S. Calixti Papæ & martyris corpus ex Italia Cifonium*, anno octingentesimo quinquagesimo quinto, attulit, teste Molano in Natalibus Sanctorum Belgii.

Fuit autem Cifonium olim Canonicorum sæcularium Collegium, quod in Canonicorum regularium monasterium, anno 1129. conversum est, auctoribus *Hermannno Insulensi*, viro nobili, itemque *Leitardo ac Ruberto* Canonicis. Abbas primus nuncupatus est *Anselmus*, qui Remis ad *S. Dionysii* antea Canonicus fuerat; teste Meyero in Annalibus Flandriæ.

Habuit porrò *S. Everhardus* piissimam conjugem *Gislam* nomine, quæ *Bellum Reparium*, celebrem Prioratum, ut vocant, à Cifonio dependentem fundavit.

Tradunt autem *Gislam* sive *Gillam* fuisse filiam *Ludovicii Pii Augusti*, & *Judithæ Augustæ*, itemque sororem *Caroli Calvi Francorum Regis*; teste Meyero in Annalibus Flandriæ ad ann. 1282. De Cifonio, vide supra cap. vigesimoprimum.

Loc Comitatus.

Cifonium & Fanopinum cap. 21.

Aroasia, cap. 10.

Bapalma monast. in Artesia.

Malonia, diæcesis Leodiensis.

Bamberga Collegium Episcopatus.

B. Mariæ collegium Brugis, vide Orig. Augustin. cap. 33.

## CAPUT LXX.

*Abbatia Diæcesis Trecentis, vulgò Troyes, in Francia.*

**I**N urbe Trecenti duæ sunt Abbatia Canonice regularium, videlicet Sancti Lupi Trecentis, & Sancti Martini Trecentis, in Areis, Gallicè *ex Aires*, vulgò nuncupati.

Ecclesia Sancti Lupi fuit olim Præpositura, quæ in Abbatiam Regularium, anno 1104. conversa est: obiitque primus Abbas *Girardus* anno Christi millesimo centesimo trigessimoseptimo. Fuit autem *S. Lupus*, aliàs *Leufus Trecentis Episcopus*.

Cænobii Sancti Martini Trecentis in Areis, primus Abbas fuit *Guilielmus*, qui anno 1142. vivere desiit. Reliquos Abbates recenset *Nicolaus Camuzatius* in Promptuario Antiquitatum Trecentium.

## CAPUT LXXI.

*Paringense Monasterium, Germanicè Paring.*

**M**onasterium hoc fundatur per *Conradum, Henricum & Gebhardum* Canonicum majoris Ecclesiæ Ratisbonensis, Comites de Raning & Rotenburg, germanos fratres, ut testatur diploma foundationis *Henrici, Episcopi Ratisbonensis*. Obiit autem *Henricus Comes*,

Comes, anno Domini 1142. In illo monasterio sepultus dicitur fuisse *Comes Morispurgensis*, cui etiam insignia Morispurgensia assignantur.

Cæterum Morispurgenses Comites, Rannigenfibus deficientibus, in jure advocatiæ Paringensis monasterii successerunt.

## CAPUT LXXII.

*S. Zenonis Monasterium, in Norico, apud Germanos.*

CONRADUS Archiepiscopus Salisburgensis, nepos Babonis Comitis Abenspergensis, apud *Reichenball* in Norico Canonicis regularibus S. Augustini collegium instituit, quod *S. Zenonis* vocant, primumque Præpositum ibi Lonzonem ordinavit. Obiit Conradus postquam 46. annis laudabiliter Ecclesiæ Salisburgensi præfuisset, anno 1147. ut *Aventinus* lib. 6. testatur.

## CAPUT LXXIII.

*B. Mariæ Monasterium in Austria, octavo lapide à Vienna.*

LEOPOLDUS Austriæ Marchio, cognometo Pius, octavo ab inclyta Viennensi urbe lapide, Danubii littus (Agnētis, Germaniæ Imperatoris filiæ, conjugis flammeolum vento raptum, & per tantum spatium devolans, locum ambigenti signaverat) exquisitæ pulchritudinis ædibus, (Ottone Pontifice primum, Principis rogatu, lapidem jacente) honoravit, attributo Dei parentis nomine. Quas sæcularibus clericis cum largo censu principio donatas, post paulò, quod ii, quàm par esset, incuriosius rem suam agerent, Augustinianis monachis resignavit; atque ut id fixum & ratum perpetuò foret, abs *Innocentio II.* Pontif. Maxi. diplomata, quibus pleno ore *Leopoldus* laudatur, atque honoris ergo *B. Petri* filius appellatur, per nuntium imperavit.

## CAPUT LXXIV.

*Rebdorphense Monasterium in diœcesi Aistetensi, in Germania.*

REBDORPHUM cænobium elegans ad Altimulam, seu Almonum fluvium supra Aychstadium, post ipsam arcem Episcopalem in longè amœnissima valle situm, est fundatum atque exstrui cœptum, anno Domini millesimo centesimo quinquagesimosexto, sub Episcopo Aystetensi *Conrado à Morspeck*, Friderici Imp. Consiliario, ab Imperatrice *Beatrice*, Burgundiorum Ducissa, Friderici Barbarossæ secunda conjuge, quæ pagum *Rebdorphensem* dono dedit Episcopo ad exstruendum monasterium. Episcopus Conradus sibi in eo sepulchrum vivus adhuc adornavit; in quod mortuus est illatus anno Domini 1171. Cubat in eadem Basilica *Rebdorphensi*, sub insigni ac sublimi marmore *Gebhardus* ultimus Comes de *Hirsberg*, maximus, & cænobii hujus, & totius Episcopatus *Aychstetensis* (cui totum Comitatum *Hirsbergensem* legavit moriens) benefactor.

Hujus monasterii disciplina reformata est anno 1458. per Joannem à *Avercu* Episcopum *Eystettensem*: teste *Bruschio*.

## CAPUT LXXV.

*Ludingebecanum seu Ludingasense monasterium, in Frisia.*

HOC monasterium fundatum est anno Christi 1157. Primus ejus loci Abbas fuit *Wigboldus* à *Godefrido* Episcopo *Ultrajectensi* constitutus. Ex hoc monasterio prodiit monasterium virginum in *Selvert* & *Oegecloster*. *Ludingebecani* Abbates ex ordine fuerunt numero septem & viginti: quibus post reformationem successerunt Priores, titulo Abbatis omisso.

## CAPUT LXXVI.

*Raitenbuchense Monasterium, Germanicè Raitenbuch in Bavaria.*

FUNDATUM est hoc monasterium anno 1185. à *Guelphone* quarto hujus nominis, & primo Duce *Bavariæ*; cujus Pater ejusdem nominis *Guelpho* tertius monasterio in *Altorf*, quod nunc *Weingarten* dicitur, in *Suevia*, ac *S. Martino* omne suum patrimonium in perpetuum

petuum donavit; ipse quoque extremum diem claudens, ibidem sepultus est, filius hujus *Guelpho* prædictus, fuit vir strenuus, armorum peritissimus, & sapientia tam forensi, quam civili præditus, multasque tempestates bellorum contra se & alios in finibus suis excitatas magna serenitate & moderatione sedavit. Uxorem duxit Reginam Angliæ, *Juditbam* nomine, viduam, filiam Comitis Flandriæ. Hic, cum ad senilem ætatem pervenisset, & *Raitenpuech* monasterium construere cœpisset, satisque copiose dotasset, similiter & cœnobium *Altorbense* prædiis, municipiis, aliisque plurimis ornamentis ecclesiasticis ditasset, ad terram sanctam profectus, in reditu in insula Cypro obiit hinc ossa ejus ad monasterium *Altorfense* allata sunt.

Socii hujus sacrae perigrinationis aut interfecti; aut vivi Saracenis sunt traditi, perfidiâ Alexii Imperatoris Græcorum: inter quos etiam *Tbiemo* Archiepiscopus Salisburgensis in Corozaim martyrio affectus est.

## CAPUT LXXVII.

*Boloniense Monasterium B. Mariæ, in Gallia.*

**B**ONONIA, vetus Gallia Belgicæ est oppidum, apud Caletes situm, haud procul ab Oceano, quod vulgò Boloniam vocant. Temporibus Caroli V. Imper. cum Teruana Morinorum funditus esset excisa, sedes Episcopalis Morinensis, seu Teruanensis Boloniam est translata.

Juxtâ hanc urbem anno 1559. fundata est Abbatia Beatæ Mariæ, quæ anno millesimo quingentesimo quadragesimoquarto, ab Henrico VIII. Angliæ est diruta. Fuit olim una ex iis quæ spectabant ad Congregationem Aroasiensem: de qua vide supra.

Apud Boloniam fuit & alia Sancti Wulmari Abbatia, Canonicorum itidem regularium, quæ ab eodem Henrico Rege est vastata.

## CAPUT LXXVIII.

*Truttenbusense Monasterium in Alsatia.*

**T**RUTTENHUSIUM cœnobium ordinis Canonicorum regularium S. Augustini ad pedem altissimi montis S. *Otilia* in Alsatia ad Vosagum peramœno loco situm, fundatum est in honorem B. Virginis Mariæ, ac Sancti Nicolai Episcopi, sub Lucio ejus nominis Tertio Pontifice Maximo, Imperatore verò Friderico Barbarossâ, Sueviæ & Alsatiæ Duce, potentissimoque Sanctæ Otiliæ cœnobii Advocato, anno Domini millesimo centesimo octuagesimo primo, à Domina *Herrade*, insigni ac doctissima Abbatisa in Altitona, five S. *Otilia*, monasterio, & à Domino *Gumthero* germano fratre prædictæ Abbatisæ, nobili viro de Winheym & Lantsperg, ex ejusdem prædio quodam, quod ipse liberè dedit, ad construendam domum Dei.

Habuit cœnobium id semper ferè gubernatores Præpositos. Est autem Altitona illustris Abbatia, Virginum, diœcesis Argentinensis.

## CAPUT LXXIX.

*Valdseense Monasterium in Suevia.*

**V**ALDSEENSIS præposituræ (quod est cœnobium in Sueviâ & Dapiferorum Walburgensium ditone, intra mœnia oppidi Walczenis, ad amplum lacum, unde nomen & oppido & cœnobio contigit, situm) fundator fuit anno virginei partus 1181. Suevorum Princeps Fridericus II. qui hujus sacrae ædis ac canonicæ congregationis, omnium primus fundamenta jecit; moxque ætatis suæ 31. anno, sub Innocentio tertio, Apostolici gregis pastore in Romanorum Regem confirmatus, deinde ab Honorio Papa in Imperatorem coronatus est.

## CAPUT LXXX.

*Wengense S. Michaelis Monasterium.*

**S.** Michaelis Archangeli Wengense cœnobium, ordinis & instituti regularium Canonicorum S. Augustini (quod nunc intra ipsa civitatis Ulmenis mœnia situm est) in monte urbi vicino & hodie adhuc S. Michaelis titulo accolis noto, primùm cœpit anno Christi 1183. indictione II. imperante Friderico Barbarossâ, Romanæ vero cathedræ præ-

præsidente Pontif. Max. Lucio III. ad Episcopatum autem Constantiensem & Abbatiam Augiensem sedente Diethelmo: fundatum verò & constructum est à nobili ac generoso viro *Wittigogo* Comite de Albegke & ejus conjuge domina *Bertha* in hoc ipso cœnobio quiescentibus, & sub honorifico tumulo humatis.

## CAPUT LXXXI.

*Cantipratum, ad muros olim urbis Cameracensis.*

**C**Antipratanum monasterium fundavit Rogerius XLIV. Episcopus Cameracensis anno circiter 1185. fuit autem hic Præsul admodum amans instituti Canoniorum Regularium, Ordin. S. Augustini, ut qui anno 1190. moriens, in regulari habitu voluerit sepeliri. Creditur ab eodem etiam conditum. *Primiacum*, celebre Virginum monasterium, quod, ut & Cantipratum, Victorinæ est congregationis. Fuit utrumque hoc monasterium haud longè à muris urbis Cameracensis situm. Hodie Cantipratani sodales domicilium habent, haud procul ab Hallis Hannoniæ oppido, Cantipratano scilicet monasterio per bella vastato.

Cæterum in pago isto Cantimprato vulgò Cantimprè, natus fuit, ut arbitror, Thomas Cantimpratanus, ex ordine Prædicatorum, Suffraganeus olim Episcopi Cameracensis, cujus extant libri Apum & alia.

## CAPUT LXXXII.

*Ogniacum in Brabantia.*

**O**Gniacense monasterium Canoniorum Regularium Ord. S. Augustini, ad Sabim fluv. in Gallo Brabantia, circa annum 1192. fundatum. Est autem situm inter Nivigellam Brabantorum, & Namurcum Eburonum oppida, pari penè intervallo, quinàs scilicet passuum millibus, verè celestis philosophiæ sedes, vitæque asceticæ Schola & domicilium. Et situm quidem loco amantissimo: hinc Sabi fluvio, pratisque virentibus; illinc collibus & silvis cinctum: & albo lapide perantiquo septum undiquè; antè quadringentos annos sacra Canoniorum Augustinianorum familia nobile in ea Brabantie portione, quæ *Aisa* dicitur, olim *Leodicensis*, nunc *Namurcensis* Dioceseos. Sapienter olim, quasque habito delectu, imò divino monitu, sedem hanc incoluerunt, B. *Maria Nivigellana*, vulgò *Ogniacena*; *Jacob. à Vitriaco*, postea sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis; & *Joannes Nivigellas*, Doctores Theolog. aliique quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Non supinè, neque obscitanter, sed providè *Ægidius à Walesuria*, vir integer vitæ scelerisque purus, locum illum exædificando Cœnobio aptum & opportunum judicavit; & quidquid è patrimonio redegerat, in illud Asceterion fundator contulit: Jam verò memoratorum corpora, ibidem sepulta, non pauld plus adferunt loco dignitatis, laudis, & celebritatis; quam ædificii non parum alias operosi structura. Hæc ferè *Franciscus Moschus* in Catalogo Antistitum Ogniacensium Duaci an. 1598. edito. Cæterum dictus *Ægidius à Walesuria*, vendito patrimonio, monasterii hujus fundamenta locavit, sub annum Domini 1192. primusque confluentibus eodem fratribus præfuit. Inter quos *Jacobus Vitriacus* velut illustre quoddam fidus emicuit, qui è media Gallia huc venit, famà B. Mariæ Ogniacensis excitatus; cujus etiam suafu sodalibus sese Ogniacensibus adjunxit. Is post Episcopus *Acconensis*, ac demum Cardinalis creatus, Romæ an. 1244. in pervigilio BB. Apostolorum Petri & Pauli excessit è vita. Cujus corpus (ut testamenti tabulis jusserat) ex urbe Ogniacum est translatum; ubi & conditum est, haud longè à Beatæ Mariæ Ogniacenæ tumulo.

Est hoc monasterium S. Nicolao Episcopo sacrum: quod *Onufrius Panvinius* in Epitome Pontificum & Cardinalium per errorem nominat Monasterium S. Mariæ de Oegnies, ratus, ut opinor, hanc Mariam in divorum classem relatam, ejusque memoriæ consecratum monasterium.

Cæterum de B. Maria Ogniacensi vide *Molanum* in Natal. SS. Belgii, & *Surium* Tom. 5. qui vitam ejus recitat à *Jac. Vitriaco* conscriptam. Cæterum & *Joannes Nivelianus* Doctor Theologus hoc in monasterio plurimis virtutibus effulsit: quem relicta Decanali Ecclesiæ *Leodicensis* dignitate ad regulare monasterium Oegniense commigrasse scribit *Thomas Cantipratanus* lib. 2. Apum.

## CAPUT LXXXIII.

*S. Crucis Augustanum cœnobium in Germania.*

**E**st istud ex *Hamelbergo* (ubi antea situm fuerat) in *Augustam Vindelicam* translatum anno Domini 1194. per Episcopum *Augustanum Valschalcum*, Comitem à *Thennenlohe*,  
Tom. III. Cann. Regg. Origines. P

lohe, primum hujus cœnobii intra Augustanæ urbis mœnia fundatorem: quod primum à Marcallis de Biberach in *Mutterhofen* pago inchoatum; mox inde à Conrado Antistite Augustano Comite Lutzelnsteinio in *Hawelbergum* montem Augustanæ urbi vicinum, & inde tandem ab Vdalscalco in urbem translatum est. In eo semper divertere solet Legatus Pontificius, si quis ex urbe Roma ad Imperialia comitia Augustæ celebranda mittitur.

## CAPUT LXXXIV.

*Viepatchense Monasterium, virginum Germanicè Viepatch.*

**B**erengarius seu *Beringerus* Comes de Leonberg, aliàs Leonsparg, cum consensu Agnetis uxoris, quæ dicitur fuisse familiæ dominorum Pflueg ac liberorum suorum *Henrici & Elisabethæ*, Viepatchium inferius in monte Isaræ imminente infra Landshuotam, quod antea venatorium tugurium erat, in templum commutat. XII. virgines eò collocat, Ordini, S. Augustini dedicat, atque Augustinianis, monachis Ratisbonensibus gubernandum committit. Cumque illa domus & Hofmarchia Viepatch, Ducibus inferioris Bavariæ feudalis esset, Duces *Otto, Ludovicus, ac Stephanus* fratres huic foundationi non solum confenserunt, verum etiam feudali jure liberarunt. Hinc etiam quasi pro sociis foundationis habiti sunt anno Domini 1296.

Beringerus fundator cum conjuge ac filio ibi aliquot annis devotè vixisse, obiisse, ac sepultus esse perhibetur. Obiit autem Beringerus anno 1296. Tunc Henricus Dux Bavariæ prioribus XII. addidit XVIII. virgines. Sic Aventinus lib. 8. Alibi autem habetur, hunc Beringerum eodem anno, quo primum lapidem claustrum posuit, decessisse, postea Henricum Ducem Bavariæ, filium Stephani, erexisse claustrum, muros, Ecclesiam, & habitacula Dominarum, auxisse numerum ad triginta. Idem Aventinus tradit Ludovicum Imperatorem hoc monasterium auxisse.

## CAPUT LXXXV.

*S. Gertrudis Monasterium, in urbe Lovaniensi.*

**F**uit hic locus primum non nisi facellum seu capella, Ecclesiæ S. Petri, quæ in urbe Lovaniensi primaria est, subjecta. Cujus quidem capellæ vicarius cum esset quidam Magister Franco, eam sibi ab ipso donari obtinuit Henricus I. Dux Lotharingiæ ac Brabantia; qui anno Christi millesimo ducentesimo sexto, Junii XVII. hanc ipsam capellam, ut vocant, in monasterium Canonicorum Regularium evehendam curavit.

Primus hujus monasterii Præpositus nominatus est idem Franco, obiitque ann. 1229. Martii 27. Henricus verò Dux obiit ann. 1235. Septemb. 3.

Basilica autem ejus loci consecrata est an. 1228. & parœciali jure donata est an. 1252. Eo enim ipso anno Lovanii quinque parochiæ, ut nuncupant, institutæ sunt.

Franconi defuncto in Præpositura successit alter Franco, Franconi Libertus, Libertus Adamus, Adamus Gofuinus, & sic deinceps usque ad tempora Henrici à Fura Walteri Moillaert, qui primus Abbatiali titulo insignitus est, obiitque an. 1377. 1462.

Est autem hoc monasterium magnificis ædificiis illustre, solentque ad illud non nisi nobili genere nati admitti.

Abbas porro Gertrudanus est perpetuus privilegiorum Academia Lovaniensis Conservator.

## CAPUT LXXXVI.

*Quercetanum Monasterium, Gallicè Quescroy, Virginum, in Belgio.*

**Q**uercetanum monasterium inchoavit *Petrus Pitenz*, Sacellanus Balduini cognomento Animosi, Flandriæ & Hannoniæ Comititis: quod anno circiter 1233. Joanna dictarum provinciarum Comitissa firmissimis ædificiis auxit. Sacras autem virgines è Primiacensi monasterio evocatas huc deduxit Margarita dicti Balduini Comititis uxor, sive, ut ipsæ Quercetanæ moniales volunt, Margarita dictæ Joannæ Comitissæ soror, idque circa an. 1262. cum jam defunctæ forori Margarita in Comitatu Flandriæ & Hannoniæ successisset. *Ex M. SS. Hannoniæ Chronicis.*

Anno 1244. N. nobilissima ac pientissima matrona Nicolai Toparchæ Barbansonii uxor, consentiente marito, fundavit ac dotavit monasterium Virginum Ord. S. Augustini, quod *Letbure de Layde de la benoiste Vierge* appellant. *Ex eisdem M. S. Hannoniæ Chronicis.*

Anno 1244. Walterus Hardum Canonicus Ecclesiæ primariæ Montibus Hannoniæ ad-

adjutante Elifabeta matre sua, proprio ære construxit, ac fundavit monasterium virginum, Betlehem nuncupatum, juxta Montes Hannoniæ.

## CAPUT LXXXVII.

*Semenshausense Monasterium Germanicè Seemanshausen.*

**S**emannus nobilis Bavarus Archidiaconus, five Chorepiscopus, ut alii vocant, Ratisbonensis, *Seemanshausen* in inferiori Germania in pago Rhodani Augustinianis monachis contubernium erexit, circa an. 1260.

*Gotzsellense Monasterium, apud Bavaros.*

In Hercinio saltu versus Bohemiam, nobilis vir *Henricus de Poling*, (villa est inter montem Pogen & Metenam rivum, juxta Danubium) unà cum uxore sua *Mabilda*, D. Bernardo templum *Droschlach* condunt, monachos ex *Aldersbach* evocant, qui jubente Henrico, Duce Baviariæ, *Rumasfeld* arcem propinquam diruunt, solo æquant, lapides *Droschlachium* vecti, ædes inde constructas *Henricus* Episcopus Ratisbonensis dedicat, & *Gotzsellam* nominat, anno Domini 1286.

## CAPUT LXXXVIII.

*Windesemense Monasterium, in Germania inferiore.*

**C**eleberrimum istud monasterium anno 1387. in pago *Windesem* est fundatum: quod postea plurimorum monasteriorum Capituli seu Congregationis *Windesemensis* caput per Germaniam superiorem atque inferiorem existit.

Est autem *Windesem* situm in *Transifalana* provincia, Germaniæ inferioris.

Mons sancti *Agnetis*, propè *Svollam* *Transifalanae* provinciæ oppidum ann. 1398. fundatus est. In hoc monasterio vixit & obiit *Thomas à Kempis*, vir piissimus: ut inter alia ejus opera testatur ejusdem liber de *Imitatione Christi*, *Qui sequitur me*, nuncupatus. Vide supra cap. 13.

## CAPUT LXXXIX.

*Pildenreutense Monasterium, virginum, in diocesi Aistetensi, in Germania.*

**P**ildenreutum Canonissarum regularium S. Augustini cœnobium perelegans in nemore *Noribergensi*, amplissimos lacus, non procul ab ejusdem potentissimæ urbis *Latomiis* situm, d. *Aistetensis*, anno Christi circiter 1340. initium habuit à quinque piis sororibus, & Imperatorii Generis virginibus, *Elisabetha Vispeckbina*, *Adelbeide Zolnerina*, *Christina Venatrice*, *Khunigunde* ab *Odenlees* ac *Osanna Osterreichera* ex *Deckendorpho* Bavarico oppido nata; quæ collectis aliis etiam octo sororibus Imperatorem *Ludovicum* Bavarum, *Noribergæ* tunc temporis comitia habentem, precibus persuaferunt, ut ipsis in hoc nemore cœnobiolum construeretur, in quo Deo laudes in bellis ab hoc Imperatore gestis omissæ adimplerentur, & ita quod prius in cultu Dei neglectum fuisset, ibi refarciretur. Imperator monitis puellarum ardore quodam divini cultus flagrantium obtemperans, in die Sancti *Lucae Evangelistæ*, anni Christianorum 1341. è *Noriberga* in vicinum nemus prodiit, ut cœnobii futuri locum exploraret; quod cum in vicino Pago *Churnburgensi* (hodie *Kornburgensem* vocant) auspiciari vellet, cantu quodam miræ dulcedinis inde ad nemus revocatus dicitur; ubi cum magnæ & altæ cuidam quercui crucis quasi cœlitus ostensæ imaginem imminere vidisset, equo mox lapsus, primus securi arborem eam notavit, & se præsentem excindi illam curavit, eumque locum ad construendum monasterium destinavit: unde nomen etiam inditum est, ut ab imagine crucis, quæ apparuit in illa nemoris parte, quæ ad construendam domum pietatis ac disciplinæ excindenda erat, *Pildenreutum* diceretur. Prodiert unà cum Imperatore præpotens quidam *Patricius* *Noribergensis* *Conradus Magnus*, tunc temporis *Scultetus*, ut vocant, *Noricus*. Is prædium quod in ea ipsa vicinia habebat optimum, præsentem Cæsare, futuræ monialium congregationi cum omnibus adjacentibus agris dono dedit, omnibus temporibus possidendum. Imperator cœnobio egregium dedit diploma anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, Ducalis regni sui XXXI. imperii verò XVIII. ex quotidiana hominum collatione, & eleemosynis tantum tandem contraxerunt, ut ex primo ligneo templo faxeum fecerint,

decimo sexto anno post primam conventionem. Tandem anno Domini millesimo trecensimo septuagesimo octavo, subdidere sese concordibus animis *Rabano* Episcopo Aistetenfi, petentes ab eo certum ordinem: qui misso ad eas Canonico quodam ex S. Willibaldi choro, *Burchardo de Pleyfeld*, consecrari ipsas, & sub obedientiam accipi, Canonissasque S. Augustini regulares designari curavit: & Præpositam gubernatricem cæterarum elegit anno 1379. in die S. Thomæ Apostoli, mense Decembri.

## CAPUT XC.

*Monasterium S. Georgii de Alga apud Venetias.*

Ordinem Canonicorum sæcularium S. Georgii in æstuariis Venetiarum anno 1410. Antonius Corrarius patricius Venetus instituit & S. Laurentius Justinianus Patriarcha Venetus mirificè auxit. Utuntur ii vestè linea cucullione atrii coloris: extra monasterium atrii coloris chlamydem assument cum galero concolore.

*Thronus B. Mariæ*, milliari uno ab Herentalia, fundatus fuit à nobili viro *Arnoldo Crayenbenio*, Toparcha in Grobbendonch, Ouwen, Bauwel & Olmen, juxta fluv. *Neta*, anno millesimo quadringentesimo decimoquarto. Eversum autem est monasterium per istas turbas civiles, anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo: sed brevi, ut spero, reædificandum.

## CAPUT XCI.

*Monasterium S. Spiritus juxta Venetias.*

Congregationem & monasterium illustre Canonicorum regularium Sancti Spiritus, juxta Venetias instituit P. Gabriel Spoletanus, Eremita Augustinianus, anno 1415. habet unicum membrum sibi annexum, Patavii situm, quod S. Michaelis dicitur: Vestem gerant qualem Canonici Lateranenses, & servant regulam S. Augustini.

## CAPUT XCII.

*Monasterium ad Corpus Christi, in urbe Coloniensi.*

ANNO 1423. operà Arnaldi Schillingi civis Coloniensis, ex sacello factum est monasterium istud, traditumque Canonicis Regularibus, Capituli Windesemensis. Occasionem præbuit Miraculum, quod circa Venerabile Sacramentum Corporis Christi contigit, fusè commemoratum à Bredembachio libr. 1. cap. 8. sacrarum Collationum.

Præter istud Augustinianorum Regularium monasterium, sunt in urbe Coloniensi septem cœnobia monialium Augustinianarum velatarum, videlicet Sancti Maximini, S. Michaelis, S. Mariæ Magdalena, Sancti Nicolai, S. Reinoldi, Nazareth, & Sancti Jacobi Majoris: de quibus vide Erardum Winhemium in Sacratio Agrippinæ.

## CAPUT XCIII.

*Catalogus Collegiorum, Monasteriorum, & templorum parochialium urbis Coloniensis: Ex quibus non pauca Virginum præsertim Augustinianarum sunt monasteria.**Canonicorum Collegia sunt VIII.*

## S. Petri Metropolitanum Collegium.

- Sancti Gereonis.
- Sancti Severini.
- Sancti Cuniberti.
- Sancti Andreae.
- Sanctorum Apostolorum.
- B. Mariæ Virginis in Gradibus.
- Sancti Georgii.

*Canonicorum & Canonissarum II.*

- Sanctæ Ursulæ, & undecim millium Virginum.
- B. Mariæ Virginis in Capitolio.

*Canonicorum & Canonissarum reformatarum, unum Collegium.*

- Sanctæ Cæciliæ.

Reli-



*Religiosorum, XVI.*

- S. Pantaleonis, Benedictinorum.  
 S. Martini Majoris, Benedictinorum.  
 S. Cordulæ, Joannitarum Equitum.  
 S. Catharinæ, Teutonicorum Equitum.  
 Ad Corpus Christi, Canonicorum Regularium.  
 S. Antonii, Antonianorum.  
 Ad S. Crucem, Cruciferorum.  
 S. Augustini, Augustinianorum.  
 Ad S. Crucem, Dominicanorum.  
 Ad B. Virginem Mariam, Carmelitarum.  
 S. Francisci, Franciscanorum Gaudentium.  
 S. Michaelis Widenbacensium, quos Hieronymianos vocant.  
 S. Agnetis Franciscanorum observantium ad Olivas.  
 S. Achatii, PP. Societatis JESU.  
 S. Longini Alexianorum, vulgò Bogardorum, sepelientium mortuos.  
 S. Barbaræ, Carthusianorum.

*Plebanorum XIX. Templa Parochialia.*

- Sanctæ Columbæ.  
 Sancti Martini Minoris.  
 Sancti Laurentii.  
 Sancti Albani.  
 Sanctæ Brigidæ.  
 Sancti Petri.  
 Sanctorum Apostolorum.  
 Sancti Cuniberti.  
 Sanctæ Mariæ Magdalenæ, juxtâ Sanctum Severinum.  
 Sancti Joannis Evangelistæ in Curia.  
 Sancti Jacobi.  
 Sanctæ Mariæ in *Liskirchen*.  
 Sancti Mauritii.  
 S. Joannis Baptistæ, juxtâ S. Catharinam.  
 B. Mariæ Virginis in Pasculo.  
 Sancti Lupi.  
 Sancti Pauli.  
 B. Mariæ Virginis ad Indulgentias.  
 Sancti Christophori.

*Sanctimonialium Relatarum XX. cœnobiâ.*

- SS. Machabæorum, Benedictinarum.  
 S. Mauritii, Benedictinarum.  
 S. Agathæ, Benedictinarum.  
 S. Joannis Baptistæ in Clusa, parochiæ S. Joannis, Benedictinarum.  
 S. Maximini Augustinianarum regularium.  
 S. Michaelis, Augustinianarum regularium.  
 S. Mariæ Magdalenæ ad albas Dominas, Augustinianarum reformatarum.  
 S. Nicolai, Augustinianarum.  
 S. Reinoldi, Augustinianarum.  
 In majori Nazareth, Augustinianarum.  
 S. Jacobi Majoris ad agnellum in muro Castrensi, Augustinianarum.  
 Horti B. Mariæ Virginis Cisterciensium.  
 Speculi B. Mariæ Virginis Cisterciensium, vulgò in *Seyen*.  
 S. Apri Cisterciensium.  
 S. Claræ Clarissarum.  
 S. Vincentii, Clarissarum.  
 S. Bonifacii, Clarissarum.  
 Clarissarum Belgicarum de Observantia.  
 B. Mariæ in Bethlehem, Clarissarum.  
 Gertrudis, Dominicanarum.

*Conventualium non Relatarum, tam curam civitatis infirmorum gerentium, quam puellarem juventutem domi erudientium Cœnobia XV.*

- S. Apolloniæ, Augustinianarum.  
 B. Mariæ Magdalænæ, Augustinianarum pœnitentium.  
 S. Elifabethæ, Augustinianarum, in vico S. Antonii.  
 In minori Nazareth, Augustinianarum.  
 S. Trinitatis, Augustinianarum, in platea Achterstraff.  
 B. Mariæ Virginis, Augustinianarum, in vico S. Marcelli.  
 S. Urfulæ, Augustinianarum, in eodem vico, prope *Igelstein*, alias Conventus combustus.  
 S. Augustini, Augustinianarum in platea Schmirnensi, *im Cederwalt* vulgò.  
*In der Cellen*, Augustinianarum in eadem platea.  
 S. Ignatii, Clarissarum.  
 S. Annæ, ad agnum inferiorem Clarissarum, in platea lata.  
 S. Annæ ad agnum superiorem, Clarissarum in eadem platea.  
 B. Mariæ Virginis, Clarissarum, *in der Strickgassen*.  
 S. Josephi, Clarissarum, ex opposito horti Christi, in parochia S. Columbæ, aliàs, *Loufconvent*.  
 S. Trinitatis, Carmelitarum, juxta parochiam S. Jacobi, *in der Buttgassen*.  
 Sic Erhardus Winhèmius in Sacratio Agrippinæ.

## CAPUT XCV.

*Everhardica Clusa, vulgo Eberharts Clausen, in d. Treverensi.*

Dicitur hoc cœnobium tertio lapide ab urbe Treverensi, quod ex eleemosynis utriusque sexus hominum certatim undequaque ad B. Virginem ex omnibus provinciis concursantium, hoc modo emeruisse ibidem legitur. Erat, anno domini 1440. laboriosus quidam, rusticæque vitæ & artis homo, omnino simplex, *Everhardus*, nomine, ex pago *Esch* oriundus, agricola, & fector straminum in usum & pastum jumentorum, virginitatis ac pudicitie summus amator, qui ob devotionem quam à pueris conceperat, maxime erga matrem Domini, B. virginem *Mariam*, stipitem quandam in loco isto tunc temporis deserto, terræ infixit, & in eo superius excavato, imaginem tristissimæ ac dolorosissimæ matris in gremio extinctum habentis filium collocavit. Is postea à gloriosa virgine admonitus & coactus, domunculam parvam eidem ædificavit; & sublato stipite illam ipsam adhuc eo loci præsentem, suoque pretio Treveri prius emptam in priori muro domunculæ reposuit. Ubi cum miracula plurima fierent, & oblationes innumeræ quotidie accederent ab hominibus, religionis ergo eò catervatim venientibus, mox his oblationibus adjutus *Eberhardus*, sacellum paulo grandius fabricavit; & postea circa idem sacellum basilicam in longitudine 26. in latitudine vero 12. passus habentem fundavit, & ædificavit in anno Jubilæo. Quò mox factus est maximus omnis generis hominum concursus.

Hanc basilicam Reverendissimus Dominus, Jacobus de Sirgk archiepiscopus Treverensis centesimus præsentibus Prælatibus plurimis, in die Annuntiationis B. Virginis Mariæ, anno Domini 1449. solenniter dedicavit. Eberhardo autem anno Domini 1451. in pace quiescente, consentientibus & id desiderantibus dominis fundi, imprimis vero Domino *Godefrido de Esch*, Ordo Canonicorum regularium sancti Augustini introductus est anno Christi 1456. Hi novum chorum ædificarunt; & anno domini 1474. dedicari fecerunt. Structuras etiam utriusque ambitus & multorum ædificiorum erexerunt, & basilicam majorem, quæ hodie visitur, antiqua dejecta ac destructa, ad summum compleverunt; cujus dedicatio facta est anno domini 1502.

## CAPUT XCVI.

*Kichgentense Monasterium, in D. Wormatiensi.*

Monasterium istud renovavit atque illustravit Fredericus II. Wormatiensis Episcopus, quod, pestilenti lue extinctis monialibus, dedit regularibus Canonicis incolendum circa ann. 1440.





GERMANIA  
CANONICO-AUGUSTINIANA

MULTORUM ANNORUM

STUDIO AC LABORE

MAGNIFICENTISSIMIS

COLLECTA

A

P. R. D. FRANCISCO PETRO


Can. Reg. Ord. S. Augustini Imperialis

Canonice Wittenburgae in Suis quondam Capitulum

in Senio


OPUS POSTHUMUM


PARS I



Vind.











# GERMANIA CANONICO - AUGUSTINIANA,

SEU

**E**cclesiæ Metropolitanæ, Cathedralis, & Collegiæ, seu Monasteria Canonorum Regularium S. Augustini, per universam Germaniam Superiorem & Inferiorem latissimè diffusa, tam ea, quæ suo Ordini etiamnum salva manent & integra, quàm quæ jam ab aliquot Sæculis usque in præsens utcuñque demum fuerunt immutata, modò recens collecta, & de moderno statu suo historicè descripta, eaque juxta seriem alphabeti in duas Partes divisa.

## PARS I.

Littera A.

### AGAUNENSE.

**C**ollegium hoc Regale inter omnia, quæ hîc enarrare constituimus, uti ordine primum, sic & venerabili antiquitate sua ferè præcipuum, Agauni in Valesia (cujus Provinciæ jam pridem Helvetiis adsitæ atque confœderatæ prolixam satis exhibent descriptionem Tschudius in sua Rhetia alpina. cap. 34. fol. 100. & seqq. & cap. 38. fol. 122. Joannes Stumpfius in Chronico Helvetiæ Lib. 11. cap. 24. fol. 676. Zeilerus in Itinerario Germaniæ. cap. 11. fol. m. 261. & alii plures) sub Octoduro ejusdem Regionis oppido (Patriis incolis communiter *Martinach*. olim verò *Tarnadæ* oppidum appellato) situatur intra limites Diœcesis Sedunensis antiquitus Octodurensis, ubi Rhodanus in Lacum Lemanium præcurrens, rupibus coërcitus violentum spumat, indignatus angustias, præcipitia, & obices, è quibus se evolvit, juxta quoddam montes penè in unum coeuntes exiguum solummodo spatium, quâ idem fluvius exeat, relinquunt, & vallem præruptis atque altissimis rupibus quasi muro aliquo claudunt, quem etiam fluviatilem Rhodani torrentem incolæ eò locò stravère ponte fornicato, cui postmodum Castellum fuit additum, & porta eidem ponti imposita, quâ tota vallis clauditur. Agaunum oppidum hoc, seu prout nunc plerumque nuncupari solet, S. Mauritii, antiquitus à Julio Cæsare bellò Gallicò munitum fuisse contendunt, ut sic Alpium transitum in sua potestate certum haberet, & securum. Uti vetustissimæ quædam inscriptiones Romanæ isthîc loci circum circa etiamnum reperiundæ lucidissimum antiquitatis suæ testimonium perhibent; earumque plures non solum in exustis veteris templi Agaunensis parietibus & pavimento, sed etiam in adstructo cœmeterii muro quondam videbantur appositæ, quamvis nimia vetustate satis exesæ, & attritæ plurimum. Atque has inter in facello quodam ejusdem templi videbantur columnæ antiqui operis penes altare collocatæ, nec non tessalatum pavementum variegato colore conspicuum. Quod tamen jam à longissimis retro temporibus, gravissima lapidum & Saxorum ruina è vicino monte facta, aded tectum ex nunc manet, & obrutum, ut ne quidem vestigia prioris, quæ superiori ætate isthîc constitit, civitatis appareant.

In hoc igitur loco, seu *Agauni* (ut dictum est in Valesia, Monasterium *Agaunense* seu *Agaunensium*, item S. Mauritii apud antiquos scriptores intitulatum, teste Simlero, quem adducit Continuator Bollandianus Godefridus Henschenius in Actis SS. tom. 1. Maji die 1. fol. 84.) fuit apparatus, atque idipsum à prima statim fundatione sua ubique terrarum nominatissimum simul ac celeberrimum S. Mauritii & Commilitonum illius anno (uti videre est apud Cardinalem Baronium in Annalibus Ecclesiasticis tom. 2. & Paulum

Tom. III. *Cann. Regg. Origines.*

R

Baurier

Baurier Can. Reg. in brevi Chronologia Historiæ sacræ & profanæ Sæculo 3tio ad finem) à partu Virginis 297. pro fide Christi occisorum, quorum memoriam seu Natalitium diem universalis Ecclesia quotannis recolit 10. Calendas Octobris. Martyrium, passionem, & gesta ipsorum, qui scripserunt, plures nominat idem Baronius in notis ad Martyrologium Romanum eodem die; tum etiam Henricus Murer Carthusianus in sua Helvetia sancta annò 1648. germanicè in fol. edita pag. 23. & seq. Porro hîc nobis opportunè & non abs re fore videtur, ad laudem & memoriam SS. Martyrum Thebæorum (tales communiter inaudiunt) subdere Hymnodiam sacram in solennitate ipsorum ab antiquissimis temporibus usque modò in Agaunensi Ecclesia decantari solitam, quæ talis est.

*Ad Vesperas.*

Alma Christi quando fides  
Mundo passim tradita,  
Et per latos orbis fines  
Igne flagrans floruit,  
Tunc elegit sibi gratum  
Militem Mauritium.

Qui lorica fide textam  
Forti gestans pectore,  
Qua beata Thebæorum  
Induebat agmina  
Ad Cælorum, & Consortes  
Invitaret præmia.

Martyr facer quos vocavit  
Inclutus Mauritius  
Omnis simul, quasi unus  
Vir, ductu mirabili  
Ad coronam promerendam  
Properabat cœlitus.

Tunc armati Spiritali  
Ense Christi Milites  
Submittentes quasi Agnus  
Pia colla jugulo  
Triumphabant trucidati  
Spretò mundi Principe.

Contemnentes blandimenta  
Tyrannorum noxia  
Florent, perdunt mundi pœnas  
Pro momento vincere,  
Ut ditentur sine fine  
Sempiterno munere.

Diem Festum resolutum  
Anni monstrat orbita,  
Qua beatam Thebæorum  
Legionem colimus  
Ægris salus, quâ præstatur  
Cæcis visus funditur.

Ea propter supplicantes  
Illis preces fundimus,  
Ut dignentur nobis Christum  
Facere propitium.  
Quem amârunt, cum quo regnant  
Nunc & in perpetuum, Amen.

*Ad*

*Ad Matutinum.*

**M**artyrum Rector, diadema, splendor,  
Palma Sanctorum rutilans fuorum  
Vocibus nostris miseratus adfis  
Christe Redemptor.

Nobilem gaudens hodie piorum  
Martyrum cætus repetit triumphum  
Quæ Poli planè Legionis ordo  
Regna petivit.

Hi Dei summi famuli fideles  
Militum sola specie micantes  
Arma gestabant Jovis, & sub uno  
Pectore Christum.

Lenitas simplex numerositate  
Viribus fractis, sed & apparatu  
Bellico sævis poterant ministris.  
Esse rebelles.

Eligunt mortem patienter omnes  
Mente devoti, pereunt inculti  
Creditur tali clypei vel ensis  
Degener usus.

Concidunt ergo pia membra passim  
Jam frequens densis ager est acervis  
Appetunt cuncti ferientes ictum  
Sumere primi.

Trinitas perpes, Deitâsque simplex,  
Unitas triplex, cui gloriosus  
Martyrum cætus canit in supernis  
Carminis Odas.

Fac tibi Regi pariter canentes  
Cum suis Sanctis mereamur aulam  
Ingredi Cæli, simul & beatam  
Ducere vitam, Amen.

*Ad Laudes.*

**O** locum cultu potiore dignum!  
Corporum qui tot meruit sacrorum  
Sanguinem fundens fluvios merentes  
Ferre cruoris.

Non caret multo Rhodanus cruore  
Purpuram vincens rutilo canore  
Sanguine & tinctus pretiosiore  
Fluminis undâ.

Mauriti Princeps Legiôque tota  
Digna pro Christo posuisse vitam  
Criminum nobis veniam potenti  
Pofce rogatu.

Præstet hoc nobis Deitas beata  
 Patris ac Nati pariterque Sancti  
 Spiritus, cujus resonat per omnem  
 Gloria mundum, Amen.

Præter Hymnodiam istam restat etiam integrum SS. Mauricii & Sociorum Martyrum Thebæorum istorum officium ad normam Breviarii Romani per totam Octavam pro libitu recitandum. Quod conjunctum habetur Historiæ seu Passioni illorum primum à Sancto Eucharico Lugdunensi Episcopo conscriptæ, post verò Ingolstadii anno 1617. typis Ederianis in 4to. recusæ. Sed ad propositum nostrum ulterius profequendum pergamus.

Sepulchra Beatorum Martyrum altè fatorum veneraturus anno Christi 380. Agaunum declinavit, & à viris ibi piè ac religiosè Deum in sanctis suis colentibus ( Jam tum enim temporis ante primam Monasterii foundationem à S. Sigismundo Burgundiæ Rege & Martyre factam devotionis causâ viri aliqui ibidem loci constiterant, incertum tamen cujus instituti; probabilius fuerunt Clerici in communi secundum instituta & Canones SS. Patrum vitam Apostolicam viventes, qui nunc & Regulares dicuntur, uti paulò inferius fusiùs probabo ) sacras aliquot reliquias intensissimè petiit S. Martinus magnus Turonensium Episcopus; verùm quia ignotus & extraneus apparuit, haud fuit exauditus; repulsam passus, denique requisivit, ut saltem locus monstraretur Passionis, quatenus nempe terram tam sancto æquè ac copioso Martyrum sanguine cruentatam ac sanctificatam scalpello seu cultello suo effoderet, eamque pro reliquiis Turonem secum asportare liceret. Quòd dum sanctissimus Antistes molitur, illico sacratum Martyrum sanguis effusâ terrâ densissimè scaturivit, quem ille summa veneratione colligens, duas, quas peregrinantium more secum detulit, lagenas de hujusmodi cruore replevit; & cùm fons ille salutaris amplius ebulliret, Deum Martinus effusis precibus enixè rogavit, quatenus adhuc unum misericorditer impertiri dignetur vasculum, in quo reponere posset & reliquum sanguinem illum è terra profluentem. Tum ecce confestim Angelus Domini Sancto Episcopo in id devotissimè supplicanti detulit ampullam ex lapide agataneo confectam, quam pariter venerando Martyrum liquore replevit. Ast venerandus Episcopus supernâ sic Numinis gratia ditatus, se sèque loco subducere parans, ultra gressus figere occulta vi prohibitus, suo loco immobilis constitit; unde monitus ab Angelo prædictam ampullam cum una de duabus suis propriis lagena viris religiosis loco præsentibus reliquit, tertiam sibi servans, per viam suam securus exinde pergens ad propria secum tulit, hodie dum in Andegavensi Cathedrali Ecclesia, eidem S. Martino Episcopo dicatâ religiosissimè servatam. Cultellum, quo ad terram effodiendam usus fuerat, piis incolis Agaunensibus pariter relictus est. Ampulla agatanea, quam ex una parte concreto sanguine rubricatam nostris etiamnum temporibus inspicere licet in sacrario Agaunensi summa veneratione repositam, unius ferè pedis altitudine, crassitie dimidii constat. In circumferentia figuræ visuntur & imagines senis cujusdam super baculum innixi, prope quem effigies conspicitur anùs alicujus superfedentis; similiter imagines duorum equorum unâ cum militibus scuta & lanceas tenentibus. Reverendissimus ac Illustrissimus DD. Petrus Franciscus Odet Canonice Augensis Abbas gratiosè nuper ad nos rescripsit, ex certa & fideli traditione ab itidem Reverendissimo venerandæ memoriæ Prædecessore suo proximo sibi facta, superioribus annis non neminem ex viris Principibus Germaniæ nostræ pro eadem ampulla hac ultro obtulisse decem millia Ducatorum Hungaricorum. Cui relationi suffragatur testimonium à celeberrimo Christianissimi Regis Concionatore aulico R. P. Claudio Lingem de Soc. Jesu Presbytero desuper editum. Hic Romam abiturus, & ex itinere suo ad Regulares Canonicos Agaunenses delatus coram fideliter edixit, totam Galliam pretiosiore ampullam seu lapidem agataneum non habere. Præter hæc & amplius in loco Martyrii, à gloriosa tantorum virorum passione seu letho, *Violethum* intitulato, hodie dum extat facellum aliquod cum grandi lapide columnis marmoreis imposito, super quem ( ut constans traditio habet ) Sanctissimus Archistrategus Mauritius fuit decollatus; idque facellum quotidianis quasi coruscans miraculis admodum celebre ac famosum est; eò quòd in isto, velut in piscina probatica, magnus claudorum, aridorum, item energumenorum aliorumque quacunque demum corporali infirmitate detentorum numerus ( haud dubiè SS. Thebæis Martyribus fortiter intercedentibus ) optatæ sanitati restituatur. Consecratum autem olim fuit, præfatum facellum in honorem S. Martini Turonensis Episcopi, ad perennem memoriam prodigiosæ scaturiginis illius supra recensitæ, quæ in gemina etiam Turonensi & Andegavensi Cathedrali Ecclesia, maximâ concurrentis populi frequentia, festivissimo ritu, quotannis recolitur 13. Calendas Maji. Sed tendamus ultra.

Primæ igitur nobilissimæ foundationis hujus Agaunensis primus extitit auctor S. Sigismundus Burgundionum Rex & Martyr, in Fastis Romanæ Ecclesiæ Calendis Maji  
 recen-

recensitus, qui Monasterium hoc juxta Annales domesticos sub annum gratiæ 514. (Bollandus in Act. SS. Tom. 2. 11. Febr. de S. Severino pag. 545. ex Mario Aventicensi Episcopo habet annum ad consulatum Florentii & Anthemii hoc est 515. Fredegarius in Historia Epitomata Cap. 34. annum habet sub Simmacho & Boëtio Cossive 522. quò ex cæde Sighirici filii pænitens & hoc & alia Monasteria piè instituit) à se conditum amplissimis fundis instruxit, simul & abundantissimè locupletavit; prout fusiùs explanat ipsa primævæ foundationis series, taliter in scriptis adornata:

### In Nomine Domini Nostri Jesu Christi &c.

Cum felicitate regnante Domino nostro Sigismundo Pio sub die pridie Calendas Maji à sexaginta Episcopis, tot quoque Comitibus, habitò Consiliò Dei Nomine Agauni publicè idem Rex exorsus est dicere: audivi in Evangelio Dominum dicentem, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum; certus sum enim de vestra sanctitate Dominici Patres, ut in isto Conventu sit nobis Adjutor omnipotens Deus. Tunc S. Maximus urbis Genevensis Episcopus: quoniam nihil est, quod ex ipso non agatur, petendus nobis, ut ad æterna gaudia pervenire mereamur. Tunc dixit Rex, ad hoc vos advocavi, ut mœrentem me consolemini, item quid agam, vel quid respuam, edisseratis; responderunt Episcopi: honor tuus est, ô Rex judicium diligere, & facere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo; quibus auditis Rex dixit, jam abjeci omnem ambiguitatem & absterfit Deus à me omnem perfidiam Arianorum, amplexus sum fidem Catholicam, sum servus Jesu Christi, instruite me, quomodo ei parere debeam, cujus me confiteor esse amicum. Tunc præfatus strenuus Prædicator Maximus dixit: audi Sanctissimum Regem ô Rex Piissime! dicentem, accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescant, & alibi: jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet; & Dominus in Evangelio: venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ad hanc ergo orationem compunctus Rex ait: dic ergo alme Pater, valdè delector in tuis sermonibus; tum sanctissimus ille ait: quamvis indigni nostri officium est, ad annuntiandum, sed tuum est ad implendum, sit ergo eloquium nostrum sale conditum, ut audiant mansueti, & latentur, & ut non vituperetur ministerium nostrum. Sermones nostri Deo adjuvante & divina autoritate proferantur: Salutem tuam dilige, & hos, qui recto sunt corde, & ambulant simpliciter coram Deo in omni bonitate, & justitiâ, & veritate: Te ipsum castum custodi, & noli communicare peccatis, ut cum Beato David securus dicas: odivi congregationem malignantium, & innocentes & recti corde adhæserunt mihi; hoc enim faciens te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Nobis oportunitum est, ut tu justè vivas propter illud, quod Propheta ait: qualis fuerit Doctor veritatis, tales & inhabitantes eam. Hæc & similia Beatò Maximò dicente, Rex & omnis Populus, qui cum eo erant, suspirantes, & Deo gratias agentes, quia talem haberent Instauratorem, qui omnem hæsitantiam auferret à cordibus eorum. Tum S. Theodorus Episcopus Sedunensis ait: Instantia cordis mei, ut proferam sermonem vestris salubribus consiliis, quid agendum sit de SS. Martyrum Thebæorum corporibus, id est S. Mauritii cum suis Commilitonibus, qui pro Deo summo à Maximiniano perempti sunt, & inhumati jacent, nescio, quis sit homo, qui prævaleat secundum merita eorum singulis fabricate Ecclesias. Tunc omnes Episcopi dixerunt, de cruore eorum locus iste Sacer est & electus. Illi exules fuerunt à Patria, vitam mundi contemnentes, caduca respuentes, consanguinitatem proximi non recogitantes, juventuti non parentes, pro Christi amore mortui sunt, & per Christum sanctificati sunt. Tunc Rex lacrymabili voce ob devotionem prorupit, utinam impietas mea mihi impedimento non fuisset, ut cum illis fuisset, & pariter occubuisset, focius fuisset cum gaudio eorum. Sed nunc auxiliante Deo videte, quomodo accipiant honorificè sepulturam. Initò Consiliò dixerunt ad Regem, visum est nobis bonum esse, ut hi tantum, quorum nomina comperta sunt, id est Beatorum Mauritii, Exuperii, Candidi, & Victoris infra ambitum Basilicæ, quam Clementia Regis ad hoc opus exornari jussit, sepeliantur; reliqua verò corpora congerantur, in fortissimo atque aptissimo unò condiantur loco, & sub eximia custodia sanctissimi custodis deputentur, ne fortè, quod absit, falsatò ex eis furentur, & officium psallendi diu noctuque custodiat. Ita unà cum Rege omnibus placuit, ut virum sanctissimum in universis operibus bonis comprobatum in ipso loco Ymnemundum constituerent Abbatem, qui & ipse accersitus à venerabilibus Episcopis unà cum S. Arvio, S. Ambrosio, S. Proto, & cæteris sanctissimis viris, qui ad hoc opus suscipiendum de Monasterio Granensi venerunt. Hæc Christi inter se cogitantes instructionem imponere deberent; quia propter illud institutum psallentium, quod ibidem Deo protegente ammodo & impostero sit conservandum, non potest, ut cætera Mo-

nafteria, exercere opera. S. Antoninus Urbis Gratianopolitanae Episcopus ait: dicit Salomon, ubi plura sunt Consilia, maxima est salus. Ad hoc venimus, ut prolatis ex Divina Scriptura sententiis devotio Regis impleatur, ejusque series roboretur. Tandem quid utilius invenire possumus facere, & non filere, ut subditi queant subjicientes nos veritati Judices, de quibus Dominus in Evangelio ait: alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, ipsi autem digito suo nolunt ea movere. Ecce jam dictus Dominus noster Sigismundus Rex Monasterium Agauni largitatis opibus ditavit; conveniens itaque est, ut juxta quod supradictus Pater Ymnemundus Abbas peritissimam vitam gerit, Posterius ejus imitentur, & exemplum sanctitatis ejus in corde meditentur, & in opere exercent, rectè mihi videtur, ut secundum plenissimam devotionem Domini Regis de psallendi institutionibus fiant novem normæ, id est Granensis, Islanariensis, & Mellicensis & cætera, & succedentes sibi, in officiis Canonicis, id est nocturnis Matutinis, Primâ, Secundâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ Vespertinâ in pace diu noctuque famulentur. His verò dictis omnes Episcopi consenserunt. Quibus Rex ait: jam enim de psallendi officio desiderio meo satisfactum est, quid vobis videtur de munificentia Monasterii & exhortatione Doctrinæ, vel qualiter ipsi Monachi vivere debeant, jam enim supra dictum est, ut, quia sicut cætera Monasteria propter institutum non queant opera exercere, quam Regulæ institutionem debeant sectari, diligenter examinantes, ut ex nostrâ autoritate sit munitum, & firmitate manûs nostræ roboretur, atque vinculo anathematis obligatum? ad hanc interrogationem venerabilis vir Juventiolus Urbis Lugdunensis Episcopus unâ cum aliis Episcopis respondit: optimè nobis videtur, ut munificentiam ad Regem habeant, exhortationem verò & Doctrinam ad sedem Apostolicam; jam quia scimus, probatam habere disciplinam & sanctam conversationem Sanctum Ymnemundum, quem constituimus Monasterio huic, & posterius ejus sequantur ad omne opus bonum explendum; tamen sub brevitate instituimus, ut omnes obediant ei, & sine præceptis ipsius nihil agatur, & quidquid à Prioribus ordinatum fuerit, sine murmuratione juniores expleant, & per singulas normas singuli Decani constituentur digni, ut Abbas diviso pondere de providentia eorum sit securus; de vestimentis verò scimus, quia locus iste aëris intemperie intemperatus est, propterea tam ad induendum, quam & in lectis in Abbatis sit consideratione. Similiter de cibo & potu: unum habeant Dormitorium, unum habeant refectorium, unum locum ad calefaciendum. De Disciplina verò & gravioris culpis secundum Canones judicetur, de minoribus autem ut Abbas judicaverit, & Fratres consenserunt; melius est enim cum amico flagellari, quam cum adversario in interitum præcipitari. Jejunium ut cætera Monasteria agant, & diu noctuque orationibus vacent, & semper meditentur, ut Deo placeant, & egredi de Monasterio sine permisso Prioris nullus præsumat. Placuit & nobis, ut ipse Abbas, qui nunc est, & qui futuri, sint instructi ex autoritate tam de veteri Testamento quam de novo ædificentur, & per Capitula scribantur, ut posterius teneant. Hæc instituta sunt propter eum, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis in odorem suavitatis. Videat ne quis sit, qui hæc violare audeat, & iram omnipotentis incurrat, & si tempus advenerit (quod Deus avertat) quod cum vulsione, aut concussione, aut disceptatione contra hæc agere tentaverit, tunc Abbas prædicti Monasterii quasi ad fortem concussionem ad fidem Apostolicam abeat, quasi lumen petens illuminans, inde ad cellam suam revertatur, & probet, quod potentior omnium est sapientia, & quid sit distinctio inter fulsum & insulsum, & ideo Deo auxiliante permaneant indivisâ charitate, aut sicut nunc est Gloriosissimi Regis devotio suppleta & omnium consensus, ut sit in perpetuum conservatum atque roboratum. Præterea ego Sigismundus Gratiâ Dei Rex Burgundionum Christo auspice consideravi unâ cum supradictis sexaginta Episcopis totque comitibus de jam dicto Monasterio, quod vocatur *Agaunum*, quod nunc Domino adjuvante intra Regnum nostrum Burgundionum construximus, & Venerabilem Virum Ymnemundum, sicut prædiximus, ibidem constituimus in Abbatem, ubi tanta & talia Corpora Thebæorum Martyrum, qui pro Christo sanguinem suum non dubitaverunt fundere, ad luminaria vel stipendia Monachorum quid agere debeo nisi sicut Dominus Noster Jesus Christus loquitur dicens: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, & date eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis, & quicumque reliquerit domos aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit; ideo pertractans verba Redemptoris nostri eidem Monasterio pro animæ salute de rebus meis dono, donatumque in perpetuum esse volo, hoc est in pagis, vel in territoriis Lugdunensi, Viennensi, Gratianopolitano, & Augustâ Cameraria, & pago Genevensi, & pago Valdensi, & sine Aventicensi, & Lausanensi, & Bissuntinensi curtes sic nuncupatas, Briogia, Orona, Cujava, Vambregio, Marvis, communiano, Merinaco, Nunato unâ cum appendiciis earum, & in pago Vallensi, & in Valle Augustana, quæ est in finibus Italiæ, alias curtes contextas Sivine, Bernona, & Leuca Blomascio duodecimo paterno in civitate Augusta turrim

turrim unam, quæ respicit ad occidentem, & Levina Logana, Gyzonolis, & Mogetum cum omni integritate & appendiciis vel adiacentiis earum, id est, in terris, domibus, ædificiis, mancipiis, liberis, & libertis, plebeis, accolis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus & incurfibus, mobilibus & immobilibus seu decimis exquisitum totum ad integrum, quidquid ad ipsas valles aspiciere videtur, ac locum præfatum de S. Mauritio donamus, tradimus atque indulgemus, ea enim ratione, uti ab hac die ipsas res superiùs intimatas prædicta ipsa Dei vel Rectoris ejus in Luminaribus ipsius Ecclesiæ vel ad stipendia ibidem decertantium Monachorum habeant atque possideant, teneant, vel quidquid exinde facere elegerint, liberò perfruantur arbitriò. Propterea hanc donationem nostram fieri iussimus, per quam omninò jubemus, ut nullus quilibet de fidelibus nostris, neque de judiciaria potestate prædictam casam Dei venerabilem Beatissimorum Martyrum aut Rectores ejus, nec non Monachos ibidem consistentes inquietare, nec calumniam generare præsumat, sed sub firmitatis nostræ studium Deo propitiante nostris & futuris temporibus sicut diximus pro mercedis augmento, à Luminaribus ipsius Ecclesiæ, vel ad Monachorum ipsorum stipendia proficiat in augmentis, qualiter ipsam Congregationem Beatissimorum Martyrum meliùs delectet, & pro nobis Dei misericordiam attentius exorare. Et ut hæc donatio vel autoritas firmior habeatur, & per tempora conservetur, & per manûs nostræ signaculum omni tempore obtineat firmitatem, Maximus Urbis Genevensis Episcopus subscripsit. Victor Urbis Gratianopolitanæ Episcopus subscripsit. Juventiolus Urbis Lugdunensis Episcopus subscripsit. Vindemarus Comes signavit, Fredemondus Comes signavit. Agaso Comes signavit. Condulphus Comes signavit. Benedictus Comes signavit. Agano Comes signavit. Bonifacius Comes subscripsit. Fredeboldus Comes subscripsit. Data sub Idus Maji in Virorum fletu propè Agaunum Monasterium feliciter Amen.

Ergo facta est prima hæc Agaunensis fundatio in præsentia (ut statim audivimus) sexaginta Episcoporum, quos ad Synodum Provinciam Sigismundus Rex convocari fecit celebrandam Epauni Annò æræ communis 509. ut habet Antonius Possévinus in apparatu sacro Tom. 1. litt. E. U. *Concilium Epaunense*. Epaunum tum temporis oppidum fuit Valesiæ supra Rhodanum ad radices altissimi montis in amœna fatis planitie, à loco, ubi Agaunense cœnobium postea fuit constitutum, uno solùm milliari seu Semi-Leuca Gallica distans; atque in hoc Epaunensi fundo sæpè dicti Martyres Thebæi spectante cælo agonem suam felicissimè compleverunt; quem tamen locum seu Epaunum oppidum simul & adjacentem planitiem ingenti mole terrea & aquosâ faxis & lapidibus admistâ jam pridem vastatum penitùsque obrutum fuisse notat Marius Aventicensis seu Lausannensis Episcopus in Chronico. Quònam verò tempore & annò ferreum hoc aut faxeum potius diluvium contigerit, haud amplius scitur. Hodie perpauca solum ibi visuntur Domunculæ, ubi locus Concilii seu Epaunum stetit inclytum. Fors verò & insuper miraberis amice lector, quòd ratione foundationis cœnobii hujus Agaunensis inter sexaginta Episcopos à Sigismundo Rege in omnimodam operis consummationem piè consultòs, hodie tam pauci tres solùm Episcopi cum octo Comitibus Instrumento foundationis legantur subscripti? sed sciendum est, omnes quidem, prout credere fas est, quotquot aderant, subscripsisse, recensitam tamen genuinæ foundationis Copiam non ex Originali, utpote à Longobardis jam olim ferrò flammâque grassantibus deperditò fuisse desumptam, sed ex Apographo tantùm aliquo, attamen pervetusto, quod nostrâ etiamnum ætate superest in Pergameno descriptum, in quo, ut dixi, trium duntaxat Episcoporum & octo Comitum fit mentio. Quod etiam incuriâ scriptoris facilè contingere potuit, quando tot nomina attexere tædiosum illi & fastidiosum fuit. Adde etiam, in pergameno illo, locum haud amplius superfuisse, ad omnia dictorum Episcoporum & Comitum nomina rectè collocanda, nisi quisquis tandem ille, qui descripsit, ex adverso & supra dorsum chartæ pergamenæ reliquorum nomina pinxisset.

Cæterùm amplissimum hoc Asceterium Agaunense fundatum & institutum constitit novem Novenis (ut vocant veteres tabellæ) quarum unaquæque centum Therapeutas habuit. Unde Prosa quædam Agaunensis: *Nongentis parat Sigismundus Rex victum fratribus*. Atque hîc loci vetustissimum illud institutum sub Regula Tarnatensi, de qua infra fusiùs, prisca sæculis apprimè floruit, prout antiquos Domicellos Agaunenses præ reliquis de strictissima suæ Regulæ observantia specialiter commendant vita & mores primorum aliquot Abbatum; siquidem ab exordio seu primitiva foundatione sua Monasterium istud rarioris vitæ Sanctimoniâ præcellentes usque ad Annum Christi circiter nongentesimum, triginta numerat & quinque, & ex his nonnullos apothefi solemni donatos. Denique ad Historiam Agaunensem redintegrandam, operæ pretium duco, nomina horum & simul aliorum, qui Canonice huic unquam præfuerunt isthic apponere. Sed tamen Abba-

tes, qui præfederunt à primis cunabulis, quæ Monasterium hoc fumpfit à tempore, quando Ecclesiæ pace data Constantini Magni Imperiò, populi Tarnadæ circum vicini ad sepulchra SS. Martyrum Thebæorum veneratione accedentes innumeris penè meritis ac donis divinitus protrahebantur, usque ad foundationem Sigismundianam, anteceden- ter & separatim enarro, quia perpauci scilicet tres tantum sunt, de quorum Regimine constat, quamvis etiam de his præter nuda nomina in tabulis domesticis plus inveniri haud queat.

Primus igitur Asceterii hujus Agaunensis fuit Ambrosius quidam, tempore scilicet, prout jam supra dictum est, quando convenerunt viri aliquot pietatis ac devotionis zelo præcellentes, seseque Deo simul & Divis Martyribus Thebæis devoventes, Domicilium ibi collocaverunt. Hinc Virum prætaetum Ambrosium, singulari vitæ integritate tunc conspicuum, ut sacro Instituto ac operi inchoato & Fratribus Deo famulantibus præferret, sub nomine Abbatis præfecerunt. Quamdiu autem præfuerit, quando fatis concesserit, quidve singulariter cum & sub eo contigerit, in tabulis etsi pervetustis non reperio; uti etiam sciri non potest, quis Ambrosium in Regimine sit secutus. Verbò: ob Vandalorum incursiones, à quibus S. Florentius Oëtodurensis, hodie Sedunensis, Episcopus unà cum Hilario Diacono suo die 27. Sept. Martyrium subiit, præter quòd S. Martinus Turonensis Episcopus Agauno transiens, ibi multos jam invenerit Religiosos, apud Surium ex Epist. Decani & Canon: Castrum novi, nihil habemus usque ad S. Severinum hujus Monasterii Abbatem.

S. Severinus præfuisse legitur ex Historia Bollandiana 11. Febr. vita S. Severini ab ante annum 476. ad exitum 505. Henricus Murerus in sua Helvetia Sancta ponit annum circiter 493. usque ad annum 512. alii alios hujus Sancti Abbatis numerant annos; certiori notitia constat, quòd obierit Idibus Febr. in Castro Nantonensi (hodie inclytissimum Canonicorum Regularium S. August. Collegium est) ubi bienniò, postquam Clodovæum Francorum Regem Parisiis graviter ægrotantem ab eo advocatus sanavit, reliquum vitæ in Oratorio explevit, ibique à Paschasio & Urficino Presbyteris, hujus Oratorii, lignei tunc, Incolis, sepultus est. Plura qui de Sancto hoc Abbate scire cupit, legat vitæ ejus Scriptores, utpote: MSS. Authoris Anonymi, qui Faustus esse putatur. Item Bellovacensem lib. 21. cap. 21. Petrum Equilinum lib. 3. cap. 115. S. Antoninum part. 2. Tit. 11. cap. 19. §. 4. Legendam excusam Lovanii 1485. Cornelium Grafium. Franciscum Haræum. Heribertum Rosweydam. Quilielmum Gazæum. Renatum Benedictum. Jacobum Doubletium in vitis SS. Henricum Murerum in Helvet. Sancta. Baronium Tom. 6. Annal. ad annum 508. num. 35. 36. Claudium Robertum in Gallia Christiana. Aimonium Histor. Francor. lib. 4. cap. 24. & plures alios.

S. Avitus Viennensis Episcopus audita morte S. Severini, ne Ecclesia Agaunensis suo Pastore orbata aliquam jacturam pateretur, Regimen Monasterii in se suscepit. Intra hoc tempus de speciali mandato S. Sigismundi Regis & Mart. Caput S. Mauritii Mart. unà cum Clypeo illius Viennam ad Metropolim suam deportari fecit. Unde & Ecclesia illa, quæ prius SS. Martyribus Machabæis dedicata fuerat, nomen pariter ac titulum S. Mauritii avidissimè suscepit. Hodie venerandum Caput S. Mauritii condigno honore colitur ac pretiosè servatur Augustæ Vindelicorum, famosa civitate Imperiali in Suevia, in Templo S. Salvatoris, quod est Societatis Jesu. Procuravit S. Avitus cænobium Agaunense usque dum Patres, Concilio Epaunensi in unum convenientes S. Sigismundo persuaserunt, ut in honorem Dei & SS. Martyrum Thebæorum Ecclesiam ampliorem, atque illustrioris structuræ Monasterium ædificare constitueret, quod & factum est, ut sæpè jam dixi, Idus Maji anno 514. ubi S. Fundator multorum copiam prædiorum ad ordinem pfallentium instituendum dictæ Ecclesiæ in dotem dedit. Quosdam etiam regiminis articulos designavit observandos, ut videre est in foundationis Instrumento supra recensito, cum institutione novi Abbatis nomine Ymnemundus. Jam verò antequam ad reliquos succedentes Abbates Agaunenses describendos descendam, investigare lubet, qui & cujus Instituti fuerint cænobitæ Agaunenses tum ante foundationem Sigismundianam, quam etiam factâ hæc, quando novus Abbas Ymnemundus gubernacula tenuit.

Tam ante quàm post factam foundationem, ut dixi, Sigismundianum Monasterium Agaunense hoc in censum Benedictinorum abripiunt, & primos antiquosque Abbates paris Ordinis & Regulæ Benedictinæ conclamant Trithemius de viris Illustribus Ord. S. Benedict. Lib. 3. cap. 257. ubi de S. Severino. & cap. 273. ubi de S. Ambrosio. Arnoldus Wion in suo Martyriolog. die 2. Nov. Antonius Jeyes in Chronico Ordinis Centur. 1. cap. 3. fol. 221. Gabriel Bucelinus in Menelog. Benedict. ad Diem 2. Nov. item Dorganius in



in Calend. Menardus & plures alii. Sed noto in contrarium ex Actis SS. Joan. Bolland. II. Febr. vitâ S. Severini §. 1. *Certum esse, erravisse Trithemium cum cæteris omnibus, qui Auctorem hunc sunt secuti, S. Severinum consequenter & primores cænobitas Agaunenses omnes inter viros illustres Ordinis Benedictini recensendo: luce enim meridiana clarius est, Agaunum omnem suam originem longè prius habuisse, quàm Sanctissimus Patriarcha Benedictus suum undequaquam venerandum Ordinem instituit, imò antequam ipse S. Pater in lucem prodiret. Nec refert, ipsum S. Severinum asserere, Faustum Presbyterum sibi servivisse Agauni per XXX. annos; si enim hoc, tunc clarè iterum patet, Faustum S. Severino famulatum fuisse, antequam nasceretur. Odoratus est hunc errorem Menardus & Jepsius, hinc ut ipsemet in loco prius citato fatetur: *Albo Ordinis Benedictini eximendum esse S. Severinum, cum ante vixerit, quàm S. Marcus ex Italia in Galliam se trajecisset.* His instantibus sæpèfatus auctor Joannes Bollandus loc. cit. arbitratur institutum, quodcunque demum fuerit, non esse tam stricte sumendum pro vita aliqua cænobitica, eò quòd cum Clericis commixtam habitationem ibi habuerint simul & viri & fæminæ sæculares, ut claret ex Historia Abbatum Agaunensium ab Sancti Achivii 3tii Abbatis discipulo conscripta, sic enim habet: *Cum Sigismundus Gundebodi Regis Filius, jam honore Patriatus accinctus, Ariane pravitatis abjecisset perfidiam, & fidem Catholici Dogmatis consecutus, animum suum erga Religionis studia intentissimè commendabat. Eò tempore Maximus Genevensis Urbis Antistes omni sanctitate & puritate conspicuus, cunctæ industriæ strenuitate egregius, apud quem Prædicatio divini Sermonis vehementer pollebat, ad hanc devotionem Sigismundi præcordia incitavit, ut de loco illo, quem pretiosa morte Thebæi Martyres, & effusione sanguinis inclyti felicibus maculis rosea varietate ornaverant, promiscui vulgi commixta habitatio tolleretur; & illi, cui splendor vitæ per passionis atrocitatem fuerat acquisitus, nitor habitantium remearet: exclusisque actionibus tenebrarum dies perpetuus haberetur; ita fore, ut hisdem patrocinantibus & regno & regni integritate tutissimè potiretur. . . . . Igitur habito Consilio, quod Universitati Dei instinctu complacuit, visum est, ut omnes mulieres de loco eodem tollerentur; & remotis familiis sæcularibus, Dei imbi, hoc est Monachorum, familia locaretur, qui die noctuque cælestia imitantes, cantionibus divinis insisterent pertractandis. Fas sit fortasse, commentatur super hoc Bollandus, suspicari, Monasterium non ita stricte summi pro Domicilio Monachalis vitæ exercitatoribus destinato, sed ut alibi sæpè pro templo Delique aut sanctorum cultui dicato loco: Abbatem vocari S. Severinum, qui locum illum rexerit, ac plures etiam forsân sacerdotes ac Clericos sibi subiectos habuerit: nisi hic existimetur alio ex Monasterio illuc cum paucis Monachis venisse, atque cum sæcularibus degentes promovisse quidem SS. Martyrum venerationem, & convenarum pietatem; nunquam tamen ad perfecti cænobii normam perducere rem valuisse. Certè qui duo eum ad Castrum Nantonis secuti sunt, eorum alterum Monachum nostrum appellavit; nisi illud evenerit Agaunensibus, ut post decessum S. Severini inde cæteri Monachi destulerint, omnisque conciderit pristina disciplina tenor, nemine vel ipsa facta tecta cænobii curante, sub hæretico Rege Gundebado. Hoc ultimum quàm facillimè credendum; quippe in solo Agauno prima vice factum non est, ubi disciplina Religiosè Monachalis in optimo flore coruscans demum concidit, & esse fœdè desit, præsertim quando tam fortes habuit adversarios, Reges hæreticos. At Monasterium in Agauno non ita stricte sumi pro Domicilio Monachalis vitæ exercitatoribus destinato, non tam faciliter persuadet Bollandus, cum meo iudicio fas non est, Domicilium quoddam vel unquam Monasterium stricte sumi non debere, ubi Incolæ Monachi dicuntur, & vivere Monachicè sub Regimine Abbatis; utpote ad quid nomen Abbatis? vel ad quid nomen Monachi, ubi Monachus & verus Religiosus, etsi sub stricte disciplina Religiosa, non est? verum igitur & stricte tale Monasterium extitit Agaunense, verique Religiosi & Monachi hoc inhabitaverunt, non obstant commixta habitatione cum Religiosis virorum & Mulierum etiam sæcularium, id quod antiquioribus temporibus frequenter contigit. Sed denuo & ultimatò redit Quæstio, cujus tandem instituti fuerint cænobitæ Agaunenses, sub Sancto suo Abbate Severino & ante? sic demum resolvo, cum cænobitæ Agaunenses Clerici vocitentur simpliciter, hique sub Disciplina Abbatis semper vixerint, ut paulò ante luculenter ostensum est, quid prohibet, quin eos Clericos dicam proprii expertes? verbò: Clericos ad normam Apostolorum in communi viventes, qui modo Canonici vocantur Regulares? planè qui ea, quæ in præfatione de Ordine nostro Canonico-Apostolico dixi, vel perfunctoriè saltem legerit, ultroneè in meam ibit sententiam. Attamen quidquid sit de instituto primæ foundationis, certius & irrefragabile manet argumentum pro 2da. foundatione Sigismundiana, Canonicos scilicet Regulares Agaunum inhabitasse à primo Institutionis anno, prout etiamnum inhabitant. Sententia hæc stabilitur ab Anonymo quodam Gallicanæ Congregationis Canonico, cum plura de variis Magni Augustini Regulis eruditè differuisset, ita tandem concludente: *& vero, si probè constaret, Monachos Urbanos, publicarumque Ecclesiarum Incolas, quales Gregorius Turonensis, aut ejus æquales scriptores nobis exhibent, & Regulam Augustinianam observasse, & Clericos simpliciter vocitatos esse, quomodo Tarnatenses seu Agaunenses & Regulam Augustinianam observasse scimus, & Clericos***

absolutè vocitatos esse, è doctis ætate nostra multi putarunt, tales ego non dubitarem Augustinianis Canonicis annumerari debuisse, et etiam tempore, cum Monachi à nonnullis vocari pergebant.

Clarius rem referendo, tali hinc argumentatione utitur allegatus auctor: *Regulares, qui Clerici simpliciter vocati Regulam Augustini tenuerunt, et etiam tempore, quo Monachi à nonnullis vocabantur, Augustinianis Canonicis indubitato sunt accensendi. Atqui primi illi Regulares Agaunenses & Clerici suere vocati, & Regulam Augustinianam observarunt. Ergo Canonicis Augustinianis sunt accensendi.* Religiosos Agaunenses Clericos fuisse vocitatos non ætate tantummodo nostra, sed etiam provectiore, docti certo putarunt multi, id quod in obviis quibuscunque rem tractantibus invenire est libris & Auctoribus; & Regulam eos observasse Augustinianam, ex eo claret, quod Regula Tarnatensis huic Monasterio propria, & à primo Abbate Ymmemundo conscripta eadem sit, quæ aliàs & ubique observatur ab omnibus Canonicis S. Augustini æmulatoribus. Inspiciatur schema subsequens, & res ad oculum patebit:

## Regula S. P. Aurelii Augustini.

## Proemium.

**A**Nte omnia, Fratres charissimi diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data &c.

## Caput I.

**P**rimum, propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima una, & cor unum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Et distribuatur unicuique vestrum à Præposito vestro victus, & tegumentum; non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apostolorum; quia erant illis omnia communia, & distribuatur unicuique, sicut cuique opus erat. Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur, etiam si paupertas illorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire. Tantum non ideo se putent esse felices, quia invenerunt victum, & tegumentum quale foris invenire non poterant: nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant; sed sursum cor habeant, & terrena, ac vana non quærant, ne incipiant esse Monasteria divitibus utilia, non pauperibus, si divites illic humiliantur, & pauperes illic insulantur. Rursus etiam illi, qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio Fratres suos, qui ad illam sanctam Societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum Fratrum societate gloriari. Nec extollantur; si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt: nec de suis divitiis

## Regula Tarnatensis.

## ex Cap. 14.

**I**mprimis diligamus DEUM tota virtute animi, deinde proximum ista enim nobis sunt præcepta specialiter data.

## Ex eodem Cap.

**H**æc sunt, quæ in Monasterio constitutis pro Dei amore & timore convenit observare, propter quod in unum estis pro timore Domini congregati, oportet, ut in domo Domini unanimes habitetis, & sit vobis anima una & cor unum in timore Domini pervigilans; nihilque habere vos proprium reputetis; sed sint vobis cuncta communia, quæ vobis Abbatis Imperio dispensentur, non æqualiter omnibus; sed sicut ratio dispensationis, aut causa infirmitatis exegerit; unicuique tamen secundum quod opus fuerit, tribuatur: sicut in actibus Apostolorum legimus: quia erant illis omnia communia, & distribuatur unicuique, sicut cuique opus erat. Qui enim aliqua habuerint in sæculo, quando expetere Monasterium meruerint, libenter tradant omnibus profutura, studentes, ut cum dimiserint facultatem, ipsam simul exuant concupiscendi voluntatem, & cum dimittitur possessio, abiiciatur & passio, qui autem non habuerunt, turpe est, ut quærant, quæ se non recolunt reliquisse, & non ideo æstiment se felices, quia invenerunt in Monasterio, quod foris invenire non poterant, nec superbiant, quod sociantur eis, ad quos ante accedere pro divitiarum ubertate, aut pro Natalium splendore non poterant; sed sursum cor habeant, & quæ sunt caduca, vel cursu celeri peritura non quærant, ubi autem divites humiliantur, pauperes non insulantur: ne incipiant Monasteria utilia plus esse divitibus, quam egenis, nam & illi qui locupletes videbantur in sæculo, fratres ad sanctam Societatem ex paupertate venientes non fastidiosè suscipiant: sed talium personarum societate,

&amp;

tiis magis superbiant, quia eas Monasterio partiuntur, quam si eis in sæculo fruere-  
tur. Alia quippe quæcunque iniquitas in  
malis operibus exercetur, ut fiant: super-  
bia verò etiam bonis operibus insidiatur, ut  
pereant, & quid prodest dispergere dandò  
pauperibus, & pauperem fieri, cum anima  
misera superbior efficiatur divitiis contem-  
nendò, quam fuerat possidendò? omnes er-  
go unanimiter & concorditer vivite, & ho-  
norate in vobis invicem Deum, cujus tem-  
pla facti estis,

## Caput II.

**O**Rationibus instate, horis & temporibus  
constitutis. In Oratorio nemo aliquid  
agat, nisi ad quod factum est, unde & no-  
men accepit: ut si fortè aliqui etiam præ-  
ter horas constitutas, si eis vacat, orare  
voluerint, non eis sint impedimento, qui  
ibi aliquid agendum putaverint. Psalmis &  
Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in  
corde, quod profertur in voce, & nolite  
cantare, nisi quod legitis esse cantandum:  
quod autem non ita scriptum est, ut cantetur,  
non cantetur. Carnem vestram domate jeju-  
niis & abstinentia escæ & potûs, quantum  
valetudo permittit. Quando autem aliquis  
non potest jejunare, non tamen extra Ho-  
ram prandii aliquid alimentorum sumat, nisi  
cum ægrotat.

## Caput III.

**C**um acceditis ad mensam, donec inde  
furgatis, quod vobis secundum consue-  
tudinem legitur, sine tumultu & conten-  
tionibus audite. Nec solæ vobis fauces su-  
mant cibum, sed & aures esuriant Dei ver-  
bum. Qui infirmi sunt ex pristina consue-  
tudine, si aliter tractantur in victu, non de-  
bet aliis molestum esse, nec injustum videri  
eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores.  
Nec illos feliciores putent, quia sumunt, quod  
non sumunt ipsi: sed sibi potius gratulentur,  
quia valent, quod non valent illi. Et  
si eis, qui venerunt ex moribus delicatiori-  
bus ad Monasterium, aliquid alimentorum,  
vestimentorum, operimentorum, datur,  
quod aliis fortioribus, & ideo felicioribus,  
non datur; cogitare debent, quantum de  
sua sæculari vita illi ad istam descenderint,  
quamvis usque ad aliorum, qui sunt Corpore  
firmiores, frugalitatem pervenire nequi-  
verint. Nec debent velle omnes, quod  
paucos vident amplius, non quia honorantur,  
sed quia tolerantur, accipere: ne con-  
tingat detestanda perversitas, ut in Mona-  
sterio, ubi quantum possunt, fiunt divites  
laboriosi, fiant pauperes delicati. Sanè  
quemadmodum ægrotantes, ne cessè habent,  
minus

& contubernio gratulentur, nec ob hoc ex-  
tollantur, si ad juvandas fraternitatis expen-  
sas quamcunque facultatum suarum parti-  
culam contulerint, & inde postmodum ca-  
dant, unde prius ascendere cupiebant, quid  
prodest opes dispergere, & pauper fieri pau-  
peribus erogandò, si anima misera super-  
bior efficiatur divitiis contemnendò, quam  
fuerat possidendò? omnes ergo in unanimi-  
tate perstantes honorate in vobis Deum,  
cujus templa effici meruistis.

## Caput XV.

**I**N oratorio præter orandi & psallendi cul-  
tum penitus nihil agatur; ut nomini huic  
& opera jugiter impensa concordent: ut si  
aliquis præter constitutas horas Domino sup-  
plicaturus ingreditur, votum suum occu-  
patio aliena non tardet. Nolite cantare,  
nisi quod legitis esse cantandum. Carnem  
vestram mortificate per abstinentiam, do-  
mate jejuniis, atque vigiliis; animam verò  
vestram nitore bonæ conversationis abluite.  
Ex cap. 16. Si attenuatus abstinentia fra-  
ter non valuerit jejunia suscepta portare,  
nisi prandii hora completa, aliquid accipere  
judicet indecorum. Illi verò, qui incom-  
modo deinentur, & designatas horas non  
possunt custodire, licitè concedatur, perci-  
pian quando possunt.

## Ex eodem Cap.

**N**ec debet aliis molestiam generare, si  
largior illis fuerit victus impensus, qui  
in conversatione sæculari sumptuosius tra-  
stabantur; atque ob hoc non beatiore æ-  
stiment se videri, quos facit aut natalium  
mediocritas, aut consuetudo alio fortiores.  
Nec feliciores judicent, quibus in infirmi-  
tate præstatur, quod sanis pro observantiæ  
rigore subtrahitur: etsi eis, quos parentes  
delicatiùs aluerunt, victus, aut vestimenta  
largiùs tribuantur, non ob hoc, debet  
commoveri fraternitas, quod fortioribus  
Corpore pro constitutione Regulæ denega-  
tur, quod illis charitatis consideratione tri-  
buatur: quia debet esse respectus, quanta  
amore Religionis contempserint, cuique se  
abjectioni divina inspiratione submiserint.  
Nec debet supra memorata præsumptio pau-  
cis impensa, ab universitate quasi canonica  
reputari. Æquum namque non est, ut in  
beata habitatione, ubi inclinantur divites,  
pauperes erigantur, sanè inæqualitate con-  
stricti ita sunt tractandi, ut vires incom-  
moditate confectas velociùs præstatio larga  
corroboret: nec in infirmitate manentibus  
discretionem victus afferat distantia per-  
sonarum. Qui tamen, cum integram fue-  
rint

minus accipere, ne graventur; ita & post ægritudinem sic tractandi sunt, ut citius recreentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerunt: tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior consuetudo. Sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorum consuetudinem suam, quæ famulos Dei tantò amplius decet, quantò minus indigent: nec cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos necessitas aliquando levârat infirmos; illos æstiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores: melius est enim minus egere, quàm plus habere.

#### Caput IV.

**N**on sit notabilis habitus vester, nec affectus vestibus placere, sed moribus. Quando proceditis, simul ambulate: cum veneritis, quo itis, simul stete, in incessu, statu, habitu, in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

Oculi vestri etsi jaciuntur in aliquam fæminarum, figantur in nulla; neque enim, quando proceditis, fæminas videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle criminofum est. Nec solo tactu & affectu, sed aspectu quoque appetitur, & appetit concupiscentia fæminarum: nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici Cordis est nuntius. Et cum se invicem sibimet etiam tacente lingua, conspectu mutuo Corda nuntiant impudica, & secundum concupiscentiam Carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit Castitas ipsa de moribus. Nec putare debet, qui in fæminam figit oculum, & illius in se ipse diligit fixum, ab aliis se non videri, cum hoc fecerit: videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest, an ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius quantò sapientius? Illi ergo vir Sanctus timeat displicere, ne velit fæminæ male placere: illum cogitet omnia videre, ne velit fæminam male videre. Illius namque & in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est; *abominatio est Domino defigens oculum*, quando ergo simul estis in Ecclesia, & ubicunque, ubi fæminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

Caput V.

runt virtutum corporis affecti, consuetudinariis habitibus abstinentiæ teneantur; quia decet famulos Dei boni operis consuetudinem non minuere, sed augere.



#### Caput XVII.

**N**on sit notabilis habitus vester, nec intendatis vestibus placere, sed moribus. Cum autem proceditis simul incedite. Cum ad optatum locum, custodiente Domino, perveneritis, in unum fraternitas cuncta subsistat. In incessu, in statu, in omni corporis motu nil indecens videatur, quod intendentis offendat aspectum; sed illis operam date, quæ vestræ conveniunt sanctitati.

#### Caput VIII.

**O**culi vestri, si in quacunque parte porrecti, vultum incurrerint fæminarum, animus tamen Deo deditus nullâ concupiscentiæ maculâ polluat. Procedentes ergo, quia non prohibemini, nec valetis contemplationem effugere fæminarum, appetere tamen, & ab ipsis appeti velle crimen est. Nec solo tactu & affectu, sed aspectu quoque concupiscentia incurritur fæminarum: nec statuatis habere vos oculos pudicos, sigeratis animos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Qui autem in fæmina libidini conscia convertit aspectum, non æstimet latere, quod mens peccatis gravata concepit. Sed fac certum esse quod lateat, ut à nullo prorsus homine videatur, quid de illo faciet inspectore, quem secreta non fallunt, quem occulta latere non possunt; illi ergo vir sanctus Deo timeat displicere, cui fidelem famulum se cupit ostendere: Cogitet ne animo suo fæminas malè placituras insinuet: metuat eum omnia videre, cui humanus actus nihil valet occultare. Illius ergo timor præsens jugiter habeatur, de quo scriptum est: *Abominatio est Domino defigens oculum*. Prov. 16. Quando ergo simul estis in Ecclesia, aut in quocunque loco ubi esse possint præsentibus & fæminæ, singuli de omnibus curam gerentes, vestram studiosè pudicitiam custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, adhibita hujuscemodi sollicitudine vos dignabitur custodire.

Etsi

## Caput V.

**E**T si hanc de qua loquor oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne coepta progrediatur, sed de proximo corrigatur. . . . Nec vos iudicetis esse malevolos, quando hoc indicatis: magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicandò corrigere potestis tacendò perire permittitis . . . quantò ergo potius debes manifestare ne deterius putrescat in corde? . . . Convictus verò secundum Præpositi vel etiam Presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet, arbitrium; debet emendatoriam subire vindictam; quam si ferre recusaverit, etiam si ipse non abcesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim & hoc fit crudeliter sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat . . . & hoc fideliter observetur, cum dilectione hominum & odio vitiorum.

Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè ab aliquo litteras vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo; si autem deprehenditur atque convincitur; secundum arbitrium Presbyteri vel Præpositi gravius emendetur.

## Caput VI.

**V**estes vestras in unum habeatis sub uno custode, vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario. . . . Consequens ergo est, ut etiam qui suis filiis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus, in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur; sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti iudicio condemnetur. Indumenta vestra secundum arbitrium Præpositi laventur, sive à vobis sive à fulgonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

## Caput VIII.

**L**ites aut nullas habeatis aut quàm celerimè finiatis. . . . Quicumque convictio vel maledictio vel etiam criminis objectu aliquem læsit, meminerit satisfactione quantocumque curare quod fecit. . . . Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissæ fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.

Caput

Tomus III. Can. Regg. Origines.

**E**t si hanc, de qua loquor oculi petulantiam, in aliquo vestrum quis adverterit, statim admonete, ut de proximo corrigatur. Nec se putet malevolum, quando hoc indicat; & ideo debet publicari, qui ejusmodi est, ne in deterius crescat. Si verò admonitus emendare neglexerit, Abbati est indicandum, ut ab ipso emendatoriam subeat disciplinam. Si autem nec sic emendaverit, quasi ovis morbida à vestra societate projiciatur, ne exemplo suo alios perdat; ita enim de cupiditatis vitio est inquirendum, ut, cum hoc vitio agnoscitur quis laborare, castigetur à plurimis, cum dilectione proximi & odio vitiorum.

## Caput XIX.

**Q**ui verò litteras vel munuscula cujuscunque accipere præsumperit, si non statim, à quo accepit, & quæ accepit, publicaverit, districtiori severissimæ subiacebit. Illa verò quæ transmissa sunt, peregrinis & ignotis deputabuntur. Sane si quis suis filiis, vel aliqua ad se necessitudine pertinentibus aliquid contulerit, in rem communem redactum, cui necessarium fuerit tribuatur. Si verò cui transmissum est, Abbas præceperit dari, tanquam reliqua fidelium munera cum gratiarum actione percipiet. Observandum est etiam, ne interiores animæ sordes contrahat vestis mundæ nimius appetitus. Quapropter secundum Præpositi sunt ordinationem lavandæ. Quæ tam simplici erunt & nativo colore procurandæ, ne disparilitas vestium nutriat arrogantiae vitium, & ita sunt indigentibus tribuendæ, ne vitio avaritiæ reservata, providendis singulis detur audacia. Si quis verò his negligenter expetenda putaverit, Præpositi sit cura, ut interversor rerum Monasterialium corrigatur. Ante omnia procurantes, ut lites nullas habeatis; si autem Diabolo instigante factæ fuerint, celeri satisfactione sanentur: & inde proferantur remedia, unde facta sunt vulnera, nec occidat sol super iracundiam vestram. Consuetudinem jurandi abiicite, sit sermo vester est, est, non, non, quia sicut Dominus ait: *Quod his abundantius est, à malo est.* Ephes. 4. Math. 5.

Caput

U

## Caput VII.

**Æ**grotantium cura, five post ægritudinem reficiendorum, five aliqua imbecillitate, etiam sine febribus laborantium uni alicui debet injungi, ut ipse de Cellario petat, quod cuique opus esse perpexerit.

Sive autem qui Cellario, five qui vestibus, five qui codicibus præponuntur, sine murmure serviant fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur, extra horam qui petierit, non accipiat. Vestimenta verò & calceamenta quando indigentibus fuerint necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

## Ex Cap. VIII.

**Q**uando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis, dicere vos dura verba compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut à vobis subditis veniam postuletis: ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium servatur humilitas regendi frangatur auctoritas. Sed tamen perenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus iusto fortè corripitis, quanta benevolentia diligatis; Non autem carnalis, sed spiritalis inter vos debet esse dilectio.

## Caput IX.

**P**ræposito tanquam Patri obediatur; multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.

Ut ergo cuncta ista ferventur, & si quid servatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit, ut ad Presbyterum, cujus est apud vos major auctoritas, referat; quod modum, vel vires ejus excedit. Ipse verò, qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum

## Caput XXI.

**I**nfirmis quoque vel inæqualitate aliqua laborantibus satis fidelis & strenua debet persona præponi, quæ & ægrotis cum pietate serviat & Monasterialem disciplinam regulariter custodiat, & quæ conveniunt infirmis, rationabiliter expendat.

## Caput XXII.

**Q**ui Cellario verò vel codicibus præponuntur, sine murmure serviant fratribus. Codices, qui extra horam petierint, non accipiant; & qui apud se habuerint amplius, quàm constitutum est, retinere non audeant. Hæc in nomine Christi agentes fecitis vos proficere, & cum suavitate & quiete in Monasterio perdurare.

Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, etiam si in ipsis modum excessisse vos fortasse sentitis disciplinæ; non à vobis exigitur, ut veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Tamen petenda venia est ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus iusto fortè corripitis, quanta benevolentia diligatis. Caritas enim, de qua scriptum est: Quia non querit, quæ sua sunt 1. Cor. 13. etiam hic intelligitur custodiri: quia dum alienam nituntur humiliare superbiam, quantum desiderant non possunt humiliare personas. Quia non carnalis, sed spiritalis inter vos debet esse dilectio, & ideo de omnium salute diligentius cogitare: quia de commissis sibi animabus unusquisque redditurus est Domino rationem.

## Caput XXIII.

**P**ræposito specialiter obediatur, multo magis Abbati, qui vestrum omnium curam gerit: quia qui illos spernit, spernit eum, qui dixit: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Luc. 17.

Ut ergo cuncta ista ferventur, & si quid servatum non fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendandum, corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit, ut ad Abbatem, cujus est apud vos major auctoritas, referat, quod modum vel vires ejus excedit. Ipse verò, qui vobis præest, non se æstimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem; honore coram vobis Prælatus sit, coram Deo subditus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum;

rum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos. Patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat quàm timeri; semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Unde vos magis obediendò non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini: quia inter vos, quantò loco superiore, tantò in periculo majore versatur.

Caput X.

**D**onet Dominus, ut observetis hæc omnia tanquam Spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona conversatione fragrantés, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti.

Ut autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis semel in septimana vobis legatur.

Et ubi vos inveneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Ubi autem sibi quicumque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, orans, ut & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

lum; corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes: disciplinam libens habeat: metum imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus amari appetat, quàm timeri semper cogitans, Deo se pro vobis redditurum rationem. Unde vos magis obediendò non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos, quantum in loco superiori, tantum in periculo majori versatur.

Donet Dominus, ut observetis hæc omnia cum dilectione tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona conversatione fragrantés: non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti.

Ut autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur.

Et ubi vos inveneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite Deo gratias bonorum omnium largitori: ubi autem sibi quisque vestrum videat aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro; orans, ut debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.

Explicit Regula Tarnatensis.

En! quàm bellè invicem concordent hæc duæ Regulæ, Tarnatensis ab incolis Agaunensibus jam sub Ymnemundo primo Abbate observata. & ea, quam moderni undequaque venerantur Canonici Regulares. Et si priora capita Regulæ Tarnatensis attendere vis, assumatur tantum Regula, quam secundam S. Augustini appellant, sic utraque iterum sibi similis similibusque præceptionibus specialibus, atque operosis admonitionibus deprehendetur munita. Dicendum igitur ad ultimum: primos Cœnobii Tarnatensis seu Agaunensis Incolas non in Monachis, sed Canonicis Regularibus irrefragibiliter esse habendos. Porro his stabilitis sequitur.

*Syllabus Abbatum, Priorum, Præpositorum Agaunensium à Fundatione Sigismundiana.*

I. *Ymenondus* seu *Immemundus*, è Monasterio Granensi seu Grevenensi evocatus, Abbas Agaunensis ab ipsomet S. Sigismundo fundatore denominatus, qui & vir in universis operibus bonis comprobatus agnitus est à Rege & Episcopis omnibus in unum pro fundatione Agaunensi præsentibus. Ipsa etiam Regula Tarnatensis Ymnemundum suum agnoscit Auctorem.

II. S. *Ambrosius*, cujus Natalis in Martyrologio Romano celebris habetur quarto Nonas Novembris. Agunt de eodem S. Ambrosio Baronius in Notis ad Martyrolog. Beda, Ufuardus, Ado, Petrus in Catalog. Lib. 3. cap. 15. Trithemius de Viris illust. Ord. S. Benedicti. Lib. 3. cap. 273. Arnoldus Wion in suo Martyrolog. die 2. Nov. Antonius Jeyes in Chron. Ord. Cent. 1. cap. 3. fol. 221. Gabriel Bucelinus in Menolog. Benedicti. Omnes isti Ordinis Monastici scriptores Ambrosium Sanctum hunc Abbatem albo inferentes S. Ordinis Benedictini, qui & eundem Insulæ Barbaræ Religiosum & Abbatem fuisse unanimi scribunt voce; at quam perperam, ex eo satis liquet, ipsummet S. Ambrosium unà cum S. Ymnemundo, S. Arvio, S. Proto &c. ex Monasterio Granensi fuisse accersitum, uti clarissimis verbis memorant acta fundationis superius posita. Neque Ordinis fuit S. Benedicti, utpote cum S. Ymnemundo Regulam professus Tarnaten-

fem. Cæterum Sanctus hic Abbas sicut in vita sanctitatis splendore fuit eximius, ita post mortem semper & etiamnum plurimis coruscet miraculis.

III. *Acivus*, quem alii etiam Achivum, Archivum, Alchiverium, Archurum nominant. Meo iudicio illum ipsum potius S. Arvium dixissent, qui in notis foundationis cum Ymnemundo, Proto, & S. Ambrosio è Monasterio Granensi est accersitus.

IV. *Tranquillus*, cujus tempore S. Sigismundus Rex cum Filiis Clodomiri Aureliano- rum Regis jussu Columnam captivam ductus, & in puteum præcipitatus est. Idem venerandus Abbas in calamitate obiisse dicitur. Henricus Murerus in sua Helvet: Sanct: Tranquillum hunc sanctitatis honorat titulo, sicut & nonnullos alios hujus Monasterii Abbates, ut puta Venerandum, Paulum, Secundinum, Rocelinum &c: at Reverendissimus DD. Ludovicus Charleti pro præsentis canonice Agaunensis Abbas dignissimus Patronus mihi perquam gratiosus super hac re studio consultus, gratiosè referipit: in Collegio suo nullum horum inter sanctos haberi. Accedit, quod præter auctorem præfatum nullum adhuc legerim, neminemque invenire potuerim, qui cum eo sentiret, & Abbates hosce inter sanctos descripisset. Hoc tamen manet certum, Abbates hos exactè Regule suæ fuisse æmulatores, hinc etiam singulari perfectioris vitæ studio suum optimè finiisse cursum.

V. *Venerandus* in clauastro Agaunensi educatus, tandem ut optimus Pater cæteris præesse jussus est. Hic, triennio à morte S. Sigismundi ac filiorum ejus transacto, per angelum in visu admonitus, eorum corpora, Theodeberto Francorum Rege permittente, è puteo extracta Agaunum in Ecclesia, quæ in honorem S. Joannis Apost. & Evang: consecrata est, sepelienda exportavit. In hoc loco omnes, qui febris laborarunt quartana, sanctis intercedentibus Martyribus, suam hucusque adepti sunt sanitatem. Hodie sacrum S. Sigismundi corpus & Bohemi in urbe sua Principe Pragâ, & Imolenses: (Imola seu ut antiquitus appellabant Forum Cornelii urbs est Italiae:) in Ecclesia PP. Olivetanorum extare contendunt. Qua de re paulò inferius ad annum 1365. sub Abbate Joanne Bartholomæo fortè fusior habebitur sermo.

VI. *Paulus*. De hoc & aliis subsequentiis præter nudum & simplex nomen in actis nihil invenitur speciale.

VII. *Placidus*.

VIII. *Eutropius*.

IX. *Paulus II*.

X. *Martinus*. Hujus tempore collegium Agaunense ab aliquo Episcopo Octodurensi: (Marius Agricolam indigitat:) summè vexabatur.

XI. *Ambrosius II*. Præsidente hoc Abbate Lombardi, Ortani & Insubres transmeatis alpibus Valesiam irruentes, solo adæquarunt Agaunum, & templum S. Mauritii rapinis flammisque miserè devastarunt; donec Guntramus Rex, ne Gallie paria inferrent mala, ingentem in depopulatores militum copiam, manu Molini Ducis, mitteret, eosque remeare faceret montes. Postmodum idem Rex bellorum miseris & calamitatibus ad incitas depressum Monasterium Agaunense restauravit.

XII. *Leontius*.

XIII. *Fecundinus*.

XIV. *Secundinus*.

XV. *Florentinus*. Cujus tempore in Agaunensi Monasterio educatus fuit vir quidam Religiosus nomine Amatus, qui cum Eustachio Vogiers Monacho, ut in semotiori viderent solitudine, ab Agauno discessit. Monasteriis hinc inde constructis tandem Romarici montis Abbas factus ibidem sanctè vixit. Ejus festum colitur 13. Sept.

XVI. *Stagyryus* vel *Stagrius* ab Eugenio PP. I. Clodovæo Francorum Rege instante Diploma obtinuit privilegiorum atque exemptionis in hunc tenorem:

*In Nomine Dei humillimus omnium servorum Dei, & in sancta sede Romana, totius orbis Magistra, non meritis propriis, sed intercessione B. Petri Apostolorum Principis ab omnipotente Deo in Apostolatus arce electus &c.*

*Igitur quia postulavit Clodovæus Excellentissimus Francorum Rex, quatenus Monasterium SS. Martyrum Thebeorum in Regno Burgundie super Rhodanum fluvium, quod in Honorem B. Mauritii & aliorum Martyrum Sigismundus bone memorie Rex construxisse dignoscitur, in quo Stagyryus Abbas præesse videtur, privilegio sedis Apostolice decoretur, & sub sancta, cui Deo auctore præsidemus, Ecclesia Constitutum præteritorum Regum post ipsius statuta & privilegia, item Præsulatus honorem confirmaremus, ut nullatenus ullo deinceps tempora irrumperentur, neque super illos Monachos illic Domino famulantes sine illorum Electione Abbas ibi mittatur. Aures nostras piis desideriis Regis Francorum accomodantes, sedisque Apostolice Regulas conservantes per hujus præceptionis nostræ auctoritatem, idem, quod exposuimus, effectu mancipamus, ideo omnem cujuslibet Ecclesie sacerdotem in præfatum Monasterium nulli sui Prioratus Pontificium permittimus, neque illum, qui in civitatem*

Vale-



Valeſtam nunc habere dignoſcitur, vel poſtea fuerit acquiſiturus, quamlibet ditionem ſeu poteſtatem in eis oſtendere auctoritate ſedis Apoſtolicæ prohibemus.

Eugenius in hac ſerie privilegii à me facta ſubſcripſi, & Epiſcopos ſubtus notare juſſi.

Maurus peccator Epiſcopus ſubſcripſi &c: &c.

XVII. *Recolenus* vel *Rocheus* ſub Theodorico Rege inclytus.

XVIII. *Raggo*.

XIX. *Aigulphus*.

XX. *Ermenbertus*.

XXI. *Agobertus*.

XXII. *Ludulphus*.

XXIII. *Agrundus*.

XXIV. *Protadius*. Secundum Epiſcoporum Sedunenſium chronicon alius hic reperitur S. Amatus, in fine Dagoberti Regis Regni ortus, inde ex Religioſo Agaunenſi Epiſcopus Sedunenſis creatus vixit circa annum 716. Ricciol: Chron: & fit de eo officium 13. Sept. Eximendum tamen puto hunc S. Epiſcopum ex Abbatum Agaunenſium numero, eò quòd in antiquiori Cartilagio Domèſtico non reperiatur. Sequitur

XXV. *Norbertus*.

XXVI. *Layſinus* vel *Layphenus*.

XXVII. *Bethelmus*, qui & *Berthelaus* legitur.

XXVIII. *Aygraſtus*.

XXIX. *Villicarius*, vel ut alii legunt *Willicarius* Epiſcopus Viennenſis, Sarracenis Viennenſem & Lugdunenſem Diœceſes devaſtantibus, Epiſcopatu pulſus Romam profectus eſt anno 738. In reditu, cum Agaunum ad SS. Martyres appuliſſet annò 740. à Religioſis rogatus Regimen Monafterii aſſumpſit. Aduit etiam Concilio Aviniaceni ſuper Saxana in Diœceſi Remenſi annò 765. recepit in Monafterio Agaunenſi Stephanum PP. III. annò 753. in quo cum Pipino Rege Francorum ambo erant conveniendi. Tandem annò 769. mortuus. Abbatem hunc Bucelinus cum nonnullis aliis titulò Sancti ſcribit; at quia nec Agaunum nec etiam Vienna ut Sanctum venerantur, ideo etiam nos ut Sanctum non ſcripſimus.

XXX. S. *Althæus* ob ſingularem pietatem Monafterii Agaunenſis Abbas, deinde Epiſcopus Sedunenſis creatus eſt. Ab hoc Sancto abbate Carolus Magnus limina Agaunenſium viſitans Equeſtre S. Mauritii vexillum accepit, quò feliciter uſus eſt in bello adverſus chriſtiani nominis hoſtes. Inde repositum extitit in Metropoli Baſilica Magdeburgi. Pro tanto beneficio ac votis adimplendis pius Rex Lagenam S. Martini cruore SS. Martyrum Thebæorum repletam opere fuſili, aurò, & lapide ſaphiro decorari juſſit, ſimul & proprium craterem in monumentum erga iſtud Monafterium reliquit. Tabulam quoque auream Marcharum ſexaginta auri ponderis pro apponendis deſuper S. Mauritii reliquiis donavit, pretioſis undequaque contextam lapidibus, miròque opere elaboratam, orbis ſcilicet terrarum deſcriptione ornatam. Præterea dictus Carolus Rex Agaunenſi Eccleſiæ donationis titulo contulit Abbatiam Monafterioli, & villam Vertumnam in comitatu Pontico conſtitutam, tum etiam in Epiſcopatu Sedunenſi Caſtellum Deſine nuncupatum, quæ omnia Hadrianus PP. hujus nominis I. In Baſilica Vaticana, Carolo Rege & S. Althæo Abbate præſentibus atque rogantibus, ſub ſpeciali S. Petri & Sedis Apoſtolicæ Patrocinio depoſthac in perpetuum & propria ſemper eſſe & conſervari conſtituit. Monafterium etiam Agaunenſe præter plura alia privilegia, à jurisdictione Ordinarii exemptum fecit, uti Diploma ſuper gratia hac conſectum, & ad manus domeſticas diligenter adhuc reſervatum teſtatur. Obiit S. Abbas annò 790. Non. Cal. Octob. Vel ut dicunt Annales Domèſtici tertio Id. Martii annò 799. De eo fit etiam in Diœceſi officium.

XXXI. *Adalungus*, qui poſtmodum in ſede Epiſcopali Sedunenſi ſucceſſit S. Theodulo vel Theodoſio, prout Bucelinus ſcribit in ſua Germ. Sacr. fol. 58. Annò 804. Leo III. Pontifex menſe Novembri eundo in Gallias Agaunum ſe contulit. Obiit Adalungus Annò 828, ab hujus morte etiam inſtitutum Agaunenſe ſub Regula, ut ſupra dictum eſt, Tarnatenſi hucusque optimè florens tandem defecit; denique tamen Ludovico Pio Imperatore procurante, Religioſi inibi ob morum improbitatem perditæ viventes iterum ſunt reformati, iisque Rector, non ex Gremio & Capitularibus, ſed extraneus iſque vel Epiſcopus vel ſecularis clericus conſtitutus eſt, qui Nomine ac titulo Abbatis, vel vice-Abbatis Monafterio, rebúſque providendis præſit. Qua tamen rerum viciffitudine poſteriora Monafterii hujus facta ſunt, qualiter eventus docuit, peiora prioribus. Et hucusque amice Lector Abbatum nomina à Fundatione S. Sigismundi ex antiquiſſimo Cartilagio deſcripta

recensui; jam sequuntur cætera, cæterorum nomina, quamvis non ex tam vetusta, tamen legitima descriptione collecta.

XXXII. *Heyminus* simul Abbas Agaunensis & Episcopus Sedunensis creatus, in utraque Ecclesia sedit ad annum usque 847. quo animam Deo reddidit.

XXXIII. *Arnulphus* Rex Francorum, à Leone Papa IV. vice Abbas intitulatus in privilegio quodam, quò dictus Pontifex Leo Abbati Agaunensi liberum facit, sacrum Chryisma conficere seu consecrare, & sacros conferre Ordines. Ipsum privilegium annò circiter 850. clementissimè datum & indultum sub hujusmodi tenore legitur:

*In Nomine DEI æterni, & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. Leo Humillimus omnium servorum DEI, & in sancta sede Romanâ totius orbis Magistrâ non meritis propriis sed intercessione Beatissimi Apostolorum Principis Petri ab omnipotente DEO in Apostolatûs arcem electus &c. Quia Dominus noster oves proprias, quas sancto ac pretioso sanguine suo acquisivit, Beato Petro pascendas commisit, Constat nimirum cunctos Dei cultores ipsius subiecti tuitioni, cujus vos ubique non dissidimus protegi patrocinio, quapropter satis congruenter omnibus christianis oportet ad sanctam Matrem Ecclesiam & sedem Apostolicam præbere concursum, & piæ constructionis oraculi in privilegiis elargiendis minime denegatur auxilium: Igitur postulavit à Nobis Arnulphus Excellentissimus Rex Francorum quatenus Monasterium sanctorum Agaunensium in Regno Burgundiæ situm super flumen Rhodanum, quod in honorem B. Mauricii & aliorum Martyrum Sigismundus Rex bonæ memoriæ construxisse dignoscitur, in quo idem Arnulphus Rex vices Abbatis gerere videtur, cum privilegio sedis Apostolicæ Insulis decoretur, & sub sanctâ cui præsidemus Deo Authore Ecclesiâ constitutum præteritorum Regum ordinem Gloriosi videlicet Regis Sigismundi ac cæterorum Regum post ipsa statuta & privilegia Eiusdem Monasterii nostri iterum Prælatûs honorem consentientes confirmarem, ut nullatenus ullo deinceps tempore irrumperentur; neque super ipsos canonicos illic Domino famulantes sine electione ipsorum abbas introducatur, & eodem loco adiacentes terras sub privilegii autoritate colligamus, videlicet sylvam Spinaseti totam cum suis pertinentiis ad coquinam fratrum & Aquisonum cum sua integritate, seu appendiciis, & saltuum redivisibus, & Alpionis desertum, sicut terminatur à fluvio Aquisonæ usque ad fontem Daronæ cum integris appendiciis montis & plani. Præterea piis desideriis Francorum Regis ante dicti, aures accommodantes, ac præfati Monasterii congregationi Dei mandatis in hærenti sedis Apostolicæ Regulam conservanti per hanc præceptionis nostræ autoritatem id quod exposuimus, effectu mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfatum Monasterium vel in Ecclesias in ejus curtiis situatas & ex suis elemosinis constructas & ordinatas nullam sui Prioratûs Pontificium permittimus habiturum, sed & illum, qui in civitatem Valesiam nunc habere dignoscitur, vel fuerit in posterum acquisiturus quamlibet ditionem seu potestatem extendere in eâ autoritate præterquam sedis apostolicæ prohibemus; Cui prædictas terras exceptâ Spinaseti & Ecclesiâ S. Joannis Evangelistæ, & S. Sigismundi & ibidem Agaunensium decimas decimis constituimus, & ibidem fratrem illum perpetualiter elegimus ob hoc alternatis annis vel temporibus sanctum chryisma consecrare, vel ministrare, & invitatus à fratribus factos ibidem celebrare studeat ordines, ita ut non nisi ab eo, qui in eodem Monasterio abbas fuerit constitutus, initiatus fuerit, nec ad Missarum ibidem celebranda solemnia quispiam præsumat accedere, aut quaslibet vel suam ibidem Dominationem incipiat exercere, nec ulla conciliabula prætere, aut quaslibet partes elemosinariam, quæ ad S. Mauritium fidelibus collatæ fuerint, suas in partes excitare, neque Decimas, quæ illis à jam dicto Sigismundo sunt concessæ, quispiam tentet auferre, eò quòd sub tuitionem apostolici privilegii inconcussa cuncta consistant, & secundum conditoris desideria cunctis debeant temporibus permanere constituentes per hanc Decreti nostri paginam atque interdicentes omnibus omnino cujuslibet Ecclesiæ Præsulibus, vel cujuscunque honoris dignitate præditis sub anathematis vinculo colligamus, quicumque hujus seriem nostræ constitutionis ausus fuerit evertere, vel ipsarum scripturarum sanctiones, quæ à prædictis Regibus constitutæ sunt, & præfato Monasterio sub privilegio indultæ quolibet modo vel tempore tentaverit temerare.*

Leo DEO authore in hac ferie privilegii ob amorem DEI & SS. Martyrum honorem à me facta relegens subscripsi.

Gregorius peccator jussus à Domino Papâ subscripsi.

Benedictus peccator jussus à Domino Papâ subscripsi.

Decius peccator jussus à Domino Papâ subscripsi.

Martinus peccator jussus à Domino Papâ subscripsi.

XXXIV. *Huebertus*, sine liberis susceptis clericus coniugatus, Dux inter Jurenfes & Montem Jovis à Lothario Burgundiæ & Lotharingiæ Rege constitutus, simul & Abbas Agaunensis factus est. Tandem bellò in eundem Lotharium suscepto, apud castrum Orfe in Vaudia cecidit annò 864.

XXXV. *Thyetyrnus*, sub cujus Regimine Rodolphus I. comes & Præfectus Burgundiæ, Regis Insignia sumpsit in Monasterio Agaunensi contra Arnulphum Imperatorem annò 888. Regnum dicti Rodulphi tunc Burgundia vocabatur Trans-Jurana. Eodem tempore scilicet 900. Annò à Sarracenis combustum est Monasterium Agaunense.

XXXVI-

XXXVI. *Rodolphus* multa ultimis sui Regiminis annis sustinuit mala. Annò nempe 940. Sarraceni & Franciam & Italiam miserè devastantes etiam Monasterium Agaunense reiteratò incenderunt. Hoc denique tempore S. Udalricus Episcopus Augustanus Agaunum se contulit, sacrum quoddam corpus ex Legione Thebæa pro Ecclesia sua impetraturus; at Barbaris undique sævientibus & ipse S. hic Episcopus dirè coangustatus difficiliorem invenit ingressum; quibus tamen in angustiis refugium unicè suum accepit in sacratissimo sacrificio sacrosancto Missæ, quam pro more suo ter quotidie Deo suppliciter obtulit. Scias hic benevole Lector: hæc temporibus cuilibet sacerdoti licitum fuisse, missas celebrare toties quotidie, quotiesdemuncunque libuerit, donec tandem Conciliò Selingenstadiensi annò 1073. celebratò, conclusum fuit, tres quotidie missas solummodo celebrari posse. Alexandet PP. II. omninò ad unicum tantum reduxit sacrum, exceptis Domini Nostri Salvatoris Natalitiis diebus, quibus etiamnum tres missas recens nato offerimus. Anton. Forest. In Mapp. Histor. part. 2. vit. Stephani PP. IX. Rodolphus noster hæc etiam calamitatibus in Religione promovenda optimè tamen meruit, cum pro reparatione Monasterii sui sollicitus Ludovico Francorum Regi semel & iteratò scripsit. Paulò post obiit.

XXXVII. *Meynerius* ad reparanda damna à Sarracenis Monasterio illata castrum Braconis cum dependentiis valdè considerabilibus in Comitatu Slodingo, id est Salinensi Comitatus Burgundiæ existentibus precariè concessit Comiti Albrico, Regnante Chunrado Rege annò V. Domini 942. Sub hoc Abbate Amizo Canonicus Agaunensis creatus fuit Episcopus Sedunensis annò 976.

XXXVIII. *Burchardus* de Burgogne Chunradi Regis Filius Archi-Episcopus Lugdunensis sub nomine Abbatis Ecclesiam S. Mauriti curavit & multum decoravit. Præfuit ab annò 983. & ad sublevamen suæ pastoralis sollicitudinis quatuor Vicarios sub nomine Præpositi sibi elegit, Amizonem nimirum, Anselmum, Burchardum Episcopos, & Pandulphum, non tamen eodem tempore, sed successivè. Ad hujus Ecclesiæ restaurationem, ad suæque primæ foundationis statum, ut reduceretur, multas non sine utilitate fecit precarias à Canonicis subscriptas donationes, sicque liberalitatem sibi concivit Regum permultam, maximè Rodulphi III. annò 1014. prout in subjectis legi potest litteris:

*In Nomine Dei æterni & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Rodolphus Dei Gratia Burgundionum Rex &c. &c. Quicumque in hoc seculo divitiarum vivens affluit ubertate, diligenter debet providere, ne bis nimium intentus amittat ditissimum florem æternæ dignitatis, & Gloriam Patriæ celestis, quamvis Dominus dicat, Camelum facilius posse foramen acis penetrare, non tamen nobis dissidendum est de immensa ipsius pietate, quia qui dat escam invocantibus se pullis corvorum, non denegabit veniam sperantibus in se famulis, neque enim est sibi exiguum vel vile, propter quod dignatus est humanitatem sumere, aut haud aliter vult deserere, quod redemit pretioso suo sanguine, ut illuc nos traheret, unde venerat liberare. Ille utique nobis peccatoribus medicamina salutis est largitus, cum non solum de propriis vel benè adeptis, verum & de Mammona iniquitatis amicos doceret nos facere, qui reciperentur in æterna beatitudine. Nos siquidem iis & aliis instructi monitis, si petitionibus fidelium nostrorum aurem serenitatis nostræ accomodaverimus procul dubio promptiores & fideliores ad nostrum efficiamur famulatum, idque non tantum animæ, verum etiam in publico & communi Regni statu valdè prodesse non ambigimus; quapropter omnium nostrorum tam præsentium quam futurorum noverit industria fidelium, quòd quidam fideles nostri videlicet conjux nostra Hermegondis Regina, Bertholdus quoque & Rodolphus & Robertus, nec non Hugo Episcopus Sedunensis, Henricus Lausanensis, Anselmus Augustensis ac Pandulphus cum cæteris fratribus supplices nostram aggressi sunt clementiam, quatenus pro salute nostra & eorum petitionibus Ecclesiæ Agaunensi in salo desolationis miserrimè tum penè naufraganti subvenimus: quorum petitionibus benignè annuentes donamus, imò ab antecessoribus nostris ablata reddimus Ecclesiæ Agaunensi quam fratribus ibidem Deo & S. Mauritio famulantibus de victu & vestitu proclamantibus ad mensam eorum in Refectorio siscos Sigiacum, Lulliacum &c. &c. cum omnibus appendiciis, & oblata altaris ejusdem Ecclesiæ in dimidium ipsius loci & ibidem frumentum cum Molendinis, & duas partes telonei salis, & alpes S. Mauriti, totiusque caput loci vallis ea videlicet ratione, ut omni tempore nostri præcepti autoritate ipsi & successores eorum decreverint, liberè faciant. Si quis verò in commune bonum (quod minimè credimus) eos molestaverit, non valeat vindicare quod appetit, sed sit culpabilis, & persolvat quingentas libras optimi auri, medietatem ipsi Ecclesiæ, & medietatem Regiæ Camerae, verum ut hoc credatur certius præsens præceptum propria manu firmamus, & sigillo nostro signari, & prædictorum Episcoporum anathemate muniri præcepimus annò ab Incarnatione Domini Millesimo decimo quarto, Regni verò Regis Rodulphi quarto, die Sabbati, decimo septimo Calendas Martii, Luna decima octava, indictione prima. Actum in Agauno feliciter Amen.*

Tandem etiam Burchardus hujus Ecclesiæ Abbas, cum multa Monasterio procuraverit, perutilia, plenus dierum obiit annò 1036.

XXXIX. *Aymo*, qui & Ecclesiæ Sedunensi præfuit ab annò 1038. interfuit secunda fundationi S. Pauli Bifiuntinensis unà cum 19. aliis Episcopis subsignans annò 1044. Leo IX. PP. cum Gallias tenderet annò 1049. Agauni pro celebrandis S. Mauritii & Soc. Martyr. Festis triduo commorans, Henrici II. Imperatoris cognomento Pii interventio- ne, immunitatem & privilegiorum confirmationem clementissimè concessit; ubi Sanctif- simus Pontifex inter cætera sic loquitur: *quatenus nempe dum in illis partibus orbis naufragan- tem Ecclesiam elevando in Galliam tendentes, quam pretiosi Martyres Mauritius & ejus comilitones suo sanguine perfuderunt, ubi triduo commorati, quamquam patrociniis sanctorum, omni tamen the- sauro & beneficiorum plenitudine destitutam, prout potuimus, consolati fuimus, eorundemque festa celebravimus . . . . Imperator Henricus postulavit à nobis, ut idem Monasterium Agaunensium, in quo ipse Aymo sub Canonicorum Regula Abbas esse dignoscitur &c. &c. ex quo satis claret contra aliquos auctores asserentes, hisce temporibus Agaunum incoluisse Canonicos sæ- culares non Regulares, contra veritatem fuisse scriptum. Obiit Aymo noster dec. Cal. Sept. 1059. à cujus obitu magna per aliquot annos fustulit damna hoc Monasterium vexa- tionibus cujusdam usurpatoris nomine etiam Aymonis de Briancon, Jus Præpositos eli- gendi per Pontifices Religiosis concessum & sæpissimè confirmatum violare committentis, ut sic sibi invitis etiam Religiosis Præposituram vindicaret; sed nefariæ ejus cupiditati se opposuit Guido hujus Monasterii Canonicus, qui tandem Monasterium à dictis vexatio- nibus quadam pecuniæ summa liberavit. Inde ipsemet Guido electus fuit Abbas.*

XL. *Guido* Sacellum Confessionis S. Mauritii in Campo Martyrii vetustate collabens ad opus infirmorum restituit. Decimas etiam fructuum & elemosinarum omni tempore dari constituit pauperibus, & hoc ad obsequendum Concilio Aquisgranensi annò 817. celebrato. Et hucusque sat laudabiliter præfuit Guido; at posterioribus temporibus bo- nus pastor esse desiit, dum nimirum in suis ovibus conceditis sædum in modum grassari permisit lupum rapacem, dico *Proprium* personis Religiosis plus lupo rapacissimo noci- vum: ipso enim præfulante statutum fuit, ut quidquid Canonici sive Conversi acquisie- rint, pleno jure utantur & possideant. Quo factò Canonici hucusque exactè Regulares ab instituto suo ita destiterunt, ut à pluribus tunc non Regulares, sed Regularum deser- tores atque sæculares sint putati, perverfione hac sexaginta annis ad annum scilicet usque 1128. durante, ubi sub Amarando melioris ac strictioris vitæ Zelatore maximo pristino suo fervori restituta fuit Regula Canonica.

XLI. *Wido* Præpositus Agaunensis concessit annò 1108. Arluino Priori Regularium Canonicorum Ecclesiæ S. Mariæ de Abundantia, consentientibus Fratribus Canonicis Agaunensibus, dictam Ecclesiam cum tota valle ejusdem loci de Abundantia, quæ erat de jure & territorio Ecclesiæ Agaunensis.

XLII. *Renaldus* vel *Reynaldus* Humberti II. Maurianensis Comititis filius, hic Patris Humberti & Amadei Germani fratris, qui tum temporis utroque Comitatu Sabaudia & Chablais potiebatur, potentiâ fretus per fas nefasque, & sponte sua in Præposituram Agaunensem fuit intrusus, atque hoc eoispo tempore, quò, colludentibus Canonicis, totum Agaunense Collegium vix non ad incitas redactum, & personis Ecclesiasticis ut plurimum destitutum, factum est, quasi spelunca Latronum: Præpositus enim suis potius deliciis quàm Regimini sibi commissò intentus inter alios simul Canonicos varias easque pessimas induxit laxitates, quas dum magna cum cordis mæstitia audivit Hugo Gratiano- politanæ civitatis Episcopus, assumptò Petrò Tarentasiensi Archiepiscopò, Zelo divini amoris moti Amadeum Comitem Renaldi Præpositi fratrem adeunt, eique quid tempora sua ferrent, exponunt, quibus auditis tactus dolore Amadeus Agaunum venit, ac im- primis Fratri suo, ut Præposituram collatam dimitteret, persuasit, quod pœnitentia ductus etiam fecit Renaldus. Dein Ecclesiam Agaunensem in integrum juxta normam alia- rum restitui fortiter satagens, etiam Canonicis denuo Regularitatem, atque ut firmior imposterum consistat, Tarnatensi omninò sublatà, sub Regula S. Augustini Canonica, prout aliæ Ecclesiæ observant Regulares, suscipiendam persuasit. Nonnulla etiam malè alienata piè restituit annò 1128. Ipsi Ecclesiæ Agaunensi sub nomine & Titulo Prioris in supremum Rectorem ab initio hujus reformationis datus est, qui sequitur,

XLIII. *Amerandus*, *Amerardus*, vel *Hermengardus* in officio Prioratùs inclytus. Hoc satagente Ordo, prout dictum est, Canonico-Augustinianus, in Monasterium Agaunense juxta normam aliarum Ecclesiarum, quæ tunc temporis ubique locorum similes fieri cæ- perunt sub Regula scripta S. Augustini, cum prioribus temporibus vitam quidem comu- nem juxta formam Apostolorum & Regulas SS. Patrum, eam tamen perfrequentè non in scripto, sed usu solumodò & consuetudine tenerent, introductus est, & ab Honorio II. auctoritate Pontificia legitimè confirmatus per Bullam sequentem:

*Honorius*

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Agaunensis Ecclesiae B. Mauritii Martyris Amerando Priori & Canonicis salutem & Apostolicam benedictionem. Doctrina & Sanctorum Patrum veneranda nos hortatur autoritas, ut, si Deo plenè placere volumus, Religiosè vivere debeamus; quis enim Deo absque puritate Religionis placere potuit, aut quis contemplationem Deitatis nisi pudico & mundo corde ascendit? Nos igitur, qui in Beati Petri Cathedrâ residemus, licet indigni de commissa nobis administratione suâ Ecclesiae & Religionem stabilire, & stabilitatem Sedis Apostolicæ volumus robore communiri. Placet nobis, quòd per inspirationem divinam in Ecclesia vestra Canonicos Regulares statuere & subrogare unanimiter (quemadmodum ex litterarum vestrarum inspectione cognovimus) decrevistis, pia verò desideria vestra laudamus, ut Canonici Regulares ibidem de cætero Deo deserviant, & Canonicus ordo ibidem futuris temporibus irrefragabiliter conservetur, præcipimus, atque auctoritate B. Petri, & nostrâ firmamus. Statuimus etiam, ut postquam Regularium virorum in præfata Ecclesia numerus legaliter fuerit constitutus, Abbas ibi Religiosus & sapiens, qui scientia & moribus sacro noscat præesse Collegio, invocata divinâ gratiâ eligatur. Datum Laterani septimo Idus Novembris.

XLIV. Hugo Prior primùm electus fuit annò 1137. eodem annò foundationi Monasterii S. Mariæ Altæ Cristæ in Vaudia Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Lausanensi locum dedit, dictis Religiosis nemus concedens de Orons & tertiam partem territorii de Castilliens. Annò sequente scilicet 1138. quatuor ex nobili Albigenisium familia Ortonellum & Silvarcum, quæ Monasterio Agaunensi semper parebant, violenter occupare intendentes, divina ultione percussi sine respicientia expiati sunt. Annò 1146. octav. Cal. Junii, ab Amadeo Comite restitutionem obtinuit Hugo Præposituræ, id est, Jus & libertatem eligendi Abbates; hinc ab Eugenio PP. III. Titulo & dignitate Abbatiali, item in memoriam effusi sanguinis SS. Thebæorum Martyrum sacra Epomide, seu ut vocant, Mozetta, qui habitus hodie dum cunctis Ecclesiae hujus Canonicis usitatus & communis est, donatus fuit. Paulò post eodem adhuc durante annò idem Eugenius PP. III. è Galliis Romam repetens Ecclesiam Agaunensem igne consumptam, sed Hugonis Abbatis opere reædificatam consecravit, cujus rei gestæ certum quoddam habetur testimonium à Cælestino Papa III. desuper editum; quod sic sonat:

Cælestinus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Abbati, Priori & Capitulo Agaunensi salutem & Apostolicam Benedictionem &c. Ecclesiae & Religiosa loca, quæ specialiter B. Petri juris existunt, speciali quoque convenit Sedis Apostolicæ prærogativâ gaudere. Meminimus siquidem, quòd cum in minori quondam essemus officio constituti, felicitis recordationis Eugenius Papa Prædecessor noster Monasterium vestrum, utpote quòd in B. Petri jure ac proprietate consistit, nobis præsentibus ministerio proprio dedicavit, & ipsius Dedicacionis diem vobis annis singulis celebriter statuit excolendum. Verùm quoniam Ecclesia vestra præcedente tempore igne combusta fuit, & propter hoc à Venerabili Fratre nostro Archi-Episcopo Viennensi dedicata primæ Dedicacionis dies à vobis dicitur in debita memoriâ non haberi. Volentes ergo, ut dies ille apud vos perpetuò celebris habeatur, quo Ecclesia vestra per Sanctum Pontificem fuit consecrata, ac per hoc cognoscatur, quòd idem Monasterium nobis nullo subiaceat mediante, annum præfate Dedicacionis diem octavum ante Calendas Junii statuimus impositerum à vobis celebriter recolendum, ac omnibus ad ipsam Ecclesiam eodem die humiliter convenientibus viginti dies de Beatorum Petri & Pauli auctoritate consisti de injuncta eis penitentia relaxamus. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum hanc nostræ constitutionis paginam infringere vel ei ausu temerario contraire liceat. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani Calendis Aprilis Pontificatus nostri annò quinto.

Porro idem Eugenius Papa in memoriam consecrationis factæ Capfam auream gemmis ornatam pretiosissimis, atque ipsius Pontificis effigie ac SS. Petri & Pauli Apost. aliorumque Sanctorum refertum reliquiis, quam itinerando præferebat, dono dedit Ecclesiae Agaunensi, simul privilegia ac immunitatem Monasterii confirmavit.

Denique hujus Abbatis Hugonis tempore Humbertus Marchio & Comes Sabaudia, Amadei II. Filius Agaunum venit, & de Consilio venerabilium Episcoporum Ludovici Sedunensis & Amadei Lausanensis pro Tabula aurea sexaginta sex marcarum pondere grava, à Carolo Magno Imperatore Ecclesiae Agaunensi donata, qua desuper appositum quiescebat Corpus S. Mauritii, quàmque Amadeus Humberti Pater in expeditionem Hierosolymanam iturus pro necessariis viæ expensis è templo seu Sacratio S. Mauritii sibi dari postulavit, Abbati & Capitulo Præfecturam de Bagnes jam prius in pignus datam, pleno jure tradidit, ne nimirum animæ parentis, prout verba Tractatus sonant, forsitan in damnationem, & sic successoribus in scrupulum] offensionis, salutisque animarum fieret. Annò 1150.

XLV. *Rodolphus* II. ob animi melioris dotes ad Monasterium S. Mariæ de Abundantia, Regulæ S. Augustini observantiam instaurandi causâ, ex Ecclesia Agaunensi evocatus & aliquibus post annis iterum revocatus Abbâsque Agaunensis creatus est anno 1154. In Tabulis *Vir Nobilis & magnanimus* appellatus Ecclesiam Agaunensem sibi creditam, non tam Spiritualibus ornamentis, quàm etiam temporalibus Beneficiis plurimum instauravit. Silentium Regulare semper & ubique locorum inviolabiliter observandum curavit; uti & laborem manuum Canonicis suis convenienter imposuit. Mensæ Regulari carnes inferri vetuit; Constitutiones Patrum strictissimè teneri demandans, abusus Regulares omnes omninò propulsari fecit. Propter hæc Ecclesiam S. Sigismundi & Mauriti de Allio dictam, & aliam de Communiaco, atque tertiam de Monpongemo nuncupatam singulari industriâ suâ, haud tamen sine gravissimo labore, nec minoribus expensis, acquisivit. Pluribus in locis Grangias ædificavit, domos extruxit, vineas excoluit, & ampliavit. Decimas ab aliis iniquè retentas recuperavit, item lapideum, quod Agaunensi templo supereminet, pinnaculum Turris omninò novum instruxit. Et ut paucis dicamus, toto Prælaturæ suæ tempore, commissam sibi Ecclesiam peregre fovit. Insuper perdurante tum schismate in Ecclesia Catholica Alexandro III. PP. semper addictissimus, pro justitia & veritate Catholicæ Romæ vincula & carceres constantissimè perpessus, tandem meritis plenus in pace quievit 12. Nov. 1167. Qui ampliora hujus Abbatis Elogia desiderat, prolixè decantantur Tom. 6. Historiæ scriptorum Franciæ. Item apud Continuatores Joannis Bollandi Tom. 1. Maji fol. 482. in Historia Translationis S. Monicæ à Waltero Can. Regulari Aroasiensi eruditè conscriptâ, quò Lectorem remitto.

XLVI. *Burchardus* II. fuit homo severus & totus Religioni deditus, suique Prædecessoris inhærendo vestigiis disciplinam Canonicam inter suos nunquam non illibatè servandam omni studio curavit. Munus Abbatiale atque Ecclesiam suam amplius illustrare nunquam destitit. Inter cætera Sacellum Confessionis S. Mauriti reparavit. Homagia sibi præstari fecit à Qualcherio Salinensi Domino ac Burgundionum Comite, item ab Humberto Sabaudia Comite. A Landrico Episcopo Lausanensi Ecclesiam quamdam S. Albini ad Lacum novi castri Collegio suo S. Mauriti dono acquisivit, cujus donationis Instrumentum hisce adhuc existit verbis scriptum:

*Landricus Dei Gratia Lausanensis Episcopus Reverendo Patri Burchardo Sanctæ Agaunensis Ecclesiæ Abbati & Canonicis rei gestæ notitiam in perpetuum. Ex officio per gratiam Dei parvitati nostræ injuncto nobis incumbit Ecclesiæ suæ jura servare, & donis multiplicibus ea augmentare. Hinc est, quòd præfate Agaunensi Ecclesiæ, quam non sicut unam de cæteris, sed quasi solam præ cæteris & SS. Thebeorum Martyrum Corpora, quæ ibidem requiescunt, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ familiaritas specialis non tam mundo reddunt spectabilem ob remissionem omnium peccatorum nostrorum, Lausanensium videlicet Episcoporum Ecclesiam S. Albini cum omnibus appendiciis suis damus: & ut melius vi vel arte donum cessare possit, sigillò nostrò munitum confirmamus. Hoc autem Lausane factum est in Ecclesia B. Mariæ Matris Domini annò ab Incarnatione ejusdem millesimo centesimo septuagesimo sexto. Epacta vicesima sexta concurrente Luna decimâ quartâ feriâ tertiâ pridie Idus Novembris. Testes sunt Petrus Abbas S. Mariæ de Abundantia, & Gualterus Abbas de Lacu Gurenfi, & Petrus Prior S. Marii, & Guilielmus de Bloviaco Decanus, Magister Anselmus, & Martinus & Petrus Canonici S. Marii.*

Tandem cum multum pro honore Dei & utilitate Ecclesiæ suæ laboravit Burchardus annò decimò sui Regiminis cæcus factus resignavit de Capituli Consensu Willielmo Canonico Agaunensi.

XLVII. *Willielmus*, ab Alexandro PP. III. diploma Apostolicum Privilegia & immunitates Monasterii corroborans obtinuit. Item aliud eadem continens à Cælestino PP. III. præterea & tertium ab eodem Cælestino pro usu Mitræ & Annuli.

Tandem cum pro sua sollicitudine ac pastorali vigilantia incumberet muneri visitationis Prioratûs Semurensis in Auxeto ibidem obiit & sepultus est. 7. Id. Julii. annò 1197.

XLVIII. *Guntherus* & hic pariter in actis per omnia laudatus sese totum impendit Regulari observantiæ pro posse strenuè promovendæ, sed & juxta simul primò statim sui Regiminis annò solerter inquisivit in quævis jura ratione ditionis vallis Bagnearum à Comitibus Sabaudia violenter impugnata; ex qua quidem inquisitione constat omnem planè jurisdictionem; item altum Bassum, mixtumque Dominium in illam exercendum ad solam Agaunensem Ecclesiam (non obstantibus quibuscunque contrariis adversariorum argumentis tam productis quàm producendis) spectare, prout etiam (præterquam quod in viridi observantia usque hodie continuò fuit usurpatum) idipsum amplius ostenditur ex peculiari

peculiari quodam & solenni tractatu inter Thomam Comitem Sabaudiaë, & Aymonem Abbatem Agaunensem proximè sequentem initò: cujus vigore homagium, uti vocatur, fidelitatis præstitum fuit huic ipsi Gunthero Abbati nostro, cujusque temporibus amicalis quædam transactio facta est inter Cathedralē Ecclesiā Sedunensem & Collegiatam istam Agaunensem hujus concernens Beneficia, uti vocant, curata. Demum ipse Guntherus Ecclesiā propriā à se optimè constitutā, complorantibus bonis omnibus immaturo fato deceffit. 3. Non. Jan. 1230.

XLIX. Aymo II. Non tam sanguine quàm virtute clarissimus *Vir æquè Nobilis ac Religiosissimus* tabulis publicis appellatus à Guilielmo Pontini Comite insignem admodum accepit donationem pro scarlatā, uti vocant, Mozettas seu Cappas Chorales tam pro Abbate, quàm pro Canonicis Agaunensibus inde conficiendis suo tempore coemendā: quam donationem seu fundatam largitionem ex suo Prototypo perpulchro fatis pergamento inscriptam, eandemque hodieum illibatè servatam publici juris hic facimus tenore præsentium:

*Ego Wilhelmus Comes Pontini & Monasterioli notum facio omnibus tam futuris quàm præsentibus, quòd ego ob remedium animæ meæ & Allais discretæ uxoris meæ, & Mariæ Filie mee, & Prædecessorum meorum contuli in perpetuum elemosynam Canonicis S. Mauritii de Chablais tredecim libras Parisenses ad Guibalianam meam in Abbatis villā, quisquis eam tenuerit, annuatim accipiendas in mundinis Trecurum mense Julio constitutis ad emendas viginti ulnas scarlatæ ad unam de prunis ad faciendā Capucia, quæ prædicti Canonici in signum Martyrii Beatorum Mauritii Sociorumque ejus Martyrum jure ordinis & consuetudinis rubea in sua Ecclesiā gestare dignoscuntur: Concessi autem Canonicis præfati loci octo solidos censuales in Abbatis villā annuatim accipiendos à Firmino de Sermarpon Burgense meo, & ab heredibus ejus de quatuor stallis Carnificum, quæ prædictus Firmus de me tenebat; hoc etiam sciendum est, quòd quicquid prædicti Canonici tam in Capuciis, quàm in rebus aliis in Comitatu meo reclamabunt, quantum ad me & heredes meos pertinet, in pace remittant, & ut hæc firma & inconcussa permaneant, præsens scriptum Sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc annò ab Incarnatione Domini Millesimo ducentesimo decimo, mense Martio.*

Eandem recensitam donationem seu foundationem Honorius Papa III. Autoritate apostolica stabilivit proprio quodam diplomate ad perpetuam rei memoriam taliter expedito:

*Honorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Aymoni abbati & conventui S. Mauritii salutem & Apostolicam Benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere Consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in Domino vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu reditus de scarlatā quæ bonæ memoriæ Wilhelmus comes Pontini piâ vobis liberalitate donavit, sicuti eos justè & pacificè possidetis vobis ac successoribus vestris auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti robore communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpsit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani tertio Nonas May. Pontificatus nostri annò quartò.*

Obiit Aymo 10. calend. Sept. Annò 1223.

L. Nantelmus electus Abbas Capsam fat magnam ex argento ad recondendas SS. Martyrum reliquias fieri curavit. Annò 1225. Sub hujus Regimine Petrus de Boësia ex Canonico Agaunensi Episcopus Augusta Prætoria creatus est Annò 1242. Qui obiit annò 1259. Et eòdem annò pariter ad plures abiit Nantelmus Monasterii Agaunensis Abbas benè meritus.

LI. Girólans vel Giraudus nobili stirpe Patria progenitus, juxta quoque Religiosa pietate magis inclytus constanter emicuit; Cujus virtutes in omnibus actis & actitatis ejus oppidò resplendent. Statim initio sui Regininis homagium sibi præstari fecit, à Joanne Comite Burgundiaë. Idem præstantissimus abbas ad instantiam S. Ludovici Noni Francorum Regis SS. Thebæis Martyribus specialiter devoti sacra quædam corpora ex illis sibi dari religiosissimè deposcentis Regiæ Majestati suæ libenter acquiescens, venerandas hujusmodi sacras exuvias cum Religiosis Canonicis suis ipsemet Sylvanectum usque in Gallias detulit testimoniò publicò in confirmationem pientissimæ factæ donationis additò, quod tale est.

*Giraudus miseratione divina Abbas B. Mauritii Agaunensis, totusque ejus loci conventus salutem in Domino. Divina disponente providentia venerandam SS. Martyrum Agaunensium Legionem in Regno Francia specialiter honorari cupidus Excellentissimus Francorum Rex Ludovicus devotionem suam, quam ad præcipuam ipsorum Christi Martyrum venerationem gerebat implere, petiit à Nobis humiliter & instanter de sacra Religione prædicta pretiosa sibi quædam corpora transmitti, quatenus*

tot, & tantæ reliquiæ, quæ quasi lucerna Christi sub modio Monasterii nostri latitabant in diversis Ecclesiis regni sui super candelabrum posita, & ad divini Nominis gloriam exaltare Gallicani populi devotionem amplius excitarent. Nos autem piis ejus petitionibus annuentes, plura de Thesauro Ecclesie nostræ SS. Martyrum corpora Regis devotioni exhibuimus, & ad ipsum Regem Nos Abbas cum quibusdam ex fratribus nostris ea personaliter deduximus unâ cum solemnibus ejus munitis deferenda, qui tantas tamque venerandas Reliquias Religiosâ veneratione pertractans, eas assumpta secum Prælatorum ac sæcularium Nobilium, ac Popularem virorum venerabili comitiva processionaliter deportatis in Sylvanectum Civitatem intulit, & ibidem ad perpetuum susceptarum reliquiarum honorificentiam Ecclesiam seu Capellam juxta Regale Palatium suam adificari disponens in eadem plura de prædictis sanctorum Martyrum Corporibus: (Cæteris in diversas Ecclesias seu Monasteria regni sui ad amplioris honoris cumulum distributis:) honorificè collocare proposuerit certum Canonicorum nostrorum numerum statuendo, qui Deo & præclaris ejus Martyribus ibidem perpetuò famulentur. Verum ne propter institutionem ipsorum posset aliquatenus inter Agaunensem & Sylvanectensem Ecclesiam quæstionis materia suboriri, Regis assensu super his cum venerabili Patre Sylvanectensi Episcopo diligenter tractavimus, & amicabiliter convenimus in hunc modum: Canonici Regularis ordinis, quos Dominus Rex positurus est in Ecclesiam vel capellam, ad Honorem Dei & Beatæ Mariæ & SS. Martyrum Mauriti & sociorum ejus, usum Parisiensis Ecclesie, quem Capellani Capellæ ipsius Domini Regis observant, in divinis Officiis observabunt. Actum anno Domini Millesimo ducentesimo sexagesimo primo, die Dominica post Festum Purificationis B. Mariæ virginis.

Ipse autem Giraudus Abbas in vicem donationis hujus sanctissimo Regi Ludovico factæ recepit spinam unam de sacratissima Coronâ Servatoris & Domini nostri Jesu Christi, qualiter ostendit authenticum quoddam propriâ manu regali confectum juxta sequentem formulam.

*Ludovicus DEI Gratia Francorum Rex dilectis filiis in Christo Priori & conventui S. Mauriti Agaunensis salutem & dilectionem sinceram. De pretiosis Beatorum Agaunensium MM. Corporibus, quæ nobis per venerabilem Patrem Giraudum Abbatem & canonicos nostros ac mantium nostrum vestra liberalitati fuerunt destinata, Charitatem vestram divinis prosequimur gratiarum actionibus. Mittimus autem vobis per ipsum vestrum abbatem sacrosanctæ Coronæ Dominicæ spinam unam, quam propter Redemptoris Honorem & reverentiam petimus à vobis devotissimè honorari, & ut nos nostrosque habeatis orationibus vestris specialiter commendatos. Actum Parisiis anno Domini Millesimo ducentesimo sexagesimo primo.*

Extat autem adhuc alia quædam donatio nempe Regiæ Capellæ Sylvanectensis cum adiuncto Prioratu ab eodem Ludovico Canonicis Agaunensibus facta, item confirmatio Apostolicæ eidem donationi superaddita; qui tamen Prioratus post aliquod tempus ad Canonicos Regulares Congregationis Gallicanæ devenit. Præter hæc recensita Giraudus noster Petro Comiti Sabaudia donavit anulum unum S. Mauriti, cui quidam similis adhuc ætate nostra summa veneratione servatur in sacrario Agaunensi & ad sublevandam oculorum caliginem plurimum deservit, estque saphyrus, non elaboratus, sed adhuc (uti vocant) impolitus, ut in quo deprehenduntur puncta seu notæ novem, & est anulus iste cum suâ gemma ponderis trium duplarum Hispanicarum unâ cum viginti novem granis.

Sub eodem tempore recensetur Commutatio quædam inter Monasterium Attemathense Diœcesis Lugdunensis, & ipsum Agaunense in Causâ juris Patronatûs Ecclesiæ de Allio suprædictæ, quæ tamen temporibus nostris detinetur à Bernatensibus Calvinianis loco vicinis. Denique sub ipsum tempus facta fuisse refertur alia commutatio quædam Curia de Boglay in Diœcesi Lausantensi pro alia in Collenberg, & sacellis trium torrentium, & de Montoy inter abbatem Agaunensem & Priorem de Lustriano rata, & confirmata annò 1263. Verum præ cæteris inter celebriora Agaunensis Ecclesiæ monumenta notu dignum hic occurrit, & meritò recensendum privilegium quoddam Apostolicum quævis alia tempore priora reiterans, & de novo confirmans, sed & amplius extendens datum ab Alexandro Papa IV. sub hujusmodi tenore.

*Alexander Episcopus servus servorum DEI dilectis filiis Giraudo Abbati Agaunensi S. Mauriti ejusque Fratribus tam presentibus quam futuris Regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam agentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursum, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod adsit, sacræ Religionis infringat. Primò ea propter Dilecti Filii vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam S. Mauriti Agaunensis Diœcesis Sedunensis, quæ juris & proprietatis B. Petri esse dignoscitur, in qua statis divino officio mancipati ad exemplar felicitatis recordationis Celestini Papæ Prædecessoris nostri sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo Canonicus, qui secundum Deum & B. Augustini Regulam in Ecclesia vestra institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Secundò quascunque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in presentiarum iuste & Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largi-*



largitione Regum vel Principum, seu oblatione fidelium, aut aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: imprimis locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis: tum S. Sigismundi, S. Mariæ, S. Laurentii Ecclesias sitas in villa S. Mauriti; Hospitale S. Jacobi ejusdem Loci cum omnibus pertinentiis suis; Capellam quæ Ducis Burgundiæ dicitur sitam in eodem castro de sine Muro, redditum vini, qui tabernagium vulgò nominatur cum terris, vineis, pratis, & omnibus pertinentiis suis, locum, qui nominatur Gunacian cum pertinentiis suis. Decimas, possessiones & terras, quas habetis ibidem, Ecclesiam se salinis in Tarentasia cum pertinentiis, Ecclesiam de Versone, de la Tuollis, de Mongdecor, de Massongiaco, de Bioleto, S. Albini supra lacum novi castri, S. Mauriti, & S. Jacobi de Allio: de Plancontus, de Vesteara, de Vallegio, de Bagnes, de Charze, de Salvano cum omnibus pertinentiis earundem; Ecclesiam, quam habetis in villa, quæ vocatur Ollons: Villam de Wadens cum pertinentiis suis, annuos redditus denariorum & salis, quos habetis in villa, quæ vocatur Salins, annuum redditum viginti mensurarum scarlate, quam habetis in villa, quæ abbatialis villa vocatur, de Onous, Vouriaco, de Larreto, de Salvano, de Myeye, de Epicastray, villas cum omnibus pertinentiis suis, cum cæteris terris, pratis, virentibus, vineis, venationibus, usuariis, & pascuis in busco, & in plano, in aquis, & molendinis, viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis, sanè Novalium vestrorum animalium ac nutrimentorum nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos & absolutos à sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliquaretinere. Tertio prohibemus insuper, ut nulli fratrum, postquam in Ecclesia vestra Professionem emisit, sine abbatis Licentiâ, nisi arctioris Religionis obtentu concessum sit ei de eodem loco discedere, discedentem verò absque communi litterarum vestrarum consensu nullus audeat retinere. Cum autem Generale Interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, excommunicatis & interdictis omninò exclusis, non pulsatis Campanis suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam interdicto non dederitis. Chrysuma verò, Oleum sanctum, Consecrationes Altarium & Basilicarum, Ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, & alia Ecclesiastica Sacramenta à Diocesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam, ac communionem sedis Apostolicæ habuerit, & ea vobis gratis & absque pravitate aliqua exhibere voluerit, alioquin liceat vobis, quemcumque malueritis, Catholicum adire Antistitem, gratiam & Communionem sedis Apostolicæ habentem, qui nimirum nostrâ fultus auctoritate vobis, quod postulatis, impendat. Quarto libertatem à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus eidem Ecclesiæ vestræ concessam, illam Auctoritate Apostolica nihilominus confirmamus, ut videlicet Ecclesia ipsa cum villis ad eam pertinentibus solummodò Romano Pontifici sit subiecta, nec alicui omninò quolibet dominationem liceat exercere. Sancimus, ut nullus in eis nisi Regularem vitam professus aliquando subrogetur, aut quilibet astutiâ intrudatur. Quinto prohibemus insuper, ut infra Parochias vestras nullus sine Consensu Diocesani Episcopi & vestro Capellam sive oratorium constituere audeat salvo Privilegiis Pontificum, novas verò & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis seu Decanis vobis fieri omninò prohibemus, sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, & eorum devotioni, ac extremæ voluntati, qui se ibi sepeliri delibaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut publici usurarii, nullus obsistat, salvo tamen iustitiâ illarum Ecclesiarum. Sexto obeunte verò te, nunc ejusdem loci Abbate, vel suorum quolibet successorum, nullus ibi quilibet subreptionis astutiâ violenter præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Dei timorem, & Beati Augustini Regulam præviderint eligendum. Electus autem à Romano Pontifice vel à quocumque voluerit Catholico Episcopo manus Benedictionis accipiat. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate nostra prohibemus, ut infra Clausuras locorum seu Grangiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam aliquam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ vestræ concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationaliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatum Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integrè conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura salva sedis Apostolicæ auctoritate, & in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve Persona hanc nostræ Constitutionis paginam violaverit, aut sciens contra eam venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reânque se districto Dei Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris Nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit Pax Domini Nostri JESU Christi, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem æternæ pacis præmia inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Alexander Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Ego Frater Joannes S. Laurentii Presbiter Cardinalis.

Ego Richardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Octavianus S. Mariae in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Joannes S. Nicolai in Carcere Tullensi Diaconus Cardinalis.

Ego Octobonus S. Adriani Diaconus Cardinalis.

Ego Odo Catbelanus Episcopus.

Ego Stephanus Prænestinus Episcopus.

Datum Romae per manum Magistri Jordani S. Romanae Ecclesiae Notarii, & vice-Cancellarii quarto Nonas Martii Indictione X. anno Incarnationis Dominicae Millesimo ducentesimo quinquagesimo nono. Pontificatus vero Domini nostri Alexandri IV. Papae anno sexto.

His & aliis praecclare gestis ad superos evolavit Giraudus Abbas noster 2. Non. Martii anno 1274.

LII. Petrus à S. Sigismundo Canonicus Agaunensis ex Priore Abbas ob multa & specialia sua merita designatus est. Is jam ante Praecedessori suo venerabilis memoriae in arduis semper Regiminis negotiis strenue defervit. Et primus fuit, qui Electionis suae confirmationem à sacra Romana fede poposcit, & impetravit à S. Gregorio X summo Pontifice, sub signata Lugduni X. Cal. May. Pontificatus Gregorii anno 4<sup>to</sup> Domini 1274. Sub Regimine Petri hujus Aymo de Castilione in favorem Ecclesiae Agaunensis plenariam jurisdictionem cessit in Gryon, atque etiam Otho de Burgundia ante altare S. Mauritii personaliter ei praestitit homagium. Et sic proventa jam aetate gravidus vita temporali decessit 7. Cal. Octob. Anno 1285.

LIII. Girardus Prior S. Bernardi Trecentis ord. S. Augusti. ob ejus egregias dotes morumque integritatem postulatus fuit Abbas Agaunensis. Anno 1286. die 14. Cal. Nov. In actu Electionis adsunt supplicatio ad summum Pontificem pro Confirmatione ejusdem, & viginti tres Canonici sub signati. Sub ejus Regimine à Priore & Capitulo de autoritate Abbatis decretum fuit, ne ullus in Abbacia Agaunensi, item Prioratibus & Ecclesiis ad Agaunensem Ecclesiam pertinentibus, sacerdos saecularis institueretur, sed solummodo, qui Regulam Canonicam S. Augustini fuerit professus, admitteretur. Cujus Constitutionis tenor talis habetur:

Nos Frater Raymundus Prior Ecclesiae S. Mauritii Agaunensis, totumque ejusdem loci Capitulum Considerata & inspecta utilitate Ecclesiae praedictae, ne in futurum dispendium pateretur & lesionem, & quia propter importunitatem petentium, & liberalitatem concedentium multa multoties non concedenda conceduntur, nos pro posse nostro volentes huic malo in Christo Patris Girardi permissione divinae Abbatis nostri diligenter inter nos habito tractatu in Capitulo nostro Agaunensi jurejurando à nobis super sancta Dei Evangelia solemniter praestito volumus, ordinamus, & constituimus, ut de caetero in Prioratibus, Domibus, & observantiis nostris ad Ecclesiam nostram spectantibus videlicet de sine Muro, de Ventois, de Salvant, de Hospitali S. Mauritii, de Choux, de Salan, de Ollons, de Allio de Oxons, de Lullio, & S. Michaelis in Tarentasia, cum ipsas de jure vel de facto vacare contigerit, nulla saecularis Persona Prior aut Rector in ea constituatur, nisi de Canonicis antedictae Ecclesiae S. Mauritii Agaunensis. Nos praedictus Abbas Constitutionem praedictam confirmamus, & approbamus, in cujus rei testimonium sigillum nostrum cum sigillo Capituli nostri Agaunensis praedicti apposuimus huic scripto. Datum & actum in Monasterio Agaunensi ante Ascensionem Domini, anno Domini Millesimo ducentesimo octogesimo octavo.

Obiit Tandem Girardus anno 1292. 3. Id. Junii.

LIV. Jacobus d' Argent five de Argento Cantor & Cancellarius Canonicae Agaunensis in Abbatem fuit electus Idibus Junii anno 1292. Romae eodem anno confirmatus 4. Cal. Aug. Extat etiamnum Electionis instrumentum de ipso factae, in quo recitantur viginti numero Canonici Capitulares, omnes ac singuli illustri Profapia editi. Accepit idem Jacobus Abbas fidelitatis obsequium seu homagium à Comitibus Burgundiae & Dominis de Salinis. Emit etiam magnam partem Vinearum de Clio cum torculari. Praeterea praesidente venerabili ac laudatissimo antistite hoc, Rector Paraciae de Columberio non sine speciali consensu ordinarii seu Episcopi Sedunensis S. Mauritio in totum cessit medietatem omnium proventuum & oblationum Ecclesiae suae cum decem libris Mauritanensibus sub jure Patronatus comprehensis anno circiter 1302. Praeter nonnulla alia, quae laudabilissimè fecit Jacobus noster circa temporalia, hoc unum commisit & non leve piaculum circa observantiam Regularem, quod anno priore, antequam demortuus est, salutis. 1312. Canonicis suis permiserit licentiam bonam sibi acquirendi, acquisita ut propria possidendi, & in usus suos quoscunque convertendi; imò

imò iisdem etiam testandi, sed hoc in favorem tantum unius Præbendariorum, cui mauerint. Obiit 4. Cal. Decemb. annò 1313.

LV. *Bartholomæus* Justi Decretorum Doctor & Prior S. Mariæ de Cerusiâ per postulacionem ac compromissum ( Venerabilibus Dominis Joanne Bennotti Canonico, & Officiali Sedunensi, nec non Rodulpho de Franchonii Canonico & Officiali Augustæ Prætoris compromissoribus in id specialiter deputatis ) sub finem anni 1313. electus toto regiminis sui tempore plurimum laboravit, tum pro stabiliendâ vitæ Regularis observantiâ, tum pro administratione & augmentò reddituum temporalium pro posse fovendo, prout de hoc amplius constat ex pluribus ( quæ hodiedum supersunt ) documentis isthuc brevitatis causâ intermittendis. Anno 1307. Venerabili huic Antistiti Bartholomæo Sabaudia Comite Amadeus ratione quorundam bonorum feudalium juramentum fidelitatis præstitit; item Ludovicus de Sabaudia Villam de Abrenunceis, & Decimas in Deschens, & Exeribens pro aliâ quadam villâ de Wadens ditionis Friburgensis in Helvetiâ per cambium pleno jure de posthac possidendas tradidit. Anno 1320. idem ipse Abbas domicello cuidam de Manthalo auri argentique fodinas penes vallem de Bagnes & Villagii certis conditionibus locavit; quibus adde, quòd tempore administrationis ejus insigne Xenodochium castri Branconis fundatum fuerit, atque Agaunensi Monasterio penitus attributum; id tamen ipsum labentibus annis utcunq; denuo perditum. Cæterum uno nimium infelix fuit Abbas iste casuali ( quod tristis admodum culpâ sine suâ sustinere debuit ) incendio, quo Monasterium simul, & dimidium Agaunensis oppidi miserrimè deperivit.

LVI. *Joannes Bartholomæi* continuò strenuè decertavit pro cunctis Abbatia suæ privilegiis facta tecta conservandis, maxime verò præcipuis illis vallem de Bagnes concernentibus, tandem senio & laboribus exhaustus diem supremum clausit anno 1313.

LVII. *Gerardus Bernardi* nobilis & ornatissimus vir, cujus actus electionis quamvis suo loco cum aliis non habeatur annotatus, constat tamen, eundem ipsum in Ecclesia Agaunensi ad S. Mauritium Abbatiali munere legitime fuisse perfunctum, & quidem ad annum 1377. quo tempore tractatum fuit inter Ecclesiam Agaunensem, & Amadeum, Sabaudia Comitem ratione jurisdictionis territorialis in sæpè nominatam vallem de Bagnes exercendâ, quæ tum temporis tota quanta soli Abbati Agaunensi cessit. Item sub idem ferè tempus Carolus IV. Romanorum Imperator Rex Bohemia rebus cum Urbano Papa VI. Avenione compositis, voti reus ad limina S. Thebæorum MM. invisit, ubi interventu Guitardi Tavelii Episcopi Sedunensis & Comitum Sabaudia Augustissimus Princeps iste in donum accepit ipsissimam S. Mauritii Archistrategi S. Martyris securim, quâ is in prælio fuit usus, quòque ipse ( uti constans habet traditio ) pro fide Christi crudelissimè necatus cum commilitonibus suis Martyrium subiit; item ossa quædam seu reliquias S. Sigismundi Regis Burgundia & Martyris Primarii fundatoris Agaunensis, quæ memorata sacra donaria ipse Carolus Imperator in suam Bohemia Metropolim seu Civitatem Pragensem deportari fecit.

LVIII. *Joannes Gavetti*, præfuit Abbatia ad annum 1379. ædificavit domum fortem de Bagnes, aliàs sub ejus regimine Amadeus septimus Sabaudia Comes fundavit Hospitale villæ propè Chüious, & unâ simul S. Mauritii Canonicis Agaunensibus donavit Superioritatem in illud ipsum perpetim tenendam & exercendam, quam tamen hodie Primores vicinæ civitatis Bernatensis religione suâ Calvino-Zwingliani violenter occupant, & pro suâ solum autoritate Præfectum inibi potenter instituunt. Cæterum obitus Joannis istius Mortilogio Domestico inscriptus habetur 13. Calendas Decembris anno 1404.

LIX. *Joannes Sostionis Antonii* ( Magistri Sequestarum Amadei septimi Comitis Sabaudia antedicti ) filius Canonicus S. Mauritii & Sacrii Agaunensis Præfectus, tum in Abbatem electus Augustissimo Romanorum Imperatori Sigismundo ex Italia revertenti insignes aliquot reliquias de corpore S. Sigismundi Regis & Martyris supra dicti lubens indulsit. Item anno 1414. à memorato Comite Sabaudia confirmationem obtinuit transactionis in causâ juris territorialis vallis de Bagnes quondam inter Canonicos Agaunenses & Thomam Comitem Sabaudia litteris publicis comprobata. Denique Joannes Abbas iste meritis plenus cum Patribus suis in bonâ pace requievit quinto Idus Octobris anno 1427.

LX. *Guilielmus Villars* post Electionem suam Canonicè celebratam, Martino Papa V. sub annum 1428. confirmatus exacto regiminis sexennio vitæ temporalis ( urgentibus factis ) jacturam fecit, & ad plures abiit sexto Idus Februarii anno 1434.

LXI. *Petrus Fornay* quadriennio novæ Prælaturæ suæ nondum finaliter expleto sponte cessit honori, & suscepti regiminis labores successori relinquens, in Ecclesia Agaunensi tumulum accepit: Nomen illius taliter in Necrologio Domestico legitur annotatum: *Bonæ memoriæ Petrus Fornesius de Clusis Abbas iste Venerabilis Ecclesiæ suæ dedit Psalterium, & fecit fieri formam Chori. &c.*

LXII. *Michael Bernardus* aliàs dictus *de Allingo* Decretorum Doctor, Illustrissimorum Ducum Sabaudiaë Consiliarius intimus, & Compater adoptatus ædificavit residentiam Abbatialem, ac multa etiam bona Monasterio suo contulit, tandem vitâ terrestri defunctus anno 1458. Ejus sub regimine Amadeus ex Comitibus Sabaudiaë omnium primus in Concilio Constantiensi titulo *Ducis* decoratus fuit, sed & idem post mortem Margaritæ Conjugis suæ Rippaliense Helvetorum Cœnobium mundo valedicens ingressus, tandem etiam anno 1439. in Conciliabulo Basileensi sub nomine Felicis V. contra Eugenium IV. Pseudo Pontifex electus Agauni construi fecit facellum *Veteris Thesauri* nuncupatum, ex posthac verò *B. Amadei* intitulatum, in quo hodie dum insignia ipsius Felicis Anti-Papæ visenda prostant, qui aliàs in Agaunensem Ecclesiam munificus apparuit, sed & inter cætera Thuribulum cum acerrâ seu naviculâ & duobus candelabris aurò purissimò confectis duas mitras S. Mauritio in donum obtulit. Privilegium quoque statuit, seu donavit, & statuit, ne Abbatialis dignitas Agaunensis unquam in Commendam dari possit.

LXIII. *Bartholomæus Boverius* Nobilis de Villâ Novâ sub annum 1458. à Pio Papa IV. provifus gravissimas habuit, quas & vel invitus sustinuit, lites seu tricas, ac controversias, quas ipsi suscitavit Ludovicus Sabaudiaë Dux, Ludovicum quendam de Saiffon propriâ autoritate intrudere conatus; de quo pluribus agitur in Annalibus Domestico. De reliquo quinquennem solum Abbatem Agaunensem egit Bartholomæus iste noster, quousque ad meliorem vitam translatus decimo sexto Calendis Augusti terris disparuit anno 1463.

LXIV. *Guilhelmus Bernardi* electus anno 1463. die 19. Junii, eodémque anno die 5. Septembris autoritate Apostolicâ confirmatus, intimum Illustrissimi Ducis Sabaudiaë Consiliarium egit, apud omnes præcipuè honoratus; idem etiam anno 1469. à Sacro Cardinalium Collegio specialiter deputatus sententiam suspensionis & privationis Episcopatus Romæ latam denuntiavit, & intimavit Jodoco de Syllimon Ecclesiæ N. eidémque summâ, qua hac in parte fungebatur, autoritate substituit loci Vicarium Generalem R. D. Nicolaum, quem in plenariam possessionem tam in Spiritualibus, quàm etiam in temporalibus constituit, & introduxit anno 1496. die 4. Augusti.

LXV. *Joannes Allingii* à Mathæo Episcopo (qui postea à Julio III. in numerum Purpuratorum adscitus anno 1511. S. R. E. Cardinalis tituli S. Prædix creatus est) Sedunensi, Agaunensis Ecclesiæ fautore ac benefactore optimo maximo pretiosissimum quendam (quo RRmi. DD. Abbates in solennibus festis hodie dum utuntur) calicem in donum accepit, qui & in diebus suis domum Abbatiaë propriam in Salaz ædificavit. Et penes Ollonum feudum quoddam præpingue satis, emptionis titulò comparavit, illudque Abbatiali mensæ suæ incorporari fecit. Præter hæc idem dignissimus Antistes Joannes curiam quoque seu domum Francisci de Turre prope Bagnes situatam, prægnantibus de causis fisco suo subjecit, multaque alia bona Allodialia Canonica suæ Mauritianæ solenniter in feudari procuravit; vinculis carnis tandem enodatus anno 1521.

LXVI. *Bartholomæus II.* hujus nominis cognomento Sostionis, nobili stirpe procreatus, in Abbatem S. Mauritii canonicâ electione promotus anno 1521. die 28. Decembris regimen Claustrale suscepit, cujus gloriosa merita & elogia in Annalibus Domestico suo loco habentur taliter annotata: „adnumeratur inter Cælicos cives Reverendus in Christo Pater & Dominus Bartholomæus Sostionis, qui postquam viginti annis officio suo electus Abbas Ecclesiam & Cœnobium piè rexit, tandem anno 1550. consummatus die 20. Maji Spiritum Deo reddidit. Hic utrumque Prioratum Leninensem & Sylvanensensem in Gallia modò Venerabili Congregationi Canonorum Regularium S. Genevæ subditum invisit, & reformavit. Præterea domum Pastoraalem de Bagnes cum adjacente horto & Viridario, multisque aliis prædiis eidem Ecclesiæ concessit, prout ex authenticis clariùs apparet.

LXVII. *Joannes Miles* Patriâ Leucensis è Valesiâ Superiori progenitus, in Abbatem Agaunensem honoratus evasit anno 1550. die 11. Maji, de quo sæpe citatum Necrologium Domestico sic habet: *Joannes Miles civis Sedunensis Patriâ Leucensis Abbas noster, Artium liberalium Professor, Spirituum immundorum abjector, qui legavit Conventui opertorium varii alitibus textum & Bibliothecam suam.* Qui quidem ipse Procuratorio nomine missus ab Episcopo

scopo Sedunensi ad Concilium Tridentinum, cum nomine sui constituentis decisionibus Concilii subscribere deberet, respondit, Procuracionem suam non aliam esse, nisi ad referendum; Quæ propositio à Patribus rejecta est; sed ne in vanum Joannes iste noster ad memoratum Concilium profectus fuisset videretur, autoritate illius titulum simul, & officium Inquisitoris Generalis per totam Helvetiam obtinuit. Redux itaque Agaunum, cum Calviniana Hæresis in terris istis, maximè verò in ditione Bernatensi gradum figere cœpisset, in Agaunensi foro, seu plateâ Paradyfus appellatâ, per manum Carnificis comburi fecit; quod indignè ferentes (vel hinc maximè, quod aliàs Abbas Agaunensis Reipublicâ ipsorum Vasalli vices ageret) tum Senatores, tum plebei quoque Cives Bernatenfes omnia Monasterii Agaunensis bona sub politicâ jurisdictione suâ hinc inde constituta, eaque pro tempore sanè plurima in fiscum suum publicum rapuerunt; quare Monasterium adeo graviter fauciatum & iniquissimè spoliatum ultimum quasi discrimen adiit, atque ea propter Joannes Abbas vel invitus supremum Valesiæ Senatam pro auxilio potenter afferendo in vota vocavit; unde suffragante favore & autoritate illius ea saltem, quæ hodie in partibus istis Abbatia Agaunensis securè possidet, utcunq; recuperavit, sub merissimis tamen solum conditionibus concessa, ut perpetuis futuris temporibus unicè Canonici Regulares Augustiniani in suo sæpedito Agaunensi Monasterio subsistentes, Altissimòque famulantes secundum Regulares Ordinis sui leges & statuta deserviant, nec unquam aliis, quàm hujuscemodi Viris Religiosis Agaunensem mansionem suam concedant. Restat etiamnum alius quidam tractatus truculentissimus eadem hac tempestate licèt haud spontaneè, sed quasi coactè tantum & ex merissimo timore reverentia ad solam nimirum captandam benevolentiam & politicam protectionem Statuum Valesiæ sibi conciliandam, à Religiosis Canonicis ratus & confirmatus: cujus nimirum vigore Abbas, & (uti formalia sonant) Capitulum Agaunense Diœcesanum suum Episcopum Sedunensem tanquam utriusque Valesiæ Præfectum, & Comitem, Dominum Ballium verò, & Proceres Valesii Monasterii sui Curatores seu (uti vocamus) Advocatos agnoscant, quorum sine præscitu, & interventu ad Electionem Abbatis de posthac nequam procedant &c. Unde ab hoc tempore statim post Electionem Prælati à Venerabili Capitulo factam, & celebratam, noviter Electum memoratis Dominis præsentari coram usus & consuetudo fortiter obtinuit; atque ex tunc primùm ipse præsentatus Monasterii possessionem accipit, & sic *Abbas Electus* inaudit; cum vicissim Primores illi sæpeditum Monasterium cum omnibus juribus, & appertinentiis in singularem defensionem, & tutelam suam contra quosvis invasores suscipiunt, & acceptant &c. Qui quidem tractatus à Capitulo Agaunensi ratificatus fuit & approbatus, salvo tamèn quovis jure Sedis Apostolicæ in regalem Canoniam istam Agaunensem convenienter tenendo, & usurpando. Verùm his non obstantibus indiscreto nimium, (uti scribitur) Zelo Joannis Abbatis istius (qui certò pro constanti Religionis Catholicæ conservatione & emolumento prudentius sanè dimicare potuisset) sæpe nominatum Venerabile Capitulum Agaunense de facultatibus ac possessionibus suis haud pauca dolenter amisit, ipse verò Joannes Miles Abbas suo tempore infirmâ corporis valetudine correptus, tandem diem suum obiit anno 1572.

LXVIII. *Martinus de Plastro* prius Rector ad S. Joannem Baptistam de Mariis Diœcesis Genevensis & Regularis Canonicus Agaunensis annò 1572. die 28. Februarii in Abbatem electus, tum anno proximè sequenti tertio Calendas Maji à summo Pontifice provifus abominando Epidemiæ morbo Canonicis Agaunensibus infensissimo in Bagnes secessit, ubi aliquamdiu commoratus à Sixto Papa V. Bullam obtinuit, quâ supremus iste Universalis Ecclesiæ Pastor & Rector loci Ordinarium seu Sedunensem Episcopum serio hortatur, ut ipsum hunc Martinum Abbatem strenuè juvet in concepto Claustralis Reformationis negotiò, inter Ascetas Agaunenses exequendo; cui dum Abbas iste ad Ecclesiam suam descendens salutari huic operi ritè perficiendo sagaciter intendit, & ipse pariter præter spem intoxicatus, & lethali mortis spiculo confossus in fata declinavit septimo Calendas Martii anno 1587. quo eodem tempore communis & maxima rerum inopia, & intolerabilis quasi caritas annonæ in terris istis horrifonè grassata, vix paucos reliquit à ferali Epidemiæ morbo servatos.

LXIX. *Adrianus Riedmatter* Cathedralis Ecclesiæ Sedunensis Decanus anno 1587. à Venerabili Capitulo Agaunensi in Abbatem postulatus, generalibus Imperii Comitibus Ratisbonæ celebratis interfuit, Pontificiæ Confirmationis Bullam non accepit, sed solum Abbas electus inaudiit; qualis venerando statu suo præfuit usque ad annum 1604. quo decurrente ipse Adrianus Episcopali Cathedræ Sedunensi fuit impositus, ac tandem anno 1613. morte interveniente pluribus aggregatus; qui cæterà suum Abbatiale munus

apud suos Agaunenses strenuè gessit, jurium ac privilegiorum suorum sagacissimus Inquisitor; fuit idem ipse aliquando (defectu Canonorum Claustralium) unâ, eadèmq; vice Abbas, Sacrista, Eleemosynarius simul & Cantor, & sic omnia; quo in perturbato & satis afflictò rerum statu post resignationem Adriani istius Canonici Agaunenses pro institutione novi Abbatis & Electione ad Capitulum convocari noluerunt, ut aliàs; sed immediatè successit Petrus de Gruglii, mox amplius nominandus infra. Verùm antequam ulterius progrediamur, omitti non debet, quòd presidente Adriano Abbate isto Agaunensi sub annum 1590. contigit; dum scilicet Celsissimus Sabaudia Dux nuntiis ad supremam Valesia Senatù directis medietatem corporis S. Mauritii petere demandavit; gladium item Sanctissimi Archistrategi hujus; ex qua donatione eidem Celsitudini suæ solenniter factâ, Sacrarium Parochiæ Agaunensis haud modicum sustinere debuit charissimorum pignorum suorum dispendium; unde ingens in populo suborta fuit feditio, & tumultus, quando nimirum Reverendissimo Domino D. Joanne Godefrido Augustæ Prætoris Episcopo (qui fuit unus de numero prædictorum oratorum Sacrarum Reliquiarum thesaurum subducere fatagentium) missam faciente, sub ipsâ Sacratissimi Corporis Domini elevatione plebejus quidam ex Parochianis adstantibus Pontifici celebranti tumultuanter admodum insultavit coram, sed & omnis plebs promiscui sexûs arreptis armis quibuscunque obviis in eundem sacrificantem irruit: quorum tamen furori memoratus Episcopus callide subductus, & autoritate supremi (cujus opem delegati Oratores antedicti, prout potuerunt, instantissimè imploraverunt) Senatù servatus cum suis aufugit; atque sacras, quas petierat, exuvias simul obtentas secum Agauno subduxit. Sed quid inter hoc Custos & Abbas iste Adrianus? ut palliato saltem prætensionis ac frivolæ excusationis alicujus titulo (rebus sic stantibus) honori suo consuleret, atque hujuscemodi sacrorum lipfanorum largitio ne fortè Agaunensibus in quodvis præjudicium cedere, vel obire possit, ad futuram rei memoriam testimoniales litteras sibi ac Canonice suis Mauritanis dari voluit, & publicum per manum Notarii fieri solennis protestationis de non præjudicando Instrumentum: quæ tamen omnia hodie Posteris minùs approbant, sed de turpi ignaviâ in hoc casu culpabiliter admisâ quoscunque hac in parte reos constanter accusant.

LXX. *Petrus de Gruglii* Nobilis Sabaudus Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Sedunensis & Prior Martiniacensis obtinuit commendatitias à Duce Sabaudia ad supremum Valesia Senatù: quibus prævalentibus ipse in Abbatem Agaunensem fuit adoptatus anno 1604. S. Franciscus Salesius id temporis Genevensis Episcopus electionem seu promotionem Petri istius utpote minimè Canonicam seu validam, ex post facto legitimam fieri fecit, & stabiliri per Bullam dispensationis, seu confirmationis Apostolicæ datam à Paulo Papa V. Calendis Junii anno 1608. Syllabus Abbatum Agaunensium gratiosè nobis communicatus de Petro Abbate isto promittit sequentia: *Hic Præsul & Antistes noster sicut intravit, sic etiam Monasterium rexit; nam sub eo Abbatia S. Mauritii in valle Abundantiâ Diocesis Genevensis, quæ ab Ecclesia nostra S. Mauritii Agaunensis, tanquam à Matrice sua ceu filia dependebat, ad Religiosos Patres (quos Fullenses vocant) Ordinis Cisterciensis devenit, & Prioratus Ripallio propè Thononum in Chablaseo (quem Felix V. Pseudo-Pontifex Monasterio nostro concesserat) Patribus Carthusianis fuit attributus. Curavit autem fieri hic Abbas noster majorem Campanam nostram, & veteri templo nostro Saxi & lapidibus è vicino monte deciduis, penitus obruto, prima novi Chori denuo fundamenta jecit. Obiit in Bagnes anno 1618. die 13. Maji.*

LXXI. *Georgius Quartei* Nobili stirpe Agaunensi editus, & mox à puero in Seminario Mediolanensi S. Caroli Borromæi piis moribus excultus, famosi illius Martini Bonacina Auditor, & discipulus, tandem Canonorum Regularium S. Augustini solemneri Professionem emisit. Anno 1618. Canonicâ electione possessionem Abbatia consecutus, primo statim sui regiminis anno Campanile olim à Petro Sabaudia Comite extructum insigniter restauravit, Basilicam suam omnino novam apparavit, novum item Refectorium fieri fecit, & sedilia Chori, ut & alia plura ipso plurimùm satagente fuerunt instaurata: juxta quoque Paterfamilias & Oeconomus idem ipse Georgius, siquis alius certè optimus, Collegii sui Mauritano-Agaunensis utilitatem præclare gessit, tandem pro meritis ad meliorem vitam evocatus anno 1640. die 26. Februarii.

LXXII. *Petrus Olet* Agaunensis humanioribus studiis apud Helvetios Friburgi Nithonum feliciter absolutis, Notarius Apostolicus creatus aliquamdiu maritatus vixit; inde postquam uxorem extulit, mundo nuntium remittens, vitam Regularem inter Canonicos Agaunenses elegit, brevè post Professionem suam Sacrista seu Custos templi nominatus,

ac tandem etiam anno 1640. die 27. Februarii in Abbatem delectus, in ipso statim Prælaturæ suæ ingressu præbendas seu oblegia, uti vocant, & particularia Regularium Canonicorum Claustralia beneficia in totum abrogavit, atque in commune redegit: sed vel maximè fretus autoritate Reverendissimi, ac Illustrissimi Domini D. Farnesii Nuntii Apostolici apud Helvetios residentis, & inelyti, regularem observantiam inter suos arctissimè tenendam pertinacissimè statuit, duas etiam Campanas hodieum inter grandiores oppidò sonoras confici procuravit; aliàs toto Regiminis sui tempore jurium antiquorum, ac privilegiorum acerrimus vindex: qui & multa insuper bona feudalia superioribus annis utcunque neglecta, ac deperdita maximà sedulitate, vigilantia, ac sollicitudine recuperavit.

LXXIII. *Joannes Jodocus Quartei* Nobilis Agaunensis, primùm Canonicus Cathedralis, & Cantor Sedunensis, tum apud S. Mauritium in Agauno sacram Regulam Augustinianam Professus, à Reverendissimo D. Prælo S. Bernardi in monte Jovis Prioratum Martiniacensem assecutus, ac postmodum die 12. Augusti in Abbatem Mauritanæ Canonie hujus delectus, cultum Sanctissimorum Tutelarium Patronorum suorum, ut puta SS. Mauritii & Thebæorum MM. mirificè fovit; item in inquirendis Monasterijantiquitatibus plurimum laboris impendit, tandem meritis plenus, Vita & Religiosâ Prælaturâ suâ demortuus anno 1669. die 4. Augusti.

LXXIV. *Josephus Tobias Franck* itidem nobilis Aagaunensis primium Parochiale Beneficium S. Sigismundi à proximo Venerabilis memoriæ Prædecessore suo consecutus est, quod etiam haud sine Parochianorum suorum complacentiâ laudabiliter administravit; tum desiderio vitæ Regularis Lutetiam Parisiorum ad S. Genovesam profectus, ac post aliquod tempus inde reversus, mox ad S. Mauritium in Aagaunensi Canonîâ itâ Prior Claustralis eligitur: quo in officio boni Superioris partes adeo laudabiliter explevit, ut annò proximè sequenti communibus suffragantium votis in Abbatem fuerit assumptus. Talis proin à supremo Valesiæ Senatu receptus, & à Clemente IX. anno 1670. die 5. May confirmatus, ore & calamo nunquam non disertissimus continuò strenuè laboravit, ut disciplinam regularem firmissimè stabiliret, quod ut eò felicius succederet, cum Canonicis Augustinianis de Congregatione Salvatoris nostri in Lotharingiâ Religiosam Confraternitatem iniit, & id, quod voluit, ac admodum desideravit (multiplici fructu copiosè inde reportato) sat egregiè perfecit, at quia inconsulto Valesiæ Senatu antedictò id egit, gravem offensam illius incurrit, & vel hinc propemodum honoris, ac dignitatis suæ jacturam fecit. Verùm nullis calamitatibus Zelosissimus iste Antistes fractus, quisvis oblatantibus fortissimè restitit, sed & à Serenissimo Duce Sabaudie novos honores accipere meruit, nempe Regiæ Celtitudinis suæ Consiliiarii, & Eleemosynarii, Sacræque militiæ SS. Mauritii & Lazari Equitis, ac Commendatoris titulò donatus, juxta tamen ab adversariis de œconomia interim neglecta suo loco iniquè delatus, multis insuper discordiis (quibus communi sententia supersedendum erat) domi forisque suscitatis animi mœrorem adeo gravem inde concepit, ut lethali morbo correptus intra paucos menses tabescens vitâ defecerit temporali anno 1686. die 11. Februarii.

LXXV. *Petrus Franciscus Odet* Agauni nobili stirpe progenitus, adolescens Friburgi Helvetiorum in Nuchtlandiâ humanioribus scientiis imbutus, Lugduni in Galliâ verò Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit; inde in Patriam revocatus, & sacris initiatus, aliquamdiu Clericale quoddam beneficium administravit; juxtâ tamen continuò vitæ regularis desiderio vehementer incensus, anno 1684. die 28. Novembris in Ecclesia Agaunensi ad S. Mauritium sacrum Canonice Religionis habitum accepit, atque annò proximè sequenti ad regularem Professionem admissus, eandem ipso Festo die S. Andreæ Apostoli præmanibus proximi (quem sibi semper habuit amicissimum) solenniter emisit. Itaque Regularis Canonicus factus, & continuò inter Capitulares suos Secretarius Capituli denominatus, demum emortuo memorato Prædecessore suo, quamvis ætate minimus, at prudentiâ & morum gravitate maturus, præ reliquis omnino judicatus præviâ electione Canonica ad mitram Abbatialem promotus est, & die 15. Februarii anno 1686. Supremo Valesiæ Senatui præsentatus, sed & ab eodem ad commune Statuum Provincialium gremium condigno honore susceptus paulò post ab Innocentio XI. Romano Pontifice pridie Idus Junii anno 1687. confirmationem accepit, ac tandem eodem anno die 8. Decembris sacro ministerio Eminentissimi Domini D. Jacobi Lantelini Neo-Cæsareæ Episcopi pro tempore in partibus Helvetiorum Nuntii Apostolici in Abbatem Agaunensem initiatus.

## ALBERGENSE I.

Hujus nominis monasterium aliquod apud Belgas, quod Collegiata penitus, tempore & auctore non notato fundata fuit Ecclesia; tum verò post annos institutum sacrae Congregationis Windesimensis suscepit, testimonium perhibente ipso pientissimæ memoriæ Thoma Kempensi Chronico Montis S. Agnetis cap. 24 in hæc verba legendum: *Eodem anno (1447.) Canonici in Albergen propè Oldenzale (hodiè oppidum Belgii Confœderati communiter Oldensalia nuncupatum in Provincia Transinsulana, jam ab anno 1626. Batavis acatholicis subditum) acceperunt habitum sanctæ Religionis Canonicoꝝ Regularium S. Augustini, & fuerunt investiti in Crastino inventionis S. Crucis. Verùm ex quo nefanda Calvinii doctrina isthic loci stabilem sedem fixit, idem Albergense Cænobium Culpa sine sua miserrimè periit.*

## ALBERGENSE II.

Seu in eodem isto, de quo modò diximus, oppido aliud quoddam etiam antiquitùs devotissimum tertiæ Regulæ Sancti Seraphici Patris Francisci Parthenæum, cujus Domicellis aliquando autoritate ordinaria ad ordinem Canonico-Augustinianum desponsatis, primus Rector venerabilis contubernii hujus simul ac Confessarius datus fuit Adm. Reverendus Pater ac Dominus Walramus Francons Prior Frenswegianus in Westphalia numero quintus. Idem de florentissima id temporis Congregatione Windesimensi.

## ALBERGENSE III.

Aliud quoddam paris quidem sexûs ac nominis, diversæ tamen Regionis, nimirum in Frisia situatum, Windesimensis itidem Congregationis, Diœcesis verò Ultrajectensis venerabile phontisterium aliàs S. Antonii monasterium in Albergen in Tuenta cognominatum; idem tamen jam pridem pariter à Novatoribus Calvinianis fataliter extinctum, cujus proin nuda solùm nobis superest memoria apud Aubertum Miræum de Collegiis Regularibus Cap. 55. F. 148. & Gabrielem Pennotum in histor: tripartit. Lib. 2. cap. 64.

## ALBINIACENSE.

Vetustissimum diœcesis & territorii Attrebatensis monasterium S. Chilianum nunupatum, vel olim integrè Canonicoꝝ Regularium Ordini servatum. De primo Fundatore vel potiùs Sanctissimo tutelari Patrono illius S. Chiliano Episcopo (ab illo Herbioleni in Franconia Episcopo & Martyre, Octavo idus Julii Sanctoꝝ fastis adscripto omnino diverso) Miræus cap. 23. Fol. 89. ita scribit. *S. Chilianus Episcopus regio sanguine in Hibernia procreatus, cum multarum virtutum decore polleret, à provinciæ illius Clero & populo ad Episcopatum est electus. Cui jugo, licet invito, humiliter collum subiecit. Contigit cœnobitis ipsius pransuris negligentia pistoris panem deesse: Vir DEI succensam officinam intravit, veste sua prunas eiecit, & Clibanum mundavit, panemque per stupendam DEI bonitatem suis detulit. Sed dum hoc miraculum passum innotescit, ne elationis tumor subreperet, relicto episcopatu castella perlustrabat, multos sanando, & regnum DEI prædicando. Eratque præcipuum ejus studium, Sanctoꝝ loca visitare, & eorum orationibus se humiliter commendare. Tandem Romam pervenit, ubi in Ecclesia S. Petri per undecim annos & amplius Deo serviebat. Quibus peractis peregrinationem resumens, Franciam intravit, & Sanctum Fiacriun, quondam patris sui servum invenit; apud quem tamen, peregrinationem præferens, manere noluit. Dum autem propositum impleret, ingressus est comitis Eulfi Curtim Axonæ contiguam, ubi stibundo viro uxor Comitis improbè potum negavit. Unde Dei judicio penuria ejus exaruerunt. Eulfus autem re cognita insecutus est Beatissimum Chilianum, & humili petitione reditum ejus impetravit, sed & benedictionem Domûs suæ. &c. &c. sic ille loc. cit: ubi & sub finem ex chronico Attrebatensi sequentia supperaddit: *In vico Albiniano est monasterium Canonicoꝝ videlicet Sancti Chilianum, qui Scotus fuisse traditur. Item Molanus in Indiculo Sanctoꝝ Belgii Fol. 23. de eodem Sancto Episcopo sic habet. Sanctus Chilianus Episcopus & Confessor quiescit Albinjaci in territorio Attrebatensi; festum ejus est Idibus Novembr.**

## ALDENBURGENSE.

Collegium Cathedrale, Provinciæ seu Archi-Episcopatus Bremensis, in ejusdem nominis Civitate Aldenburgensi seu Olburgensi in Holsatia, antiquis sæculis celeberrimum, fundatorem habere meruit Ottonem Romanorum Imperatorem hujus nominis Primum, Cognomento *Magnum*, qui (referente Martino Zeillero in Itinerario Germaniæ cap. 17. fol. 370.) sub annum gratiæ 970. Aldenburgensi Collegio huic initium dedit. Potissimum autem hujus Ecclesiæ decus & ornamentum fuit proprius quondam ejusdem Episcopus



scopus S. Vicelinus, qui (uti refert Albertus Crantzius in sua Metropoli Saxoniae lib. 6. capp. plur. (diurno annorum spatio varia fortuna jactatus, imo & maximo labore perfunctus apud efferos Wandaliae populos adhuc incredulos, & inanum idolorum cultores Christianae fidei praedicationem continuans, atque inter haec ad extremam senectutem deproperans, cum jam dudum Clericorum Regularium Monasterium in Faldera (itidem suo Ordine recensendum infra) fundasset, Fratribusque implisset, imò & satis diu illud ipsum gubernasset, & Episcopalem dignitatem justissime promeruit vir sanè omni sanctitate praecipuus; cujus ut & aliorum (quos ipse S. Vicelinus in sua Aldenburgensi Ecclesia secum habuit) ingentem animarum Zelum, praesertim in disseminando verbo Dei in salutem populorum passim editum admodum commendat idem Crantzius loco cit.

Arnoldus Wion Historiographus Benedictinus in suo ligno vitae lib. 2. cap. 37. & sequaces illius S. Vicelinum hunc nostrum opinione quidem sua Benedictini Ordinis Monachum, & Abbatem constituunt, atque in id etiam Albertum Stadensem allegant, qui tamen de Monachatu Vicelini nec quidem musitat. Vide de primis & antiquis illis Monasteriis tum Sigebergensis (cujus itidem saepofatus S. Vicelinus Canonicum egit) tum Falderensis Inquilinis suo loco infra. Unde propè conjicias aequè Vicelinum ac Cathedralis caenobitas, seu Canonicos Aldenburgenses, Falderenses, ac Segebergenses temporibus suis Regulares Clericos, non item Monachos fuisse.

## ALDENBURGENSE.

**A**liud quoddam paris nominis, sexus & Ordinis Monasterium Beatissimae Virgini Deiparae ac Praecursori Domini S. Joanni Baptistae dicatum, antiquioribus saeculis itidem apud aquilonares populos, istud tamen in ditione seu Diocesi Verdensi constitit inclutum, quamvis de tempore & authore, quia non notato, nondum nobis revelatum. Recensetur istud inter ea Ordinis Canonico-Augustiniani caenobia, quae vel olim Capitulo (de quo pluribus infra) Hallensi subdita fuerunt, & incorporata, quod tamen ipsum hoc Aldenburgense Monasterium secundum omnem prioris vitae Religiosae statum jam pridem seu decurrente saeculo decimo sexto cum sacrilega orthodoxae Religionis immutatione in partibus istis fortissime coacta penitus extractum ad alienos devenit. De Regularitate hujus Ecclesiae videri possunt ea, quae habentur inferius. Vide Falderense in vita Ven. Brunonis. Fundator hujus Canoniae fuit Fridericus I. Imperator. Foundationis Diploma reperitur apud Menckenium Rerum Germanicarum & Saxonicarum Tomo III. col. 1067. quod integrum huc transcribo, cum praesentis Operis Author illud non viderit.

**I**N nomine S. Individuae Trinitatis. Amen: FRIDERICUS, Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, & Rex Siciliae, universis Christi fidelibus in perpetuum. Cum Apostolum dixisse novimus, qui gloriatur, in Domino gloriatur, secundum eundem gloria nostra nihil est, si non pro his, in quibus gloriamur, Domini gloria coronemur. Quapropter in saeculis seculi Deo volente constituti, satagendum nobis est, sic terrenis intendere, ut in his, quae agimus, gloriam Dei quaeramus, & misericordiae operibus tempus redimamus, ne tandem a die ultionis extremae occupemur, sed misericorditer in caelestibus a Domino coronemur. Igitur tenore praesentium universis sanctae Matris Ecclesiae filiis, tam praesentibus, quam futuris, evidentius innotescat, quod nos Deo inspirante, de Imperiali munificentia, in monte prope Altenburc, Civitate Imperii, mediante providentia fidelium nostrorum, Hugonis de Wartbe, Judicis terrae Plisnensis, & Rudolphi de Aldenburc, Marschalci nostri, in gloriam omnipotentis Dei & honorem Sanctae Dei Genitricis & Virginis Mariae, Oratorium construximus, & a Reverendo sanctae Nuwenburgensis Ecclesiae Pontifice, Domino Utone, consecrari fecimus, & ex Ecclesia Beati Petri Apostoli in Sereno Monte virum Religiosum, nomine Hermannum, ad nostram praesentationem eidem loco Praepositum institui obtinuimus, & fratres ex eodem ordine, secundum Regulam Bti. Augustini, in habitu Regularium Canonorum, omnipotenti Deo inibi perpetuo deservituros, congregari, & adunari fecimus, liberam eis, & per eos eorum Successoribus, electionem, secundum Statuta sanctorum Canonum decedente vel obeunte eorum Praeposito, alium substituendi vel eligendi, ex eodem duntaxat ordine, permittentibus. Huic autem Ecclesiae quatuor Mansos eidem adjacentes, & allodium septem Mansorum, quod Crebeschowae dicitur, in meram & liberam proprietatem dotis nomine contulimus, & in frequentia multorum nobilium factum nostrum confirmavimus, nihilominus omnimodam Regum, Principum, Nobilium, Ministerialium, Militum, vel quorumlibet hominum, collationem, permutationem, venditionem, praefato Caenobio profuturam, Imperiali munificentia & Bulla perpetua roborantes, ita ut jam dictum Caenobium, & omnia ei attinentia, in Villis, in Sylvis, in Campis, in agris, in cultis &

incultis, in pratis, in pascuis, in Molis & Molendinis, in piscationibus, in arboribus & arbutis, in hortis, & areis, in aquis & aquarum decursibus, in exitibus & redivisibus, in acquirendis & acquisitis, & omni prorsus utilitate, quæ nunc inest, vel in futurum inesse poterit, ab omni hominum invasione & precaria exactione, salva manere velimus eorum, pro quorum sustentatione oblata sunt, usibus omnimodis profutura, *Advocatum* vero loci & fratrum & bonorum ipsorum defensionem *nobis ipsis*, & *soli Romano Imperio post nos*, assignamus, quam & in beneficium nulli concedi volumus, & nullum inde temporale emolumentum quenkam habere statuimus, sed omnibus, quæ prædicta sunt, timentibus, promoventibus, & locum, vel fratres, vel bona eorum defendentibus, remunerationem in Cælis optamus, quam & nos speramus à Domino consequi sempiternam. Super omnes autem prærogativas, quibus jam dicta gaudet & in posterum gaudere debet Ecclesia, per omnem proprietatem suam, iudicium ei non tantum sanguinolentis plagæ, sed etiam vitæ & mortis, indulgimus, unde Regio Edicto firmiter sancimus, uti nec *Judex*, *Scultetus*, *forestarius*, *Bedellus*, vel quisquam *officialium terræ Misnensis*, tam ipsum, quam suos, vel sua, in quoquam molestare præsumat, sed omnem potestatem judicariam & transgressionis eorum emendam, si quam inciderint, Imperii relinquunt arbitrio terminandam. Nam quorum ex Dei gratia ratione divini Ministerii onus leve est & jugum suave; hos penitus nolumus ullius oppressionis contumelia vel manu Laica fatigari. Hæc autem fecimus, statuimus, & in præsentia subscriptorum nobilium, Regio Edicto & Bulla perpetua confirmavimus, & omnipotentis Dei gratia, & peccatorum nostrorum indulgentia, & ut Imperialis eminentiæ dignitas felici vigore gaudeat, pacis proprietatis & salutis à Domino sentiens incrementum. Igitur horum omnium testes sunt: Dominus *Uto*, sanctæ Nuwenburgensis Ecclesiæ venerabilis Antistes, *Otto Marchio Misnensis*, *Dedo Comes de Groutz*, *Burchardus Magdeburgensis Burchgravius*, *Otto Comes de Rirchberc*, *Otto & Hartmannus* (f. *Hermannus*) *de Lobdeburc*, *Henricus Burchgravius de Lyznik*, *Henricus Burchgravius de Aldenburg*, *Erkenbertus de Tekewitz*, *Tymo de Kolditz*, *Henricus de Rosewaz*, *Albertus de Grifenbain*, *Gerhardus de Nubditz*, *Sigeboto & Fridericus de Groutz*, *Sifridus de Hagen*, & aliiquam plures. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXII. Indiotione V. Anno Regni nostri XXI. Imperii vero XIX. feliciter Amen.

Extat apud eundem Menckenium l. c. col. 1072. Engelhardi Episcopi Nuenburgensis, Confirmatio Donationis ab Alberto, Burggravio Altenburgensi Ecclesiæ S. Mariæ factæ hujus tenoris:

IN nomine S. & Individuæ Trinitatis. Ego ENGELHARDUS, Dei gratia, Nuenburgensis Episcopus, notum facio universis Christi fidelibus quam præsentibus tam futuris hanc paginam inspecturis. Quod *Albertus Burchgravius de Altenburc*, ob remedium animæ Patris sui, consensu heredum suorum contulit Ecclesiæ S. Mariæ in Aldenburg tres Mansos in *Lubewiz*, duo talenta & dimidium, tres modios filiginis, & tres avenæ, annis singulis persolvendo, de qua pensione ad *Altare S. Pauli*, ubi corpus ejus sepultura traditum est, ad usum Luminarium decem solidi impendantur, ad sanctum *Martinum in Castro* decem solidi ad eodem usum. Statutum etiam est, ut in Anniversario ejusdem Burchgraviæ candela unius solidi pretio comparetur, quæ post celebrationem Missæ cedet in usum Custodis Ecclesiæ Aldenburgensis. Item in Anniversario eodem triginta solidi cedant ad servitium & fratrum refectionem in Refectorio procurandorum. De annona v. Eleemosyna eodem die pauperibus erogetur. Et ut hujusmodi factum maneat inconcussum, scripti & sigilli mei decrevi testimonio roborandum. Ad majorem etiam firmitatem perpetuo habendam ne quid dicto testamento per secula successiva depereat, dictus *Burchgravius*, & sui patris, *Conradus de Froburc* & *Henricus de Flugellesberc*, coheredes ipsius, cum Sigillo Ecclesiæ Aldenburgensis sigilla sua appendere, curaverunt. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXVIII. Indiotione II. Hujus rei testes sunt: *Meinberus*, *Burchgravius Misnensis*; *Sifridus Burchgravius de Liznik*; *Hogerus de Vrideburc*, *Erkenbertus de Starckenberck*, *Radeboto de Wolfdiz*, *Henricus Advocatus de Wida*, *Henricus de Korun*, *Voltradius frater suus*, *Thuto frater ipsius*, *Thimo Canonicus Nuenburgensis*, *Henricus de Gnamenstein* & frater ejus *Cunradus Castrensis in Vrobarch*.

#### ALDERSPACHIUM.

INferioris Baviaræ, Diocesis verò Pataviensis, Monasterium olim Regularium Canonicorum S. Augustini fundatum legitur ab Illustribus Viris *Ruperto* & *Calocho de Alderspach*, arcem suam dantibus Religiosis Viris, auctum postea & amplificatum ab *Othone Episcopo Bambergense*, vero Fundatore, qui septem prædia, & partem dedit *Sylvæ Noricæ*, *Hardt dictam*, & ab *Adelramo de Cham S. Margaridos in Osternhoven Advocato*, item ab *Eberhardo*, & *Ratoldo de Eckenheim*, &

Et ab Eberhardo Sumczingen. Dicitur S. Petro anno Domini 1145. Obiit Tertius & ultimus huius loci Præpositus Dominus Asquinus; post cuius ex hac mortalitatis vitâ discessum Canonici Regulares S. Augustini ex Alderspachio ad Subenium (quod hodie adhuc Canoniorum Collegium est ad ænium, supra Scherdingen Bavariæ Civitatem situm) translati sunt, & introductus est de Consilio Episcoporum Babenbergensis & Pataviensis Ordo Cisterciensis anno Domini 1146. Monachi Cistercienses primi cum eorundem Gubernatore Abbate ex Eboraco Franciæ Orientalis præpotenti Monasterio adducti, & in hunc locum positi. Ita Bruschius de Monast. German. Cent. 1. fol. 62. Bulla Confirmationis ab Othone Episcopo Bambergensi antedicto Canonici Augustiniani, primis Claustrii huius Alderspachensis Inquilinis impertita hodieum superest, & Cópia illius prostat apud Casparum Jongelinum in Notitiâ Abbatum Ordinis Cisterc. lib. 3. fol. 13. sic legenda.

Otto Dei gratia Bambergensis Episcopus Alcuino Alderspachensi Præposito, ejusque successoribus Regulariter substituendis in perpetuum. &c. Quapropter Dulcissimi in Domino Fratres Alcuine Præpositi tuo & Fratrum tuorum justis petitionibus lubenti animo Consentientes Ecclesiam, quam nos in loco Alderspach dicto fundare cepimus, unâ cum Ecclesia & Decimis ab Ecclesia Pataviensi legitime computatis cum parte Sylvæ in Nochtwald tibi assignamus, pariterque cum omnibus aliis eidem loco quorumlibet oblatione justè collatis vel adhuc conferendis Deo, ac B. Petro Apostolorum Principi offerimus, statuentes ut ibidem Fratres secundum Regulam B. Augustini Religiosè conversantes, qui perfectionis suæ meritis apud Deum nostræ imperfectioni subveniant. Hujus rei testes sunt Dilectissimi Fratres nostri Bambergensis Ecclesiæ Majoris Canonici. Eberhardus Præpositus, Engelbertus Decanus, & Præpositus, Tiemo Præpositus, Ezelinus Præpositus, Conradus Custos, Tuto Scholasticus: Magister Eberhardus, Volckmarus, Udalricus, Hermannus, Leopoldus, Bertholdus, Henricus, Volkmarus, Bero, Conradus, Meginbodus, Otto, Udalricus, Adelbertus cum cæteris omnibus. Liberi autem Homines Rapoto comes de Vranedoff, Eberhard, Hemicho, Deginego, & Fratres ejus. De Vaceffan, Adalbero de Steinach: Heinrich & Marwald de Hochenstette & alii plurimi. Actum Bambergæ anno 1139. Indictione secundâ.

## S. ALEXANDRI.

Alia Adorfense, taliter ab eo, cui quondam inerat pago, nuncupari solitum, jam pridem antiquatum canonicorum Regularium Collegium, seu Præpositura Diocesis Constantiensis superioribus Sæculis apud Helvetios in Turgoviâ foundatione sua antiquorum Comitum Kyburgensium Celebris, atque ista Carolo Crasso Imperii fasces tenente sub annum Circiter 884. ex donatione Udalrici comitis Kyburgii, seu Communiter de Frawenfeld appellati (procurante Ludolpho Archi-Episcopo Dirniensi, seu Trevirensi nato comite Vindonissæ) Comprovinciali Monasterio Sangallensi (quoad jus Patronatus & advocatiæ subintellige) ad pias Causas usurpanda gratanter obvenit; inde tamen post justum unius sæculi decursum videlicet anno Christiano 999. iniqua largitione collata fuit cuidam Ottonis III. Romanorum Imperatoris Ministeriali Comiti, qui scelestâ auri fame nimium quantum exæstans Regularibus Canonicis numero suo duodenis Religiosa mansione suâ contumeliosè dejectis, & expulsis reditus Sacros omnes proprio Marte sui juris fecit: unde Regularis Præpositura ista primùm in Honorem S. Alexandri Papæ & Martyris solenniter initiata, taliter iniquissimè labefactata culpâ sine suâ miserrimè defecit, & ad alienos devenit; de quo pluribus agunt Joannes Stumpfius in Chronicâ Helvetiæ lib. 5. Cap. 26. fol. 435. & Bruschius de Monast. German. Cent. 1. fol. m. 115.

## ALNENSE.

Potens ac nobile ad Sabim Fluvium medios inter montes densasque sylvas positum miliari ferè uno à Tudinio ditionis Leodiensis oppido, vel aliquando à prima sua foundatione Canonicorum Regularium S. Augustini Collegium, nunc inelytæ Cisterciensis Familiæ præpotens Abbatia, cujus historiam apud Miræum in Chronico Cisterciensi Fol. 135. in hunc legimus tenorem: Ex Hanonia in ditionem Leodiensem transeamus in qua celeberrima est Abbatia Alnensis. De cujus Cænobii Conditore veteres inter se dissentiunt scriptores. Falcuinus Abbas Laubiensis in Chronico suo tradit, à Sancto Ursinano Episcopo & Abbate Laubiensi Monasterium in Alno constructum esse, & Laubiis subiectum. Philippus ab Eleemostina, Abbas bonæ spei, in historia vitæ S. Landelini aliisque passim, hanc gloriam B. Landelino ex prædone per S. Aubertum Cameracensem Episcopum ad Christum converso, attribuit. Idem constans traditio apud Alnenses per manus veluti accepta, & monumenta Alnensia loquuntur: ex quibus nos ipsi, cum Alnæ essemus ista hausimus. Abbatia Alnensis inchoata est à S. Landelino, & constituti sunt ibi ab eo Clerici communis vitæ dicti, qui ibidem habitârunt usque ad annum Christi 1144, quo quidem anno Alberone II. Episcopo Leodicensi auxiliante, & Radulpho Abbate procurante, prædicti Clerici habitum Canonicorum Regularium ordinis S. Augustini susceperunt. In quo ordine annis tantum quatuor permanferunt, usque ad annum 1148. quando per B. Bernardum, opera & auxilio Henrici II. Leodicensis

*Episcopi, translati sunt ad ordinem Cisterciensem &c. Et Paulo post. In ipsis porrò Alnensis Cœnobii foribus versiculos istos marmori incisos me legere memini:*

*Has Landelinus sedes erexit, & Alnæ  
Imposuit nomen vicinis nomen ab \* Alnis.*

*Itaque dicere liceat Alnense cœnobium primitiis quidem à B. Landelino inchoatum, sed à B. Vrsinaro perfectum, & à S. Bernardo Regulæ Cisterciensi ascriptum. Ceterum historici Leodicenses memorant B. Bernardum in palatio Henrici II. Leodicensis Episcopi, dum sacram Crucis militiam adversus Turcas prædicaret, tria perpetrasse miracula; iisque commotum Præsulem, hortante etiam Bernardo, Alnensem Canonicorum Regularium Basilicam, Cisterciensibus monachis tradiisse, quibus de rebus lege, si placet, Ægidium Leodicensem, Anicæ Vallis monachum, aliosque rerum Leodicensium scriptores, anno 1612. Leodici junctim editos. Hucusque Miræus loc. cit.*

#### ALTACHENSE.

**S**eu *Alteichen*se Cœnobium Monastico-Benedictinum Cognomento *inferius*, & sic quidem ad differentiam alterius talis seu ejusdem nominis, sexûs, ordinis & Provinciæ Monasterii communiter appellari solitum, atque istud in loco ex meris quercubus constante bellè situatum ad sinistram decurrentis Danubii haud procul Deckendorfio oppido conspicuum; de cujus initio, seu prima fundatione Hundius in sua Metropoli Salisburgensi tom. 2. fol. 1. ita scribit: fundatum est hoc Monasterium, sicut & *Altaich* superius, ac pleraque alia Consilio S. Pirminii Episcopi Metensis, ab Utilone Duce Baviaræ in honorem S. Mauriti Martyris anno 741. sub Zacharia Pontif. Maximo, & subinde ab eodem Duce multis prædiis & possessionibus ditatum, bellis tamen & incendiis vastatum & attenuatum fuit. Instauratum est per Imperatores & Reges Romanos, qui illud maximis muneribus, & privilegiis auxerunt. Porro sub Arnulpho terræ Principe, qui cognomento *Malus* inaudit, usque ad tempora Othonis III. Romanorum Imperatoris in hoc *Altachii* inferioris Monasterio stetit *Canonicos Regulares* refert idem Hundius loco citato, & post ipsum etiam Carolus Stengelius Abbas in *Monasteriologia Benedictina* annò 1619. typis Augustanis in folio edita. V. *Nideraltachense*. Non Contemnendam dictorum Confirmationem reperio in vita S. Godehardi Episcopi Hildesheimensis, à Wolfherro conscripta, & actis Sanctorum à Bollandò ad diem 4tam May inserta. Scribit ibi dictus Wolfherrus annò 741. *Altachensis* Monasterii initium à Christi Cultoribus sapienter inceptum, & in Religiosa Monastica institutione per annos serè centenos laudabiliter perdurasse; postmodum verò expulsis injuriâ illorum temporum Monachis locum illum sub Regula Canonicorum usque ad tempora S. Henrici Imperatoris per annos itidem centenos, nimirum usque ad annum 990. perstitisse, quo tempore fatagente Willehadò Salisburgensi Metropolitano, & auxiliante Ottone III. divinum ibi ministerium juxta Regulam S. Benedicti ab Erchanberto primo Abbate fuit dispositum. At verò (quod Recentior quidam Canonice Antiquitatis impugnator haud dubiè negaverit) homines sæculo illo octavo sub Regula Canonica *Altachense* Cœnobium incolentes verè fuisse Regulares, expressè notat prænominatus Wolfherrus de S. Godehardò ab incunabulis ibidem & litteris & virtutibus exulto, & postmodum etiam ejus loci Canonico, hæc ponens formalia: *Unde & factum est, ut in habitu seculari, quo inter Religiosos manebat, multos de Religiosis in vitæ sanctitate pelliceret evidenter.* Ex quibus demum concludo S. Godehardum præter plures alios tum Monastici Instituti Cultores, tum etiam Specialium Religionum Fundatores, Instituto Canonico prima & solidioris litteraturæ & Sanctioris vitæ in ordine Monastico & Episcopatu postmodum exactæ debere femina.

#### ALTENSE.

**S**eu hodie patria voce Communiter *Elten* nuncupari solitum in Ducatu Cliviensi sæcularium Canonissarum Collegium, olim verò Religiosarum Virginum de Ordine Canonico venerabile Partheneum à notissimo illo Cœlitum Encomiaste Joanne Bollandò societatis JESU Presbytero Tom. 1. Januarii die 13. ejusdem Mensis fol. 854. vel breviter in hæc verba relatum: *Trans Rhenum è Regione Cliviorum in Altino Monte nunc Nobilium Virginum est cœnobium, quod Altense nominant. Id Wichmannus comes circiter annum 960. condidit, amplèque dotavit, Ecclesiâ S. Vito dicatâ, commisitque Luthardi filia, primæ Abbatisse; quam secuta Athela neptis. Otones variis illud privilegiis ornarunt, atque Essendiensi, Quedelburgensi, Gandersheimensi Illustribus Cœnobiis par esse sanciverunt. Diplomata recitat Gelenius in Engelberto: in iis Eltton, Heltton, Altenis, Altena, Eltica appellatur; vulgò Eltenbergh, aut Hoch-Elten; nam inferius haud*

\* *Alna* arborum genus est ibi frequens.

haud à monte procul Neder-Elten jacet. Item paulò antè loc. cit. Est locus, in quo sanctimonialium cohabitatio multitudo, Eltene nuncupatus, ubi una ex sanctimonialibus acerrimo dentium dolore laborabat. Cùmque ingravescente per singulos dies incommodo nihil obtinere posset remedii, turlata mens Consilium demò invenit. Misit enim Dominus in mentem ejus Viri, (B. Godefridi Cappenbergensis Ascetæ Præmonstratensis Ordinis, cujus vitam idem Author loc. cit. recenset) memoriam, quem adhuc viventem benè notum habebat, & morte obitâ de virtutibus ejus præclara multa compererat. Hinc toto cordis affectu cœpit implorare quatenus suis apud Deum precibus tanto subveniret dolori. Mira res! ubi completa est pie credentis & de sancto Viro præsumptis oratio, dolor omnis aufugit continuo.

## ALTITONENSE.

Prout nominat Bucelinus in Menologio ad 13. diem Decembris, five *Altenburgense*, uti scribit Rambeck in Calend. Benedict. in eundem Diem, S. Othiliæ Virginis Cœnobium, ab ejus Patre Adelrico five Attico Duce ad initium sæculi octavi in Territorio Argentoratensi conditum, & à S. Virgine sub habitu & Regulâ Canonica institutum, uti contra præallegatos Benedictinos, Monastico Ordini S. Othiliam accensentes, sat clarè demonstrat Anonymus vitæ S. Othiliæ scriptor N. 15. apud Mabillon. Sect. 3. p. 2. his formalibus: *Erat autem ei (S. Othiliæ) consuetudo peregrinas ad sanctam conversationem suscipere feminas, tam de Scotia, quam & de Britannia, nec non & Viros Religiosissimos ex diversis Provinciis venientes cum gaudio suscipiebat, & ex eis Presbyteros ordinari rogavit, & confirmavit utraque Monasteria, & collocavit in eis sanctimonialia, & posthæc convocavit omnes sorores, & rogavit eas, ut sibi indicarent, utrum Canonicam an Regularem vitam ducere vellent. Tunc omnes unanimiter responderunt, se Regularem vitam velle ducere & conversationem habere. Illa autem cum humilitate & mansuetudine respondit, dicens: scio, meæ charissimæ Sorores & Matres, vos promptissimas esse ad omnia aspera & dura pro Christi nomine toleranda; sed timeo, nos, si Regularem vitam elegerimus, maledictionem à successoribus nostris incurrere, quia iste, ut scitis, locus valdè incompetens est & laboriosus Regulari vitæ, adeò, ut nec aqua nisi cum magno labore adipisci potest hic: unde mihi videtur, si vestra placuerit almitati, melius esse, ut Canonico habitu consistatis. Tunc omnes secundum illius verba elegerunt Canonicam Regulam, in qua usque hodie in supradictis Monasteriis degentes præcedentium normam sequentes perseverant. Hòc itaque Testimoniò, si per vitam Regularem, quatenus hic opponitur Canonica, intelligatur Monastica (prout fanè intelligi debet) non video, quid clariùs in rem nostram afferri possit. Deinde, ut scribit Albertus Miræus de Monast. Canonicorum cap. 78. fol. 175. Collegium Truttenhusanum in Alfatia pro Canonicis Regularibus annò 1181. fundatum est ab Abbatissâ Monasterii S. Othiliæ nomine Herrade: vix autem credi potest hanc Abbatissam pro Canonicis domicilium constituisse, nisi & ipsa Canonicum hoc institutum fuisset professa.*

## ANDAINUM.

À prima fundatione, quam à Beregifo Abbate taxisse memorant Historici, sic nominatum Canonicorum Regularium contubernium, quod postmodum à S. Huberto Leodiensi Episcopo, cujus reliquiæ eò loci translatae erant, nomen accepit, & Monasterium S. Huberti Leodiensis passim nominari consuevit. Locum isthunc Canonicos Cœnobitales primitus incoluisse scribit Molanus in Natalibus ad diem 2. Octobris in S. Beregifo, ubi hæc ponit formalia: Verosimile est autem ex primæva institutione utrobique, (intellige in S. Trudonis, ubi S. Beregifsus prima posuit Religionis fundamenta, & S. Beregifi Monasterio) fuisse Clericos sive Canonicos Regulam professos, de S. Valcando (fuit is Episcopus Leodiensis circa annum Domini 811.) enim scribitur, quòd pro Canonicis ad S. Hubertum Benedictinos instituerit, cum illi à sua Regulâ degenerassent. Et alibi legitur, quòd S. Beregifsus Abbas Clericos suos & disciplinis instruxerit Regularibus, atque in spiritualibus & temporalibus promoverit. Hæc Molanus, ultra quem hic annotasse juvabit, quod de Beregifo in rem nostram legitur in vitâ ejusdem annò 937. scriptâ, & in Jona Aurelianensi Episcopo de Translat. S. Huberti Episcopi N. 2. sæcul. 4. Bened. p. 1. fol. 294. 295. Beregifsus intra Monasterium S. Trudonis parentum traditione sub Religionis habitu educatus, apud Andagium in saltu Arduennensi, Monasterium statuit, Ecclesiam consecravit, Clericorum Officia delegavit. Quibus Clericis Canonico Ordine militantibus ipse Pater in eodem habitu est sociatus. Sequenti tamen sæculo Canonici Andainenses, quòd in vasta eremo deficerent sunt verba Anselmi de gestis Pontif. Leod. in Valcando) ad Valcandum Episcopum Leodiensem se contulerunt, qui commutato Ordine Clericali annò 817. Monachorum ibi Religionem constituit. Unde patet, quo jure Benedictini suis annumerent S. Beregifsus, qui integrò post sæculò in Monasterium illud fuere introducti.

## ANDERNACUM.

Antiquis *Antonacum*, item *Antoniacum*, & *Antunacum* suo nomine dicta notissima Germania nostræ civitas Rhenana, in politicis Archi-Episcopo & Electori Colonienfi, in Ecclesiasticis verò Trevirensi subdita, devotissimum quoddam adhuc ætate nostrâ servat Parthenæum Canonico-Augustinianum; de cujus Ortu & Progressu loco vicinus modernus Venerabilis Congregationis Windesimensis Prior Everhardoclusanus Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Joannes Heubs in id à me per litteras suppliciter exoratus gratiose respondit, & transmisit sequentia: *Annò 1127. Meginerus Archi-Episcopus Trevirensis*, (juxta Calculum Laurentii Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ Tom. 3. littera E. fol. 218.) *octogesimo tertio Monasterium Deiparæ Virginis modò ad S. Thomam communiter appellatum, à Congregatione nobilium Virginum Canonicas Leges sectantium, usque modò inhabitatum, Lupoldi Illustris Viri donatione construxit, locumque ducentis retrò annis Cnuti Nuaninis ac Religionis dicatum, ac temporis hominumque malignorum injuriis quasi in extremam interea solitudinem redactum ad genuinum primæ disciplinæ nitorem allecitis ad hanc rem per Richardum Springenbacensem Abbatem præstanti Religione virginibus revocavit, indeque templo Calendis Augusti Regine celorum dicato ipsam Richardum præposuit, qui Tedwidem sororem suam raræ pietatis ac scientiæ in sacris litteris feminam virginibus Magistram, & Isbertum testatò in hunc usque diem innocentia Virum omnibus Cenobiarcham præposuit. In Oratorio Parthenonis frequenti, & votivâ conveniarum prece celebris sepultura visitur tan clara sanctitatis hodièque memoriâ, ut infantes ægri certissimam inde reportent sanitatem, si tamen fiducia præsertim condita sit precatio. Monasterii verò templum, etsi ætate nostrâ proximi belli Colonienfis injuria præcipuo Ornatu suo destitutum, venusta tamen & decora in speciem & structura, & in ipso vestibulo depicti cernuntur provoluti ad Virginis Deiparæ pedes cum Inscriptione hinc Isbertus.*

Aspice me gratis, rogo te, Flos Virginitatis.

*Inde Tedwidis cum hac notâ.*

Tedwidis veniam petit hic prostrata Mariam.

## S. ANDREÆ.

Taliter intitulata seu Christi famulo, digno Dei Apostolo, Germano Petri, & in Pafione Socio dicata, & sanctificata Regularis quædam Ordinis S. Augustini, Diœcesis Pataviensis, ad Trasmam, seu Trassenam (notissimum inferioris Austriæ fluvium) locata vetustissima, ac Cæsarea Clericorum Regularium Canonica, hodie dum inclyta. Cæpit annò gratiæ Humanatæ 998. sic quidem auctorante ipsomet Augustissimo Romanorum Imperatore Ottone hujus nominis tertio, secundi filio, primi verò seu Ottonis Magni Nepote è Ducibus (quorum Genealogicam seriem aded prolixam exhibet Antonius Albicinus in stemat. Christian. Principum fol. 10.) Saxonix progenito, qui annò post partum Virgineum 984. Fascibus Imperii potitus, & tum temporis in alma urbe consistens divino afflatus Spiritu ceu novus ac primarius Fundator proprium quoddam Cæsareæ foundationis suæ Diploma conscribi fecit de dato nono Calendis Februarii præfacto annò 998. exaratum, quod & ipsum manu propria subscriptum, & Cæsarei sui (cujus Schema inferius visendum prostat) Sigilli appensione munitum, consignari fecit cuidam Ministeriali suo Engelrico Comiti de Trasma ac Baroni Libero de Lengenbach (hodie Lembach) pro tempore Ratisbonensis Ecclesiæ Advocato, qui memoratum Diploma quantoque suo modo suscepit exequendum, & est illud hujusmodi tenoris: *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Otto divina favente Clementia Romanorum Imperator &c. &c. Notum sit omnibus fidelibus nostris, presentibus scilicet & futuris, quomodo nos ad petitionem fidelis nostri Henrici Ducis cuidam Engelrico dedimus, quidquid habuimus inter rivos Dullona, & Zimenesbach areis cultis & incultis agris, pratis, campis, pascuis, sylvis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, viis, & inviis, exitibus & reditibus, quasitis & inquirendis, cunctisque aliis appendiciis, quæ adhuc dici possunt, sibi in proprium tradidimus, eâ videlicet ratione, ut quidquid sibi libuerit, inde faciat, & Trasmæ Clausuram habeat. Et ut hæc nostræ auctoritatis donatio presenti ac futuro tempore firma & stabilis permaneat omni tempore, hoc præceptum inde conscriptum Sigilli nostri impressione insigniri jussimus, manique propria, ut infra videtur, corroboravimus.*

*Signum Domini Ottonis Gloriosissimi Imperatoris Augusti.*

*Wilibaldus Episcopus & Cancellarius vice Willegisi Archi-Episcopi subscripsit.*

*Data 3. Calendis Maji annò Dominicæ Incarnationis 998.*

*Indict. XI. annò autem tertio Ottonis Regnantis Imperii secundo. Actum Romæ.*

Post

Post hæc Engelricus Comes de Traisma, & liber Baro de Lengenbach (de qua Illustrissimâ familiâ quandòque mentionem injicit etiam Wolfgangus Lazius de migrat. gent. Lib. 7. fol. 278. & alibi) supradictus recensito Diplomate instructus continuo, perrexit ad novam hujuscemodi fundationem realiter exequendam seu instituendam, dum scilicet novâ quadam Ecclesiâ protinus in honorem S. Andreae Apostoli ædificatâ, consecratâ, & dotatâ novum etiam in id apparari fecit Regulare claustrum; ad quod induxit Religiosos viros unde unde tandem adductos, sub Communi & Regulari disciplina militantes; quibus pro congrua sustentatione in omnimodam proprietatem tradidit plenissimo jure fruenda ac possidenda quævis latifundia in Cæsareo illo diplomate superiori nominata; unde sic Deo auspice novum istud S. Andreae Collegium sua initia sumpsit; quod tamen ipsum post annos plus minus octoginta denuò miserrimè defecit, & in fumum abiit efferatissima nimirum Hunnorum & Avarorum gente totam Austriae Regionem ferrò flamâque crudelissime devastante, jam prius tamen ipso etiam primario fundatore seu Ottone Augustissimo Cæsare sub annum 1002. die 23. Januarii terris emortuo; cujus exanimè Corpus Româ (ubi decessit) in Germanias nostras delatum Aquisgranum usque (visceribus interim Augusta Vindelicorum in æde Cathedrali repositis) fuit deportatum, de quo Carolus Stengelius Abbas in Commentario rerum Augustanarum part. 2. cap. 24.

Et sic hæcenus de prima Regularis Canonice hujus ad S. Andreae fundatione, quæ tamen eadem non nisi (uti jam supra dictum est) ad annos fortè septuaginta vel octoginta perduravit, à crudelissimis nimirum Barbaris immanissimè direpta, perditâ, & annihilatâ. Quo tempore Religiosis Canonicis hinc inde dilapsis seu partim fugatis, partim innocuè trucidatis, S. Andreas Trafsenus domicellos alios non habuit, nisi solos administratores vix Clericos; quousque demum pace & tranquillitate publica terris istis redditâ DEUS suscitavit spiritum Waltheri cujusdam itidem Comitis ac Marchionis Lengenbacensis; quo fatagente simul etiam ac rem strenuè promovente loci ordinario seu Conrado Salisburgensium Sanctæ memoriæ Archi-Episcopo prima S. Andreae fundatio rursus nova incrementa cepit secundo jam authore & fundatore Walthero Comite Lengenbacensi supradicto, qui demum annò non notato vinculis carnis enodatus cum Engelrico supra citato itidem in Ecclesia S. Andreae jam & ipse novus fundator sepulturam accepit, & quidem prope summum Altare in Cornu Evangelii, ubi postmodum etiam plures alii ejusdem stirpis Lengenbacensis furculi honorificentissimè fuerunt reconditi, & quidem intra muros ad Cornu Evangelii, ex cujus adverso latere versus Altare CHRISTI Servatoris nostri à Judæis illusi ad ostium Tumuli muro inserta sunt scuta seu Insignia Illustrissimorum Comitum de Traisma marmori incisa, quæ tamen à Turcis perdurante novissima obsidione Viennensi sub annum CHRISTI 1683. totam Austriam cis-Danubianam truculentissima rabie necantibus, aded destructa sunt, & miserrimè pejorata, ut haud amplius dignosci queant. Eodem modo sepulchralis quoque lapis genuinam sæpèfati Waltheri representans effigiem supra Tumulum ejusdem appositus, ac postmodum in Sacello S. Joannis parieti insertus, itidem à crudelissimis Mahometanis minutatim est confractus. Ita nimirum nihil in mundo perenne cernitur, quando etiam faxa & lapides fatiscunt, ac hominum memoriam obliterant. Sola (gratificante Cælo) dignissima Waltheri Fundatoris perennat memoria, præsertim in eo quòd Charitatis erga Deum & proximum nunquam non fuerit studiosissimus. Singularis insuper Ecclesiarum ac Monasteriorum Patronus & Benefactor Vitam temporalem Dei Causa in Cœlibatu cum assiduo virtutum exercitio ducens illibatam, juxta simul in pauperes & egenos admodum liberalis ac pientissimus (uti jam sæpè dictum est) ad S. Andreae Fundator secundarius, cujus memoria quotannis solennis habetur in Profesto S. Michaelis Archangeli (quo die terris defunctus ipse fuisse creditur) & sic quidem ab hominum memoriâ cum larga stipe in egenos & pauperes catervatim advolantes distribui solitâ. Sequitur.

#### SYLLABUS PRÆPOSITORUM.

I. Otto Primus Zelo & autoritate Primi Fundatoris Ottonis Tertii Rom. Imperatoris institutus in Claustrali Regimine suo provixit quidem pluribus annis, quænam verò nova Cæsarea Canonica hæc id temporis incrementa cepit, aut protulerit, nec difficulter quidem hodie quisquam edixerit, utpote severè prohibentibus publicis, quæ paulò post subsecutæ sunt, calamitatibus & temporum injuriis, sed unice solum certâ tamen fide constat Ottonem istum in Regimine Regularis Prælaturæ suæ provixisse annis 35. mens. 2. diebus 10. ac demum in nova S. Andreae Ecclesiâ post expleta fata sua condigno honore sepultum fuisse annò 1033.

II. Babo primus electus anno 1035. præfuit annis 18. mensibus tribus, & diebus 2. tandem mortis victima factus annò 1051.

III. Hugo electus annò 1051. præfuit annis ferè 19.

IV. Kalochus electus annò 1070. amarò animo pertulit dolendam nimium totius Claustrum sui devastationem, quâ eadem simillimâ clade pariter afflicta quoque fuit tota inferioris Austriae Provincia, ab Hunnis & Avaris ferocissima gente. Præfuit autem Kalochus iste annis 20. & mensibus sex, tumulo illatus annò 1090.

V. Gotscalcus post ruinas antememoratas utcunque reparatas, & jam alio novo S. Andreae Claustrum per Waltherum Comitem de Lengenbach alterum Fundatorem jam supra laudatum, è fundamentis ædificato in novum Antistitem Regularem constitutus totis 30. annis laudabiliter præfuit, & ad plures abiit anno 1178.

VI. Marquardus cognomento *Hierosolymitanus*, haud dubiè ex peregrinatione in Palestina susceptâ, eaque id temporis inter Prælatos Ecclesiasticos æquè sæculares ac Regulares communiter usitatâ cognomen adeptus, Canonicâ Electione promotus Præposituræ Andreae gradus conscendit, post quadriennium verò desuper evocatus terris disparuit annò Christianò 1182.

VII. Herwardus electus annò 1182. delatos Regiminis fascies triennio solum prehendit, quo tempore Casuale incendium Claustrales mansiones sed vel maximè Dormitorium Canonicorum miserimè deperivit, ex quo luctuosissimo hujuscemodi damnò optimus Præful iste fat magnum animi dolorem concepit, qui & ipsi spiritum vitæ subtraxit annò 1185.

VIII. Babo secundus electus annò 1185. annis 14. ad clavum sedit, tum post expletum dierum & annorum suorum numerum tumulo illatus stationem suam inter mortuos accepit annò 1199.

XI. Christianus Primus electus annò 1199. Sub ipsum ferè suæ Prælaturæ Regularis aditum infaustam & hanc quidem à prima fundatione jam numero tertiam sustinuit S. Andreae incinerationem, quâ etsi tam grandi calamitate nequiquam tamen ipse fractus, aut animo dejectus, resumptis viribus Herculeo ausu restauravit omnia, imò & adhuc solers in officio suo contra quosvis occurrentes adversariorum insultus imperterritus occurrens, invicto semper animo constitit, quousque vita naturali defecit annò 1223.

X. Sifridus electus annò 1223. totis triginta annis monasterii sui feliciter è busto resuscitati resuscitator magnificus pluribus etiam aliis titulis de laudatissimo Regimine suo maximopere commendatus constanter inclaruit, quousque magnis meritis onustus piè in Domino mortuus & sepultus successori locum reliquit annò 1253.

XI. Petrus Primus electus annò 1253. post annos sex, menses duos, & dies 10. in fastigio Prælaturæ suæ gloriosè traductos, terrestri vitæ metam posuit annò 1259.

XII. Christianus secundus electus annò 1259. septenne Regimen explevit, & dierum fatur cum Patribus suis requievit annò 1266.

XIII. Udalricus Primus electus annò 1266. itidem Septennio præfuit, atque inter hæc etiam ferale incendium (numero quartum) quod etiam S. Andreae templum ignivomis flammis absumpsit, nec non ipsam Præpositi residentiam omninò prostratam in merissimos cineres dejecit, quod damnum fanè amaro corde pertulit optimus Præpositus, & dehinc ad mortem usque contristatus animam exhalavit anno 1290.

XIV. Conradus Primus Electus annò 1290. septennio præsedisse notus terrestri vitæ simul & claustrali Regimine defecit anno 1297.

XV. Marquardus secundus electus 1297. nudo solum nomine in tabulis annotatus provixit usque ad annum, quem sibi fatalem habuit, Christi 1306<sup>to</sup>.

XVI. Christianus Tertius electus annò 1306. octennio Prælaturæ Claves gestavit, demum fati absorptus annò 1314.

XVII. Conradus Secundus electus annò 1314. quinquennium & menses sex sui Regiminis exæquans demum naturæ debitum solvit annò 1319.

XVIII. Hugo Secundus electus annò 1319. ac præ cæteris honoratus Præposituræ solum obtinuit usque ad annum, quem terrestris peregrinationis suæ habuit ultimum, eumque à partu Virginis 1345<sup>to</sup>.

XIX. Otto Secundus electus annò 1345. beneficia fat multa & magna suo S. Andreae Collegio contulit, & eapropter in Tabulis apprimè laudatus demum spiritum vitæ posuit annò 1372.

XX. Joannes Primus electus annò 1372. post annos 24. Curæ Pastoralis sagaciter impensas à laboribus suis (morte interveniente) requievit annò 1396.

XXI. Laurentius Jaslabriz gente Moravus electus annò 1396. novenne Prælaturæ Regimen feliciter explevit, quousque demum mortis Spiculo confossus, languidus expiravit anno 1405.

XXII. Georgius electus annò 1405. Prælaturæ honoribus vix delibatis seu ad unum solummodo annum & dies duos protractis morte naturali decessit annò 1406.

XXIII. Conradus Tertius electus annò 1406. quadriennis solum antistes evasit, & destinatum vitæ metam attigit annò 1410.

XXIV. Pe-



XXIV. Petrus Secundus cognomento Enzinger Nobilis Austriacus electus annò 1410. ad annos 10. menses totidem & dies 7. in Regimine Præfulari vitam terrestrem produxit, usque dum Nemesi fortiter urgente viribus imbecillis oneri amplius ferendo succubuit annò 1420.

XXV. Erhardus de Asperen Nobili Austriacorum sanguine procreatus justo octennii unius decursu præfedit, ac vi morborum corporalium examinatus, vitam liquit temporalem annò 1428.

XXVI. Udalricus Secundus electus annò 1428. totos sui Regiminis annos 20. justissime complevit, tum ætate simul & labore fessus placidè in Domino requievit annò 1448.

XXVII. Conradus Quartus cognomento Arnsteiner simul S. Andreae Præpositus & apud Hungaros Petrinensis Episcopus rexit annis 17. & diem suum obiit anno 1465.

XXVIII. Joannes Secundus Pellendorffer Cognominatus nobilis Austriacus annò 1465. ex Archi-Ducali Collegio Claustrò Neoburgensi postulatus terris devixit 1473.

XXIX. Wolfgangus Peck Viennensis Austriacus electus annò 1473. moribus ac vitæ grandævus provixit usque ad annum gratiæ 1084.

XXX. Oswaldus Primus electus annò 1484. biennio solum & uno mense præstitit, quo tempore iteratum & quidem à prima fundatione jam numero quintum sustinuit incendium, siquidem Vulcanus in S. Andreae & quævis adspiciantia ædificia illius, (uti & villam simul ei propinquam) terrificus admodum ambussit, quibus angustiis & injuriis lamentabiliter expletis charissimus Oswaldus nimium quantùm anxius vitam liquit temporalem annò 1486.

XXXI. Michael de Gmündten sanguine nobilis electus annò 1486. expleto Prælaturæ quadriennio spontaneâ resignatione cessit annò 1490.

XXXII. Joannes Tertius Zwitl cognominatus electus annò 1490. natione Bojus Regiminis honore simul & onere per triennium exantlato in longinquam alterius sæculi Regionem comitante morte naturali digressus est annò 1493.

XXXIII. Oswaldus Secundus Rieger ex Cognomine suo dictus annò 1493. de Gremio Cathedralis Ecclesiæ Seccovientis evocatus, dum sui muneris partes annis 14. & diebus 14. plusquam solerter explevit, vivendi finem fecit annò 1507.

XXXIV. Wolfgangus Unverdorben natione Styrius de Jagerwerth oriundus, electus annò 1507. perdurante Regimine suo, & ad annum usque 1539. protracto vel invitatus vidit, & ejulatu magno plusquam miserabiliter exantlavit famosam illam & immanissimam (Viennâ interim totius Austriæ Metropoli à Turcis hostiliter obsessa) totius Provinciæ, & dehinc etiam Collegii sui Andreani devastationem annò 1529. perpessam. Qui & idem ipse Wolfgangus Præpositus jam prius videlicet annò 1522. intra Claustrum suum spectabile quoddam apparari fecit horologium Sciathericum ad exteriorem partem Sacelli Beat. Virg. Mariæ vetustissimo orthodoxæ pietatis penicillo præsentatum simul & à posteris jucundè spectandum, ad cujus dexteram apparet Mater Dolorosa cum septem gladiis seu totidem doloribus è pectore Mariano prominentibus, ex sinistra verò parte comparet S. Andreas Apostolus suæ Cruci innixus, juxta Iconem Marianam pendent etiam insignia Ottonis III. Imperatoris cum Corona Cæsarea; item ad lævam S. Andreae partem Insignia Waltheri secundi fundatoris jam toties supra nominati cum pileolo Ducali & pellibus Mustelæ alpinæ prout adhuc hodie patet cunctis Monasterii templum ingressuris; & sic quidem in lucidissimum tum Ottonianæ, tum Waltherianæ fundationis argumentum.

Joannes IV. Perlasreutter antehac Canonice Hippolytanæ Præpositus, ubi dum fenestrâ ætate fessus ad clavum præsidere haud amplius potuit, ad nativam Canoniam suam Andreanam autoritate Cæsarea quasi retrusus uterque potuit, ulterius antestitit, quod tamen à festo Purificationis Divæ Virginis usque ad finem majoris Hebdomadæ nec ultra potuit, sed ad plures abiit.

XXXVI. Christianus Tertius Krondel cognominatus præfuit quinquennio uno & mensibus sex.

XXXVII. Benedictus Welzer ex Choro Cathedralis Ecclesiæ Gurcensis in Styria postulatus præfuit annis 14. decessit annò 1559.

XXXVIII. Joannes V. Pullzer de proprio gremio delectus, triennio præfuit, tum ad regendam Canoniam Ducumburgensem evocatus, demum ibidem plenus dierum obiit annò 1562.

XXXIX. Christophorus Rein electus annò 1562. præfuit annis 14. demum exanimis factus annò 1576.

XL. Mathæus Rheinfeld post annos Regiminis 5. fideliter expletos in propria Ecclesia sua prope summum Altare in Choro reconditus annò 1581.

XXI. Joannes VI. Fuchs cognominatus ex Archi-Ducali Claustro Neoburgensi postulatus præfuit usque ad annum 590. quo decurrente & ipse decessit Calendis Novembris in Capellâ S. Joannis Baptistæ repositus.

XLII. Melchior Knopigel ex Comprovinciali Canoniam Hippolytana delectus ad vacantem sedem S. Andreae regendam immigravit annò 1591. posthæc verò annò 1599. ad Præposituram Thierensteinensem accitus, & post etiam Ducumburgensis Præpositus anno 1609. die 13. Julii fuit renunciatus, ubi stimulante multorum invidiâ annò 1615. fuit exauthoratus, & exinde inter suos Hippolytanos in summâ patientiâ privatus vixit, usque dum ab omni calumnia & infamia liberatus denuò Thierensteinium remeavit, ubi cum plenitudine potestatis amplius honoratus iterum ad clavum sedit, quousque cum Patribus suis in Domino requievit.

XLIII. Joachimus Paumeister ex Viennensi Canoniam S. Dorotheæ delectus sex solum mensibus præfedit.

XLIV. Sebastianus Judinus annò 1601. die 20. Martii de proprio gremio delectus, eodémque annò die 12. Septembris autoritate ordinaria confirmatus demùm obiit annò 1616. die 28. Septembris in Sacello S. Annæ Matris Genitricis Dei honorificentissimè tumulatus.

XLV. Philippus Jacobus ab Hittendorff Nobilis Viennensis ex Archi-Ducali Canoniam Claustro Neoburgensi postulatus ultra annos 12. rexit & diebus aliquot paucis.

XLVI. Joannes Bonaventura Hann ex Choro Cathedralis Ecclesiæ Seccoviensis in Styria delectus, atque annò 1629. die 6. Maji solenniter installatus præfuit annis 17.

XLVII. Josephus Kupferschij Ducumburgo annò 1640. postulatus, atque annò 1641. die 20. Novembris illic solenniter installatus Regimen suum extendit ad annos 12. menses 2. & dies 15. tum ad nativam Ducumburgensem Canoniam suam annò 1653. die 8. Decembris reductus, atque isthinc Dominica Quinquagesimæ anni proximè sequentis juxta morem inthronisatus inibi amplius honoratus præfedit usque in diem mortis suæ.

XLVIII. Michael Secundus Cognomento Metsch ex Decano S. Hippolyti Canoniam postulatione annò 1654. die 15. Febr. factus Præpositus Andreanus, & talis quidem die 19. Julii ejusdem anni autoritate ordinaria stabilitus, consummatus in brevi quidem, explevit tamen tempora multa, dum nempe in annalibus Domesticis fuisse laudatur æconomus omninò proficiuus & industrius, sed & dehinc æternâ laude dignissimus.

XLIX. Stephanus Stengelmayr Abenspergensis Bojus, itidem è S. Hippolyto postulatus, rexit annis ferè 15. piè tandem in Domino demortuus annò 1671. die 28. Junii, atque in propria Ecclesia sua juxta Waltherum fundatorem secundum condecenti honore repositus, idem ob præclara merita sua communi omnium judicio tertius haberi judicatus.

L. Augustinus Primus, Cognomento Alexandrinus ex Eissia (quæ est provincia inter tractum Colonensem & terram Juliacensem adsitâ) progenitus, ad S. Andream professus biennio solum præstitit, & mensibus sex, cujus exanime Corpus Vienna Austriae (ubi præter spem inopinatò decessit) ad S. Andream reductum, in navi proprii templi tumulatus, idem ipse ob congenitam rerum benè gerendarum prudentiam vitâ longiore dignissimus, terris defunctus annò 1673. die 16. Octobris.

LI. Mathias Helfridus à Blœnstein electus annò 1673. ætatis suæ 25. nobilitate generis, quàm prudentia æconomica major Regimini cessit anno 1680.

LII. Ivo Deschenpaur J. U. Doctor Regularis Canonicus Hippolytanus, & pro tempore in Capellen Parochus, æconomus sagacissimus, qui post devastationem Turcicam annò 1683. innocuè perpessam totum æconomia statum in integrum restituit, idem tamen inde propter ingravescentem aded ætatem, & corporis imbecillitatem annò 1698. sponte abdicatus, demum vitâ terrestri defecit bonis operibus ac meritis cumulatifsimus.

LIII. Augustinus Secundus ab Erathsberg, gente Suevus ex Imperiali Collegio Wetrenhusano Dioëcesis Augustanæ annò 1698. Canonicè postulatus SS. Theologiæ Doctor & Professor emeritus, Eminentissimi Principis Joannis Philippi S. R. E. Cardinalis & Episcopi Passaviensis Consiliarius intimus, antiquissimi ac Cæsarei Collegii sui ad S. Andream Restaurator egregius, idem & per universam Germaniam nostram totius sacri Ordinis Canonico-Augustiniani Sydus lucidissimum, imò & stella primæ magnitudinis, quæ secundum communia cunctorum vota nec unquam nesciat occasum; verè Augustinus sæculi nostri ex libris sanè doctissimis hætenus per ipsum editis jugiter omni honore & amore prosequendus. Fatis tamen decessit, ubi viginti & anno uno laudabilissimè præfuit, annò 1719. 15. Octobr.

LIV. Antonius.

## S. ANTONII

Quoddam hujus nominis Canonicorum Regularium Monasterium Diœcesis Metensis in Lotharingia superiori ætate, tempore, & authore non notatò fundatum; de quo tamen hodie nobis unicè constat ex Præcæ Cancellariæ Apostolicæ, quam allegat Pennotus noster in Historiâ tripartitâ lib. 2. cap. 39. N. 6. Cæterum Canonici hujus notitia usque in præsens à nobis vel invitis usque hæctenus nondum fuit obtinenda. Unde tenemus, idem ipsum hoc S. Antonii Claustrum sive diuturnâ Calamitate bellorum, sive vesanâ invasione hæreticorum jam pridem fuisse fataliter extinctum,

## AQUISGRANENSE I.

Aquisgranensis Ecclesia Cathedralis (de qua Pennotus in historia tripartita lib. 2. cap. 39. Num. 1. sic scribit, pro se citans Molanum, Miræum &c.) quam sub invocatione Sanctæ Dei genitricis Magnificentiâ Regali & suo authore dignâ fundavit Carolus Magnus, de qua Molanus in Natalibus ad diem 28. Januarii sic habet: *Dicta est autem Aquisgranensis Ecclesia à Majoribus Monasterium Sanctæ Mariæ; eò quòd viginti clerici sub Carolo Magno instituti Regulariter & Canonicè in eâ vixerint sub obedientia in commune intra Claustrum simul manducantes, & dormientes juxta statuta Concilii Moguntini sub Carolo Magno celebrati, sed hoc suave jugum sibi & Moguntini & plerique alii excusserunt sub Ottone Tertio (Romanorum Imperatore) & Nodgero Episcopo (Leodiensi) suo, qui Regulares Clericos viginti converterat in viginti octo Clericos Proprietarios, quoniam id temporis malitiam exigere judicabant. Hæc Molanus ibi, quæ cum aliis multis tum apud dictum Authorem, tum apud Miræum de Collegiis secularibus Cap. 26. legi possunt. Pennotus loc. cit. Cui pro confirmatione dictorum accedat hîc etiam Guilielmus Gumpenberger Societ. Jesu in Atlante Mariano Triad. 2. Imag. 450. fol. 547. ita legendus: *Hæc (Aquisgranensis) Basilica, si Ferreolo Locrio credimus, à Majoribus appellata est Monasterium S. Mariæ, quod viginti Clerici à Carolo Magno instituti, & ut ferebant tempora in communi viventes sub obedientia intra Claustrum simul manducantes & dormientes, ut inquit Molanus 28. Januarii in notis sanctorum Belgii, duravit hic victus usque ad Ottonem Tertium, sub quo Nodgerus Episcopus (Leodiensis) aliam vivendi formam permisit. Et in laudem Aquisgranensis Ecclesiæ idem Molanus ampliùs excurrens addit etiam sequentia. Hic septem Concilia celebrata. Hic Carolus Magnus sepultus. Hic semper statua Deiparæ celebrata miraculis, Carolus quem nec ipsi Heterodoxi Magnam fuisse inficiantur, Virginem Deiparam magnificè coluit, eamque ob Causam plurimum Sanctorum Reliquiis undique magno studio conquestis templum hoc instruxit, neve dubitarent Posterì Christianum, fuisse quatuor Evangelistarum Historiam, neve putarent fortè minus Christianum, id est non Catholicum, Christi è Cruce pendentis effigiem, in qua verè S. Crucis pars secum deponi in sepulchro voluit. Et verò ipsa etiam Deipara in imagine suâ Imperatorem Marianum in sepulchrum usque commitata est, etenim thesaurum libri salutans Virginem Gabriel cum ipsa Virgine Argentarii manu pereleganter ornat, quidquid de Virginis Filio sine aliorum locorum injuriâ conqueri potuit, huc contulit. Clavi unius, sancti Sudarii, Arundinis, Spongiæ pars in hæc usque tempora servatur, Cingulum quoque adest, & pannus, quorum usus Christo patienti fuit: fascias quoque videre est, tam quibus Deipara Filium involvit, quàm quibus eum in cruce textit, ut minus tormenti sentiret verecundia. De Manna atque de flore Aaronis ideo his thesauris adiunxit, quia ad Virginem & ejus Filium spectare videbantur. Præ omnibus tamen indusium seu subcula Deiparæ hic loci in honore est, & capillorum pars. Quid ad hæc illi quorum Fides heri nata, Spes vana, Charitas nulla? Sed & ipsi Majores Caroli sancti Caput, cui hæc omnia debentur, & dextrum Brachium, quo fidei hostes pressit, inter reliquias posuere, quin & ipsum gladium, utique non rarò eorum sanguine cruentatum; dent fidei suæ tam antiqua documenta, & credimus eis. Diem clausit extremum Carolus Aquisgrani pleuritide laborans septimo infirmitatis die 28. Januarii oleo sancto inunctus, & Viatico sumpto confortatus ex hac Vita discessit (anno gratiæ 1014.) sepultusque est eadem die magnificè Vestibus Imperialibus indutus in hoc templo. Fundavit præterea decem Episcopatus, viginti septem Abbatias, in quibus prope modum omnibus templa Deiparæ dedicavit summus semper Deiparæ Virginis Cultor. Hæc ille loco citato.**

## AQUISGRANENSE II.

Aquisgranensis talis itidem seu Collegiata quoque isthîc loci fuit Ecclesia S. Adalberto Episcopo Pragensi, & Martyri dicata, quæ primùm à S. Henrico Romanorum Imperatore Duce Baviaræ &c. (ut ex Molano in Natalibus ad diem 17. Julii refert Pennotus noster in Historia tripart. lib. 2. cap. 39. num. 1.) fundata, Canonicos non nisi Regulares, & verè propriè Augustinianos habuit, prout idem adstruit etiam Anonymus in magno Chronico Belgii fol. 96. in hæc verba legendus: *S. Henricus Imperator sub annum circiter 1014. Aquisgrani Basilicam in honorem S. Adalberti novi Martyris construxit, & ibi viginti Canonicos (Regulares) instituit; quos tamen jam pridem vel inviti novimus fuisse secularifatos.*

## AQUISGRANENSE III

**M**onasterium Præcurfori Domini S. Joanni Baptistæ Sanctum usque modò Ven. Congregationi Windesimensi manet incorporatum; de cujus ortu & progressu juvat hic ad communem notitiam queisvis habendam palàm edere, quæ hinc inde ex antiquis Chartis desumpta haud ita pridem suscepimus gratiosè communicata sub tenore sequentium.

Anno 1413. die 23. Mensis Martii erat fundata Capella cum tribus Altaribus, cujus dabatur fundator Cono ab Aychorn miles ac Scabinus Regalis Urbis Aquensis Leodiensis Diœcesis, quam ipsam Capellam cum dictis Altaribus in honorem ejusdem S. Cornelii Papæ & Martyris & aliorum SS. Martyrum, eodem anno & mense, die verò 28. ritu solenni consecravit Suffraganeus Leodiensis F. Henricus Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de monte Carmelo, atque hæc eadem Ecclesia ut mutaretur in Monasterium Canonorum Regularium Ven. D. Joannes de Noviomagis pro tempore Prior Bodecensis ad S. Meinulphum Diœcesis Paderbornensis cum prædicto Domino fundatore Conone die 11. Decembris convenit, ut Religiosi Fratres ibidem instituendi se in omnibus conformarent Ven. Capitulo Windesimensi, & aliis Monasteriis illius.

Anno 1420. die 10. Julii Cono ab Aychorn Miles strenuus in armis, cum Domina Mathilde Staverens legitima Conjuge suâ Venerabilibus Dominis Joanni à Puteo Præposito Novesiano, ac Joanni Wale Priori Canonorum in Swollis Diœcesis Ultrajectensis hæreditario jure legitimè possidendam tradiderunt in eadem urbe Aquensi curiam suam in plateâ, quæ Coloniensis vocatur, situatam pro Cœnobio ædificando, in quo Prior cum duodecim fratribus deinceps residere deberet; quibus in congruam sustentationem ad alimentationem necessariam memoratus fundator ducentos grossos bonos & ponderosos, posthac quot annis in perpetuum solvendo constituit, facta est autem clara dictæ fundationis responsio in favorem Ven. Capituli Windesimensis in festo S. Laurentii Martyris die 10. Augusti prædicto anno 1420. Primus autem Rector sacre Domus hujus Aquensis ad S. Joannem Baptistam fuit Ven. Dominus frater Henricus Vacans ex Monasterio B. Mariæ in Bethlehem in oppido Swollensi inductus. Item primus frater hic loci investitus fuit Wernardus Xances olim D. Cononis fundatoris Sacellanus annò 1420. Professus.

Anno 1421. in festo S. Joanni Baptistæ Joannes de Puteo Præpositus extra muros Nussiensis, & Joannes Prior Swollis antedicti Monasterii, Canonorum Regularium approbaverunt acceptationem Monasterii hujus in Aquisgrano ad inclusionem perpetuam more Carthusianorum.

Eodem die 14. Octobris Ven. P. Joannes de Noviomago primus Prior Regularium Canonorum Cœnobii hujus in Aquisgrano abreptus fuit ex miserando mundi hujus exilio, cum præfuisset ferè duobus annis.

Anno 1423. die 28. Aprilis S. P. Q. Aquensis Monasterium hoc sub suam protectionem recepit.

Anno 1424. post Natalem Domini ex multis variis terrestribus vitæ hujus ærumnis decessit honorabilis Domina Mathildis, seu Mechtildis fundatrix suprascripta Matrona venerabilis & amabilis valde in omni morum honestate sua Clarissima, quæ omnes Religiosos fratres Cœnobii hujus ut proprios semper filios diligens in Domino, ab omnibus vicissim ut Charissima Mater plangebatur. Absolvit curriculum vitæ hujus corporalis tertio Idus May media nocte S. Servatii Episcopi.

Anno 1437. Dominus Cono ab Aychorn fundator vitam hanc temporalem alternaverat cum alia æternam duraturâ die 5. Februarii in festo S. Agathæ Virginis & Martyris. Fundator & uxor ejus prima sepulti fuerunt in medio chori veteris ligneo Ecclesiæ suæ Sarcophago in terra in quadrum murato, Epitaphium (quod excisum videtur in lapide) sepulchri hujus in medio chori ad gradus Sanctuarii tale fuit affixum.

Strenuus in tumulto Cono miles jacet isto

Cum Mechtilde suâ Conjuge magnificâ

Et Prole Carolo de Thoro secundo nativa.

Hic idem Dominus Cono miles ob causas civitatis Aquensis ad sacrum Concilium Constantiense missus, ab eodem inde reportavit crucem quandam, quam postea monasterio suo donaverat, quamque nunc veneramur in Ecclesia nostra & piè credimus eam sic crevisse.

Anno 1442. Fridericus Romanorum Rex, Archidux Austriæ decrevit Monasterium nostrum liberum & immune semper esse, & haberi debere ab omni Angariâ & gabellis, accisiis & solutione vectigalium sub penâ marcarum mille auri purissimi de dato Colonia anno regni sui tertio.

Anno

Anno 1444. Idem Fridericus Rex de plenitudine Majestatis suæ animo deliberato, summòque Principum consilio & assensu de certâ quoque scientiâ suâ Reverendissimos Archi-Episcopos S. R. I. Electores Coloniensem & Trevirenses, item Illustrissimos Principes ac Duces Brabantiae & Juliaci Comitem, item de Blankenheim constituit defensores omnium libertatum, immunitatum, jurium, ac privilegiorum Domui S. Joannis in Aquisgrano multifariam concessorum perpetuis futuris temporibus habendos de dato Norinbergæ præfatò anno die 15. Septembris, regni verò sui anno quarto.

Anno 1464. vitam hanc temporalem claudit Domina Mechtildis à fundatore nostro progenita, cum modò tum ipse fundator, tum Carolus filius ejus ex secundo thoro genitus bona Hospitalis nominati supra pro sustentatione pauperum fundata pravis consiliis inducti adeo dissipassent, ut vix tres pauperes personæ ex bonis illius residuis alimenta habere possent, quare loci Ordinarius Ludovicus de Bourbon Episcopus Leodiensis ejusdem Hospitalis bona utcumque recuperata in totum ipsi Monasterio S. Joannis contradi, & incorporari fecit, aliudque novum templum ædificandi facultatem concedit anno prædicto die 29. Octobr. mensis.

Anno 1465. Legatus quidam Pontificius toto unius anni curriculo hospes domus istius ad S. Joannem nobiscum fuit diversatus.

Anno 1471. ipso die 31. Maji Petronellæ Sanctæ Virginis festo primitus positum fuit fundamentum Ecclesiæ nostræ.

Anno 1474. terrestri mortalitate hac decessit Venerab. Senex frater noster Wilhelmus cognomento Xantes dictus ætatis suæ 84. mortuus fuerat inventus in cubiculo suo durante obsidione Nuffiensi genibus innixus, & rosarium habens in manibus; æstimabatur semper ab omnibus Religiosis Confratribus ad instar Sancti.

Anno 1483. In Festo SS. Felicis & Adæ die 30. Augusti obiit ex domicellis nostris Conradus ab Aychorn fundatoris nostri filius ex secundâ illius uxore genitus vir à cunctis fratribus magni semper habitus, & in Domino dilectus.

Anno 1489. venit Dæmoniaca quædam de partibus Rheni ad Ecclesiam nostram adducta in die S. Alexii Confessoris die VI. Julii tempore Passagii Urbis Aquisgranensis, quæ interrogata de cruce nostra respondit, eam crevisse ex vomitu cujusdam in quandam cloacam, qui venerandam Eucharistiam sumpserat indignè. Eadem fœmina ipso die ad RR. PP. Carmelitas perducta, & post prandium denuò adjurata de eadem cruce dicere veritatem omnia affirmabat ut antè, atque universa hæc conveniunt, quòd creverit sicut effigies ejus videtur hoc demonstrare. Porrò horum testium primus in hac urbe Aquisgranensi fuerat Dominus Cono fundator noster suprâdictus.

Anno 1497. Alexander Papa Sextus Hospitalis à Conone ab Aychorn & Mechtilde Uxore ejus in ædificationem, incorporationem, appropriationem & assignationem nuperimè factam autoritate Apostolicâ confirmavit, cujus Bulla habetur data eodem anno 10. Calendas Maji Pontificatus sui anno quinto.

Anno 1505. die 9. Novembris, quæ erat anniversaria dedicatio antiquæ Ecclesiæ nostræ lignæ consecrata fuit nova Ecclesia in honorem S. Joannis Baptistæ Præcurforis Domini, & S. Cornelii Papæ & Martyris à Joanne de Montibus Episcopo Cynonensi SS. Theologiæ Doctore, ac Reverendissimi Domini Domini Joannis de Horn Leodiensis Episcopi Suffraganeo.

Anno 1589. die 12. Maji Senatus concluderat, quod Regulares nostri in Aquisgrano quoad privilegia sua sint omnino & constanter manutenendi, ac quòd vigore eorundem deinceps ab accisiis deberent esse, & permanere liberi.

Anno 1600. adest Decretum Consulium ac aliorum Officialium die 15. Januarii confirmatorium prioris Decreti modo dicti conclusi die 12. Maji anno 1589. facti de immunitate accisiorum.

Anno 1651. die 13. Junii cum hucusque inter Magistratum Aquisgranensem & Dominos Regulares ob communes ingruentis belli collectas (ad quas iidem Domini Regulares ratione bonorum suorum sub territorio & jurisdictione ejusdem Magistratus comprehensa seu situata etiam quotam suam conferre compellebantur) in supremo Cæsareæ Cameræ judicio nondum fuerat finaliter decisum, juxta quod Senatus Aquensis suam competentiam, Reverendi verò Domini Regulares suam exemptionem per privilegia suprâdicta prætendebant, obtentam per Reverendissimum D. D. Fabium Chisium (qui postmodum anno 1655. die 7. Aprilis Romæ in summum Pontificem electus, dictus est Alexander VII.) in partibus Rheni Nuntium Apostolicum & Compromissos arbitros ad id specialiter rogatos & deputatos eò conventum fuit, ut memorati Domini Canonici Regulares deinceps in communibus, & Sacri Romani Imperii ac Turcicis (ut vocant) contributionibus de bonis suis 400. florenos Valoris Aquensis suprâdicto Magistratui persolvant, à quævis verò aliis oneribus immunes & exempti maneant.

Anno 1666. die 23. Novembris Leodio Aquisgranum venit Reverendissimus, ac Illustrissimus DD. Franciotti Nuntius Apostolicus usque ad 10. Decembris in nostrâ S. Joannis Baptistæ Canoniâ hospitatus.



Anno 1674. die 20. Februarii ad memoriale Canonicorum Regularium Magistratui Aquensi traditum idem respondit, quod præmemorati Domini Canonici apud confirmationem seu transactionem supra anno 1657. die 13. Junii habitum posthæc omninò manere, teneri, & nullo modo debeant amplius aggravari.

## AQUISGRANI.

**I**bidem quoddam etiam antiquioribus sæculis constitit Regulare domicilium Congregationi S. Sepulchri combinatum; quod vel olim Denckendorffeni (itidem suo loco infra recensendæ) combinatum & incorporatum. Cæterum nobis prorsus incognitum Aquense Cænobium istud; de primordiis verò memorati Ordinis prostat Augustinus Barbofa de Jure Eccles. lib. 1. cap. 46. fol. 546. in hæc verba legentur: *Canonicorum Regularium S. Sepulchri Ordo institutus creditur post Hierosolymas recuperatas per Godofridum anno 1099. ut putat Franciscus Medices in libro, qui inscribitur: Habitus Cleri Romani. Extat Celestini II. constitutio sub dato 10. Januarii 1153. quo honorificata est Canonicorum S. Sepulchri Hierosolymis commoratio, propterea hoc anno illam atteximus. Induebantur nigro colore, ferebant pallium super Rochetum, in quo assuta erant ad latus sinistrum quinque cruces ex purpura grandes, & supra se & infra se ad angulos suos parvulos sustinerentur. Placuit hic numerus & figura in memoriam Passionis Christi. De hoc ordine agunt Sylvest. Mar. in Oceano Relig. lib. 1. pag. 30. & Tambur. tom. 2. Quest. 24. quest. 4. num. 13. Et sic Barbofa citatus, post quem isthic seu in rem præsentem adducendus nobis videtur Pennotus noster in Histor. tripart. lib. 2. cap. 67. prout sequitur: Hæc Congregatio circa annum Dom. 1110. in Ecclesia Dominici Sepulchri Hierosolymitana, quæ erat Patriarchalis, sub piissimo Principe Gotifredo fuit instituta, sive potius & verius restituta, nam ipsa Patriarchalis Hierosolymitana ab illius prima institutione fuit Regularis, ut sup. hoc eodem libro c. 41. ostensum est. Cum autem Christiani Duce Gotifredo civitatem Hierosolymam de manibus Saracenorum eruisent, ipse Gotifredus Canonicos Regulares, quos de partibus Occidentalibus secum adduxerat, cum Religiosis Monachis in Eccles. Dominici Sepulchri, & templi Domini, & aliis supra memoratis autoritate Apostolica sibi factâ collocavit, ut testantur D. Antoninus in 2. part. Histor. tit. 16. cap. 13. §. 8. in fine, & Jacobus de Vitriaco supra allegatus. Ex quibus Ecclesiis ipsa Patriarchalis non tantum fuit præcipuum, & peculiare Canonici Ordinis Collegium, verum etiam caput præcipuæ Congregationis complurium Ecclesiarum, & Collegiorum ejusdem Ordinis, quæ Ecclesiæ sive Collegia non solum in partibus Orientalibus, verum etiam in Europa, videlicet in Italia, Sicilia, in Gallis, & in Hispaniis olim erant constituta. In hoc ergo corrigendus est Aug. Barbofa paulò superius allegatus, quod hanc Dominici Sepulchri Congregationem peculiarem nominet Ordinem, à privato quodam fundatore inchoatum; cum juxta certam Pennoti, & aliorum, in historiis Instituti Canonici versatorum sententiam, illi Canonici S. Sepulchri reipsa nil aliud fuerint professi, quam Ordinem Clericorum seu Canonicorum Regularium, à Christo Domino in Apostolis fundatum, & postmodum à persona quadam particulari sub titulo certæ Congregationis propagatum, prout in Congregatione Lateranensi, Windesimensi & aliis factum esse ex Historiis fide dignissimis abunde probatum manet.*


## AQUISGRANI.

**S**eu itidem ibidem hodiedum inclytum Venerabile quoddam supra recensitæ Congregationis S. Sepulchri Parthenæum communiter S. Leonardi intitulatum, de tempore & Authore primævæ foundationis suæ nondum nobis fuit apertum. Præterquam quod constat fuisse cujuscunque demum Regularis Ordinis Claustrale Domicilium, quod ætate nostrâ de præviâ autoritate Ordinarii plenario jure possidendum obvenit piissimis animulis Instituti Sacerdos de præsentem in Conventu Juliacensi Achates mihi fidissimus, colendissimus Casparus Lüll in tractatu, cui titulum præfixit *Mausolæum S. Jacobi Apostoli Chronologico-Mysticum* anno 1682. Germanicè typis Colonienfibus in 4. edito cap. 28. pag. 123. ita scribens: *Umb dies (1626. Jahr) ist auch das Closter in der Kayserl. Reichs Statt Ach S. Leonardi genannt in der Burscherdter Straß gelegen den Regulierten Canonissen eingeräumt worden;* quod ipsum novum Religiosum Domicilium istud paulò post stupendâ prorsus vitæ Sanctitate plurimum illustravit devotissima Christi famula Venerabilis Domina Alvera de Virmund anno 1635. Calendis Maji per solennem Sacræ Regulæ Canonico-Augustinianæ professionem Deo consecrata, tum anno 1644. eadem ipsa ad aliud quoddam unius ejusdemque Religionis contubernium in oppido Juliacensi situatum, in primam loci Antistitam,



COLLEGIUM CONGREGATIONIS S. SEPUL  
CHRI DIOECEA. CHRISTI MDCXXVI.

*I. Frank sc.*



COLLEGIUM CANONISSARUM REGULARIUM ORD. S. AUGUSTINI CONGREGATIONIS S. SEPUL.  
CHRIST. DIOECESIS LEODIENSIS IN VRBE AQUISGRANENSI FUNDATUM A. CHRISTI MDCXXVI.

J. Frank. f.



*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Faint, illegible text visible along the right edge of the page, likely bleed-through from the adjacent page.]*

tam, feu (uti vocant) Prioriffam evocata, ac demum vitæ Sanctitate celebris anno 1649. die 14. Aprilis ad fuperos elata; cujus vitæ hiftoriam fingulari ftudio itidem Germanicè contextam, ac pariter Coloniae Agrippinae in 4. reculam edidit Religiofiffimus Hiftoriographus antè dictus; Regulares verò Prioriffæ, quæ Parthenoni huic Aquisgranenfi hætenus præfuerunt, recensentur effe fequentes.

I. Clemens d'Ombre Patriâ Juliacenfis, quæ jufto decenniò fupremam dictaturam tenuit.

II. Maria Vignial Leodiensis laudatiffimâ fui muneris adminiftratione annis 8. perinclyta.

III. Maria Magdalena Gofwin itidem Leodiensis annis 13. in Regimine præclara.

IV. Angela ab Ellenborn. &c.

#### ALTITONENSE.

Prout nominat Bucelinus in Menologio ad 13. diem Decembris, five *Altenburgense*, ut fcribit Rambeck in Calend. Benediët. ad eundem diem, S. Othiliæ Virginis Cœnobium, ab ejus Patre Adelrico five Attico Duce ad initium sæculi octavi in Territorio Argentoratensî conditum, & à S. Virgine sub habitu & Regulâ Canonicâ institutum, uti contra præallegatos Benediëtinos, Monaftico Ordini S. Othiliam accenfentes, fat clarè demonftrat Anonymus vitæ S. Othiliæ fcriptor N. 15. apud Mabillon. fec. 3. p. 2. his omninò formalibus. *Erat autem ei (S. Othiliæ.) confuetudo, peregrinas ad fanctam conversationem fufcipere fœminas, tam de Scotiâ, quam & de Britanniâ, nec non & viros Religiofiffimos ex diverfis Provinciis venientes cum gaudio fufcipiebat, & ex eis Presbyteros ordinari rogavit, & confummavit utraque Monafteria, & collocavit in eis Sanctimoniales; & poft hæc convocavit omnes Sorores, & rogavit eas, ut fibi indicarent, utrum Canonicam an Regularem vitam ducere vellent. Tunc omnes unanimiter refponderunt, fe Regularem vitam velle ducere & conversationem habere. Illa autem cum humilitate & manfuetudine refpondit dicens: Scio, meæ chariffimæ fiores & Matres, vos promptiffimas effe ad omnia afpera & dura pro Chrifti nomine toleranda; fed timeo, nos fi Regularem vitam elegerimus, malediëtionem à fuccefforibus noftris incurrere, quia ifte, ut fcitis, locus valde incompetens eft & laboriofus Regulari vitæ, adeo ut nec aqua nifi cum magno labore adipifci poteft hic: unde mihi videtur, fi veftre placuerit Almitati melius effe, ut Canonico habitu confiftatis. Tunc omnes fecundum illius verba elegerunt Canonicam Regulam, in qua ufque hodie in fupradictis Monafteriis degentes præcedentium normam fequentes perfeverant.* Hoc itaque testimoniò, fic per vitam Regularem, quatenus hic opponitur Canonice, intelligatur Monaftica (prout fanè intelligi debet) non video, quid clarius in rem noftram afferri poffit. Deinde, ut fcribit Aubertus Miræus de Monaft. Canonicorum cap. 78. fol. 175. Collegium Truttenhufanum in Alfatia pro Canonicis Regularibus annò 1181. fundatum eft ab Abbatiſſa monafterii S. Othiliæ nomine Hernade. Vix autem credi poteft hanc Abbatiſſam pro Canonicis domicilium conftituiffe, nifi & ipfa Canonicorum hoc institutum fuiſſet profefſa.

#### AROLDENSE.

Alii vocant *Arofciſſe* Canoniffarum Regularium Parthenæum, in territorio Civitatis Paderbornenſis olim fitum, & SS. Apoſtolorum Filiorum Zebedæi facro nomine intitulum. Hæc ex Magno Speculo Exemplorum (alibi enim de hoc canobio nihil invenimus) defumpſimus, ubi ulterius memoratur, Cœnobio huic præfuiſſe Virum fanctitate celeberrimum, nomine Petrum, cujus proin vitam, utpote aliqua hoc Aroldenſe Parthenæum tangentia, continentem, ex allegato Magno Speculo Exemplorum hic atteximus. Huic itaque Monafterio præfuit vir quidam vitæ venerabilis, nomine Petrus, de Ord. Cann. Regg. aſſumptus, quoniam & ipſius Monafterii instituta fecundum regulam B. Auguſtini depoſita ſunt. Erat ergo homo ille Mandatorum Dei feruator fedulus, executorque devotus, clarus charitate, humilitate ſubmiſſus, caſtitate præcipuus, quique tanquam fidelis Paranympus & amicus Sponſi Sponſarum ſui Domini ſibi commiſſarum caſtitem pervigili ſolicitudine zelabat. Cumque bonis polleret moribus, hac in converſatione ſua præcipuum, velut pretioſam margaritam habebat, ſacræ ſcilicet venerationi Dei Genitricis ſincerâ cordis affectione inſiſtere, hoſtiam ſalutarem, & ſacrificium ſingulare, per quod peccata mundi tolluntur, in ejus honore multa cum devotione frequenter immolare, ipſam ſibi in cunctis neceſſitatibus ſuis advocatam eligere ipſuſque ſuffragia lachrimoſis, & continuis precibus implorare. Porrò laudabilem confuetudinem talem effecerat, ut quoties ejuſdem mellifluum B. Virginis nomen nominari audiffet, ſi oportunitas petendæ veniæ deeffet, inclinato reverenter capite, genibus etiam aliquantulum incurvatis ſalutationem Angelicam eidem, Matri Miſericordiæ, quando devotius poterat, recompensaret. Denique ultimò agonis certamine feliciter conſummato, adverſâ valetudine, febribus

cæpit æstquare, & quanto viciniorem esse mortem signa mortis erumpentis annuntiabant, tanto specialis Patronæ suæ, Dominæ nostræ auxilium cæpit enixius flagitare, consuetudinariam sibi salutationem ipsius frequentius iterare, & ut ad servuli sui exitum occurrere, seque à malignorum spirituum nequissima crudelitate tueri dignaretur attentius orare. Itaque paucis diebus ante dormitionem suam vocavit ad se Priorissam ejusdem loci, nomine Gislam, prudentem valde & Religiosam Virginem, quasdam etiam de Senioribus Sororibus, dixitque ad illas: En ego ingrediar viam universæ carnis, & licet pro modulo meo puram studuerim Domino exhibere servitutem, tamen quia nescit homo, utrum amore dignus sit, an odio, districti judicis ancipitem adhuc sententiam reformido. Porrò notum vobis facio, quòd B. Dei Genitrix Virgo Maria, Regina Cæli, Domina mundi me cras qualemcunque servulum suum circa horam 6<sup>am</sup>. visitare atque (ut spero, credo, atque confido) de mundi hujus exilio eruere, secumque ad cælestis Patriæ lucidas mansiones assumere dignabitur. Quod enim meis meritis consequi posse nullatenus præsumo, hoc per Ipsius sanctissima merita mihi fiducialiter usurpo. Vos ergo domum totam quantocyus mundari facite, sedilia componite, ac ornate, & circa horam, quam prædixi, universas Sorores cum thymiamate & cæteris adesse præcipite. Cumque ergo versiculum illum Sequentiæ Assumptionis B. Virginis: *Te cæli Regina*, incæpero, cunctæ simul Sorores in jubilo cordis & vocis Sequentiam ab eodem versiculo usque ad finem alacri devotione decantent. Verùm Priorissa, cæterisque sororibus, quæ aderant, fidem continuò dictis ejus adhibentibus, utpote sanctitatis & innocentiae ipsius consciis, Conversus quidam Theodoricus nomine ad caput lectuli, in quo homo Dei jacebat, stans, & incredulus his, quæ dicebantur, talia in corde suo loquebatur, ô verè mobile & infirmum, omnique verbo credens pectus famineum! Ecce enim homo iste in vicino mortis constitutus deficiente sensu aliena loquitur, & istæ Sorores verba ejus, tanquam ex ratione procedentia, vel veritate subnixâ putant continuo effectui fore mancipanda.

Talia eo cogitante, sanctus Sacerdos, virtute qua poterat, caput elevans, & ad partem illam ubi conversus stabat, oculos dirigens, esne (inquit) hic Frater Theodrice? quo respondente, sum Domine: accede, ait, huc ad me: illo quoque protinus accedente, da, inquit, manum tuam, obtupefactus Conversus adhuc eum quasi minus competentem considerans, non ausus tamen contradicere sermonibus Sancti, dedit manum suam, quam Vir Dei apprehendens, & digitis suis digitos ejus fortius stringens, sic ait: sicut verum est, quòd ego manu mea manum tuam teneo, digitisque meis digitos tuos stringo, sic verum est, quòd ego per virtutem gratiæ Dei locutus sum, quòd autem tu in secreto cordis tui loqueris, falsum esse scias, me scilicet delirare, sensuque turbato nescire quid dicam. Sic itaque per unius increduli prophetiam, ac verè divinam correptionem omni dubietatis nebula à cordibus cæterarum deterfâ, tantam gratiam Spirituali Patri suo cælitus fuisse collatam, omnes in communi gratulabantur.

Jam altera dies illuxerat, & hora, quam Vir Dei prædixerat, sole ad centrum festinante proximabat, universitasque Sororum cum Fratribus Laicis adunata, piissimæ Regi-næ Cæli adventum tantò certius præstolabantur, quanto eam is, qui prædixerat, manifestè miraculo comprobaret. Tanta ergo reverentia mentibus cunctorum, qui aderant circa prætaxatam horam infusa est, ut divinam aliquam advenisse virtutem, nemini astantium dubitare fas esset. Ipse verò B. Sacerdos mirum in modum serenatâ facie elevatis in cælum oculis, manibusque sursum protensis Versiculum quem prædixerat cantando intonuit, dicens: *Te Cæli Regina hæc plebecula piis concelebrat mentibus.* Sed quis dignè effari queat, quanta devotione & compunctione, quantoque pietatis affectu eadem Sequentia à Sororibus percantata sit. Jacebat interim Servus Dei in agonia, raptusque in extasim, multa de secretis cælestibus & de statu ejusdem Cænobii per revelationem cognovit, quæ postea Priorissæ, senioribusque Sororibus indicavit. Omnium verò oculis in eum defixis, subito obnubilata est facies ejus, & corrugata fronte mæroris cujusdam & magnæ anxietatis dedit indicium, erumpensque in vocem miserabili lamentatione talia edidit verba: Cur Domina piissima & misericordissima servum tuum pauperulum in hac fece mortalitatis relinquis? quem licet indignum tam benigna visitatione dignata es consolari? dulcissimam præsentiam tuam, tantis desideratam votis, expetitam precibus & lacrymis, jam jam morituro dignanter indulxisti, & nunc ad patriam vitæ misero comitatûs tui confortium negas. Cumque frequenter iterando, Domina piissima, Domina misericordissima, ne derelinquas me, tecum volo, tecum volo, cunctos & in fletum & lamenta converteret, repente redditus sibi, postquam propter nimiam defatigationem corpusculum modicum conquieverat, dimissis cæteris & Priorissâ cum paucis Senioribus secum retenta sic locutus est. Refocillandi gratiâ modicum aliquid liquoris afferte mihi, quatenus ariditate linguæ delinita, fauciumque rheumate deterfso expeditius proferre valeam, quòd dicere debeo. Festinato itaque Priorissâ per semet ipsam modicum vini in vasculo afferente, mox ut limen Domûs, in qua homo Dei jacebat, attingit, ille cum neque olfactu, neque ullo

ullo corporis sensu percipere posset, quid ista gestaret, exclamabat dicens: Non Domina Priorissa, néquaquam nobis afferatis vinum, quia vinum arcana denudat, & vinum apostatare facit sapientes. Audiens illa tam evidenti spiritu Prophetiæ se esse deprehensam, adeo intremuit, ut gradum vix reflectere posset. Dehinc modicâ aquâ refocillatus, ita exorsus est: Quanta sit pœna inobedienciæ & culpæ, utinam ego miser antequam pœnam experirer subtiliùs intellexissem, ut hoc mentibus vestris, sicut necesse est, imprimere voluissem. Ecce enim pro reatu inobedienciæ piissima Domina mea in hac lacrymarum valle nunc me reliquit, nec dignum censuit, ut sub protectione ipsius aëreas pertransiens potestates cæli secreta penetrarem. Qualis autem ipsa inobediencia mea fuerit, audite. Accidit aliquando, ut plurimi hujus Diœcesis Presbyteri improvidâ calculatione decepti jejunium quatuor temporum mensis Septembris illegitimò tempore cum Parochianis suis celebrarent, in quo errore & ego, Canonum scita minùs vigilanter attendens prolapsus sum. In proxima verò Synodo, cum hi qui jejunium legitimo tempore celebrârunt, hanc transgressionem accusarent, præceptum est in virtute obedienciæ, ut quicumque hujus delicti sibi conscius esset, veniam peteret, & se culpabilem redderet. Cùmque cæteri quos accusabat conscientia, malentes periclitari famam, quàm conscientiam, quod iustum fuerat, humiliter facerent, ego miser plus deferens Ordini & opinioni meæ quàm veritati, quia unus ex Prælati Ecclesiæ eram & nonnullius Religionis esse putabar, hoc confusionis opprobrium non sustinens, publicè veniam petere erubui. Hoc est delictum inobedienciæ, propter quod hodie tanto bono privatus sum, & repulsus ab introitu æternæ vitæ & sempiternæ gloriæ ad ærumnas mortalitatis hujus revocatus sum. Porro Priorissâ inquirente utrumnam illius peccati maculam per confessionem & pœnitentiæ lavacrum non diluisset? Illéque se non semel, sed pluries confessum fuisse asseruisset, cum magno admirationis stupore Priorissa subjunxit: Væ mihi peccatrici Domine Pater, quid ergo dicemus de Sacramento Confessionis, si tibi non semel, sed pluries consentit indulgentia est negata? quis jam alius mediante confessione delictorum veniam sperare poterit? at ille dignum memoriæ verbum respondit, dicens: scire debetis quoniam secundum intentionem vel contritionem pœnitentis sive consentientis intensio iudicii, sive remissio indulgentiæ Dei reformatur. Quia enim ego miser peccatum meum secundum veram æstimationem ponderare neglexi, nec quanta oportuit contritione & compunctiōe cordis confessus sum, propterea necdum indulgentiam consequi merui. Cùmque talia tristis & mœrens locutus fuisset, Sororum, quæ præsentibus aderant, magno terrore corda concussa sunt, & ad obedienciæ puritatem sectandam non mediocriter accensa. Triduo, si benè memini, postea supervixit tanto amariùs lugens peccatum suum, quantò divini iudicii districtiōnem evidentius fuerat expertus. Moriens autem mortalitatem magnam in eadem domo futuram esse prædixit, quæ etiam mortem ejus è vestigio subsecuta est. Sicque in pace consummans dies suos, plenus operibus bonis appositus est ad Patres suos. Verumtamen festivam illam & omninò gloriosam assumptionem, qua cum B. Dei Genitrice Maria, sanctorumque Angelorum frequentia assumi meruisset, si culpa non intervenisset, merito inobedienciæ perdidit. Hucusque ex libro, quem vocant Magnum Speculum Exemplorum pag. m. 220. Hujus B. Viri ad 14. Calend. Januarii meminit in suo Martyrologio Petrus Canisius his omninò verbis: Item Commemoratio B. Petri Presbyteri Can. Reg. Præpositi Arnoldensis &c. Verum quo tempore vixerit, hætenus nancisci non potui.

## S. ARBOGASTI

PERcelebre quondam in confinio seu territorio Imperialis civitatis Argentoratensis Monasterium, ab antiquitus, imò & à primâ statim fundatione suâ Oratorium *S. Arbogasti* (qui fuit Argentinensis Ecclesiæ Episcopus juxta computum Jacobi Wimpelingi in Catalogo fol. mihi 17. numero 6. anno gratiæ 668. Beatam immortalitatem ingressus, & dehinc idem ipse 17. Calendas Augusti Sanctorum Fastis adscriptus) taliter appellatum, utpote ab eodem Sanctissimo Antistite fundatum, & ædificatum, sed & idem ipsum labentibus annis in formam Claustralis Cænobii redactum; quod dum postera ætate, quocumque demum infausto casu pessumivit, denuo circa annum 1033. restaurârunt Regulares illi Cathedralis Ecclesiæ Argentoratensis Canonici, qui cum aliis Collegis suis sæcularisari (ut ita dicam) omnino detrectantes, sed econtra Sanctis Majorum suorum vestigiis firmiter insistentes remigrârunt ad ipsum hoc *S. Arbogasti* Monasterium, ubi in Sacro Canonico - Augustiniano Ordine suo, præsertim sub reformatione (de qua suo loco pluribus infra) Marbacensi continuò persisterunt usque ad infausta illa tempora, quibus sub decursum sæculi decimi sexti Lutheranismò in civitatem & universam ditionem Argentoratensem violenter introducto Religiosæ Personæ passim è sedibus suis contumeliosè proscriptæ, ac simul Claustralia quoque domicilia earum, seu Monasteria sacrilegè di-

repta fuerunt, profanata ac devastata; quæ inter directè recensetur etiam sæpè nominatum hoc S. Arbogasti Cœnobium, quod tamen (uti novissimè primùm ex Alfatiâ ad me perscriptum est) *ætate nostra solium est vicus, qui paret Argentoratensibus, & vel adusti lapides apertè monstrant, isthic loci priùs adfuisse Religiosorum virorum habitaculum numero suo quam plurimis adaptatum.* Porro sæpè memoratum hoc S. Arbogasti Monasterium prioribus sæculis nunquam non fuisse Regularium Canonicorum Asceterium, secùs verò Monachorum Claustrum ampliùs constat ex Jacobo Wimphelingo jam supra citato, ubi sic legitur: *Septultus (S. Arbogastus ante dictus) extra urbem in loco Calvarie exemplo Christi, translatus est partim ad S. Arbogastum, Monasterium Canonicorum Regularium, partim ad Ecclesiam Collegiatam Sarburgensem.*

## ARNBOCKENSE.

JAM pridem antiquatum apud populos Aquilonares sub Diœcesano Climate (nisi fallor) Bremensi comprehensum Sacri Ordinis Canonico-Augustiniani Venerabile quondam Parthenæum primùm pro hujuscemodi Vestalibus apparatus, subinde verò labentibus annis quacunquè demum ex causâ (nondum nobis revelatâ) ad sacram familiam Carthusianam translatus fuit; de quo Cranzius in sua Saxoniâ lib. 9. cap. 31. sic legendus: *Hoc autem tempore (Willemari Ducis Daniæ subintellige, qui ab anno 1333. usque 1379. rebus præfuit) Nicolaus Comes Holfatiæ, quam adhuc à Rege Daniæ Fioniam (Insulam in mari Baltico) teneret in pignus arcem in Bromberg, quod imperata facere recusaret, cum ducentis obsedit. Rex superveniens facile dispulit tantam paucitatem, alios aut prosternens, multos capiens, vix cum paucis Comes elabatur, ibi oculum samittens, votòque emisso in magnis periculis, concepit in honorem summæ Virginis in suâ terrâ Cœnobium erigere, magnis vix ereptus periculis, consentiente Adolpho Joanne Wagriæ Comitibus filio, in Arnbocke construxit, ac proventibus dotavit, evocatisque de Poretze, & Izebo Virginibus sacris, quod Cœnobium postea arnuente Gerhardo Duce anno secundo & quadringentesimo post mille annitente Domino Alberto de Rosenberg Canonico Lubecensi viro locuplete & proventus augente commutatum est in domum Fratrum Carthusianorum, qui tenent usque hodie, videlicet sub initium Sæculi Decimi Septimi; quo principante ipse Cranzius adhuc terris supervixit.*

## ARGENTORATENSE I.

COLLEGIUM Cathedralium Provinciæ Moguntinæ mox à prima institutione Episcopatus ad instar aliarum Cathedralium Ecclesiarum in arctiore vitæ Regularis tramite sese justissimè continuit usque ad tempora Wilhelmi Episcopi successione ordine (juxta computum Jacobi Wimphelingi in Catalogo Episcoporum Argentinensium fol. m. 27.) quadagesimi septimi anno 1041. die 6. Novembris terris defuncti; quo præsidente maxima pars Canonicorum Cathedralium antiquam regularitatem (taliter exigente temporum iniquitate) exosa jugum excussit, paucis solum aliquot exceptis adhuc vota sua secundum antiquam Regulam Canonico-Augustinianam Domino fideliter reddentibus: qui concepto novò Spiritus fervore prioribus Argentoratensibus præbendis suis sponte dimissis in antememorato S. Arbogasti Monasterio ulterius strictè sibi eam servandam statuerunt; de qua Religiosi statûs immutatione pro tunc inter Cathedralium Canonicos introductâ Oseas Schadæus, etsi Scriptor A catholicus in descriptione summi templi Argentinensis anno 1617. Germanicè in 4. edita fol. 52. refert sequentia: *anno 1031. hat Bischof Wilhelm aus den Canonicis Regularibus im Münster Weltliche Domberrn gemacht, Herr Carl der Domm Dechant, vndt Herr Eberhardt der Scholaster vbergaben das Stüfft vndt Bau etwan Vrsach des Closters S. Arbogast an der Ilm, worinen sye ibrem Orden nach lebeten; quem eundem Ordinem ibidem loci ulterius ab ipsis tentum & observatum haud fuisse alium, quàm Canonico-Augustinianum ampliùs constat ex dicendis infra v. Dachsteinense.*

Porro pro Confirmatione dictorum juvat isthic superaddi quoque Nebridium nostrum, ubi is Epistol. 139. fol. 632. sic habet: *Pennottus dum ait, Argentinenses (Canonicos Cathedralium) anno 830. ad secularem vitam transisse teste Renato Choppino, fallitur, quia ex dictis (Jacobi Gretseri Soc. Jesu) Epistolis notum est, & Aquenses, & Argentinenses sub Paschale II. qui itidem Canonicus Regularis fuerat, adhuc vixisse regulariter.* Et hæc ibi: meritò igitur isthic & simul corrigendus est Ægydius Rambeck Monasterii Schyrensis in superiore Bavariâ Monachus in suo Calendario Benedict. part. 3. die 21. Julii in historia S. Arbogasti Episcopi Argentinensis, ubi demonstrare nititur, Canonicos Cathedralium Argentinenses præcæ ætate, statu, ac Professione sua fuisse Monachos, ac vicissim tam S. Arbogastus, quàm alii ejus sancti successores, videlicet S. Florentius, S. Justus, S. Maximus, S. Valentinus, & S. Solarius, Ordini Regularium Canonicorum, quibus, prout mos illius ferebat temporis, communi convictu etiam Episcopi erant aggregati, juxta rationes præcætas sunt annumerandi.

ARGEN-

## ARGENTORATENSE II.

**R**egularium Canonorum tale quoddam aliud Monasterium, & quidem istud origine suâ vetustissimum, atque hoc ipsum communiter *S. Thomæ Scotorum* appellari solitum, eò nempe quòd primitus à Therapeutis natione Scotis fuerit inhabitatum; de quo Pennottus noster libr. 2. cap. 39. num. 1. sic legendus. *Hoc Monasterium, queritur Renuatus in Monastico libr. 1. tit. 3. per quendam Episcopum Argentinensem ex Canonicis Regularibus translatum ad seculares anno Christi 830. ut hinc etiam videmus antiquitatem Canonorum Regularium inter Scotos usitatam, illòsque ex Scotiâ in Germaniam derivatos &c.* Et sic ille contra, ac Wimphelingus jam ante citatus in suo Argentinensium Episcoporum Catalogo fol. m. 17. constanter asseverat. *Argentinensem hanc S. Thomæ Ecclesiam, & adjunctum illi Cœnobium fuisse primitus pro Monachis fundatum.* Verùm utut sit, idem hoc Argentoratense Collegium à Canonicis Regularibus ad Clericos Regulares fuisse translatum expressis verbis refert Bernardus Herzog in suo Chronico Alfatix libro 8. cap. 15. fol. 112.

## ARGENTORATENSE III.

**J**am numerò tertium itidem Canonorum Ordinis S. Augustini Claustrale Domicilium, subinde verò labentibus annis Equestris ordinis Melitensis S. Joannes Baptistæ Stipendiariis concessum; de quo Wimphelingus jam supra citatus folio 55. sic habet. *Sub hoc Lamperto Argentinensis Ecclesie Episcopo (sub initium anni 1371. ad Insulam Bambergensem promotum) anno Christi Septuagesimo primo post Millesimum trecentimum in domum viriis Insule vulgò zue den grüenen Wörd Joannitæ Argentinæ in suburbano Carrificum recepti sunt; quæ dudum à Wernbero Senescalco Homburgensi anno Millesimo ducentesimo tricesimo tertio pro Canonicis Regularibus fundata &c.* Et sic ille, quæ eadem refert etiam Bernardus Herzog jam ante citatus lib. 4. fol. 99. sub his verbis. *Vnder diesem Bischof Lamperto wurden im Jahr 1371. die Joanniter Herrn zue Strassburg zue grüenen Wörd aufgenommen, welcher zue vor von Herrn Wernbern Marschallen zue Swmenberg im Jahr 1233. für etliche Domberrn gestiftet worden;* ubi disertè notandum, per Canonicos Germanicè Dombherrn nuncupatos, isthuc haud intelligi alios quàm Regulares Augustinianos, prout ampliùs liquet ex dicendis infra V. *Dachsteinense*, & sic quidem in evidens testimonium antiquæ Regularitatis Canonico - Augustinianæ vel olim Cathedralibus Canonicis usitatæ.

## ARGENTORATENSE IV.

**C**anonorum Regularium Monasterium inter omnia, quæ de præsentì Germania nostra habet, fundatione quidem novissimum, dignitate tamen & excellentiâ suâ meritò primariis connumerandum, utpote *Regalis Ecclesia S. Ludovici* seu Sacratissimo huic Galliarum Regi Confessori dicata, cujus initia Reverendissimus Prænobilis ac Amplissimus Dominus D. Augustinus Ven. memoriæ Monasterii Marbacensis in Superiori Alfatia Præpositus denuntiavit mihi per proprias de dato, 1687. die 26. Novembris gratiosè directas, quæ inter alia sic habent. *RR. DD. Confratres nostri Congregationis Salvatoris in Lotharingia ante quatuor annos ex munificentia Christianissimi Regis obtinuerunt Ecclesiam quandam in civitate Argentinensi, quæ eadem ipsa Ecclesia dicitur olim adspectasse ad RR. PP. Carmelitas, postmodum ab hæreticis violenter occupata, & profanata, sed & luridæ mercaturæ deputata, ac proin à civibus Heterodoxis contemptim vulgò die Vnchlit Kerzen vocitari solita nimirum vendibili sevo servando destinata. Restauratur modò eadem hæc Ecclesia sumptibus Regiis, & (uti sperare juvat) ad festa Natalitia proximè ventura inofficiabunt illi. Procurabit etiam sua Regia Majestas ædes magnificas (olim ipsam Carmelitarum Monasterium) sat magno ære seu aliquot millibus Imperialium florenorum summa coemptas, in quibus antedictis ædibus commodè habitare poterunt Religiosi Canonici plus mintis triginta; licet de præsentì solummodo sex ibi commorentur; quorum unus Franciscus Mercier Prior Monasterii de Luneville in Lotharingia jam per tres menses hic hospitat, idioma Germanicum (cujus elementa adhuc puer avidissimè didicerat) meliùs & perfectiùs edocendus; cum quo eodem descendet Argentinam etiam unus ex nostris à Reverendissimo P. Generali eorum instantissimè postulatus, qui ibidem Germanicum Concionatoremaget. Erit semper & vocabitur Ecclesia hæc proprio nomine suo Parochia Regalis, & Parochiani illius maximè præcipuè erunt Ministri ac Consilarii Regii, item Principales Belli Duces, ac Colonelli cum militibus suis; hinc singulis diebus Dominicis & festis erunt duæ Conciones, una Gallica, Germanica altera, & dabuntur à Christianissima Majestate suâ ante dicta pro singulis Religiosis Canonicis annuatim centum Imperiales &c. Faxit Cælum, ut ad majorem superni Nunini gloriam & Sacri Canonici Ordinis nostri exaltationem sine præjudicio aliorum bene succedant omnia. Ita litteræ citatæ, item anno proximè sequenti de dato Argentorati 1689. die 20. May Concanonicus noster Plurimùm Reverendus ac Clarissimus Dominus Franciscus Mercier de statu ejusdem novæ Canonix hujus Argentoratensis rescripsit ad me sequentia.*

Ludovicus XIV. verè Magnus Rex nosler Christianissimus salutem subditorum suorum non temporali solum tuenda, verum etiam aeternae procurandae magnò Zelò ac Regià vereque Paterna pietate & solitudine invigilans Argentorati paucis abhinc annis in ditionem Regiam subacti praeter Paroecias in Cathedrali geminaque Collegiata Ecclesia jam existentes, adhuc tres alias instituit, easque Viris pietate ac doctrinà praecipuis Clericalis videlicet Ordinis tantum, quibus per se docere competit regendas, committi curavit, ut nimirum oves tam in dicta Civitate quam in territorio illius per totam Alsatiam à vera fide aberrantes, in ovile Ecclesiae Catholicae (extra quam non est salus) paulatim auxiliante Deo veniæ Largitore & Humanae salutis Amatore omnes reducantur, quem ob finem saepe dicta Parochialis Ecclesia sub titulo & Invocatione S. Ludovici Galliarum Regis erecta suis ornamentis pretiosis & necessariis, Argenteaque Suppellectile sumptibus Regiis apprime instructa cum amplissima domo dictae Ecclesiae contigua Canonicis Regularibus reformatis à Zelosissimo illo Vrbi & Orbi notissimo Dei Servo Ven. P. Petro Fourerio de Mattencur sub hac denominatione in Gallia optime notis commissa, traditaque fuit, ubi praedicti Canonici Regulares numero suo Collegium facientes non solum Pastoralia munera, officianque divinum diebus praesertim festivis exemplari decore ac devotione persolvant, sed etiam scholas publicas, idioma Gallicum & Germanicum aperiant singulis Canonicis annuam pensionem liberali munificentia praebente, favente, ac sovente. Unde apud Primarios Urbis hujus Proceres & Ministros Regios singulari sunt amori, decori, & honori. Donet Deus novellae huic plantationi irriguum superius, irriguum inferius, ut in dies majori cum incremento vberes, ac salutiferos in Christo fructus afferat ad salutem multorum in Israel. Fiat! Fiat!

#### ARGENTORATENSE V.

Communiter S. Stephani intitulatum seu eidem Protomartyri Christi dedicatum, Patriae nobilitatis Parthenaeum est, idem primitus pro Sacris Virginibus & quidem sacros canones Augustinianos professis ad laudes divinas jugiter in Ecclesiam concinendas Autoritate ordinaria introductis annò non notatò fundatum, de quo eadem (lapsu temporis statutis Regularibus longè posthabitis) iniquitate temporum merissimè secularisato Wolfgangus Lazius de migrat. gent. lib. 8. fol. 392. in haec verba legendus. Adalbertus Attici Ducis Filius Otiliae Hettonis Comitiss Brisgovienensis Hugonis Comitiss Alsatie atque Bataconis Comitiss Wilertalensis, ac Eugovie Germanus Frater in Ducatu Patri successit, licet alii mortuum ante Patrem, alii ab ipsomet Patre interfectum fuisse memorent. Constat tamen Edelsassiam, hoc est, nobilem illam terram Ducatus Alemannici possedisse, quae modò per Syncopen detruncatà voce Elsatia vel Alsatia nuncupatur, ubi videlicet duo construxit Monasteria, unum Benedictinorum Monachorum in Insula Honovu, quod postmodum Argentoratum translatum, & in Canonicos conversum, ad veterem S. Petrum ibidem appellatum fuit, alterum verò intra mœnia Argentorati pro Vestalibus fundaverat ad Divum Stephanum denominationem, ubi filia Adalberti Attala nomine Abbatissam primam egit.


#### ATREYENSE, SEU ALTERÿ ACENSE MONASTERIUM,

Seu Abbatia Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in ducatu Lotharingiae sub limite Diœceseos Tullensis comprehensa de Congregatione Salvatoris est, & vocatur Nostrae Dominae Atreyensis, de quo novissime succinctam illius descriptionem accepi, inde transmissam, prout sequitur. Sedens in Pontificatu Calixtus Papa secundus paulo ante obitum Cardinales duodecim creavit, è quorum numero nepos ejus, Stephanus Theodorici Comitiss de Bar &c. postea Metensis Episcopus, ut sibi subditos in Vosago securos faceret, ac tutos, urbem Rambervillam muris circumdedit; verum paulò post bellis, quae cum Principibus vicinis sustinuerat, non nihil fractus, opes suas in edificationem Religiosarum Domorum convertit. Unde anno 1144. non procul à praedicta urbe Rambervilla Monasterium erexit, Atreyum vocatum, quod secundum aliquos praè magna sylvarum, ibi tunc existentium multitudine, ac densitate iter esset valde atrum, & opacum, quasi atrum iter. Omnes illius Episcopi successores non modo omnes Donationes insuper cum privilegiis addiderunt; quae privilegia postea Lucius Tertius, & Innocentius Tertius, alique Pontifices, nec non Concilium Constantiense 20. Martii anno 1410. ampliaverunt. Abbas Claudius Steneneii incepit anno 1537. ejus Ecclesiae chorum, collateralesque capellas sanctis Humberto, & Nicolao dicatas juxta praecelaram structuram Ecclesiae S. Nicolai in Lotharingia magnificentius instaurare. In praedicti Chori fenestris Mysteria vitae, ac mortis Christi sunt ad vivum depicta; magna illuc confluentium hominum devotione colitur ibidem insignis Reliquia praedicti S. Humberti propter frequenter, & miraculosas à morbis liberationes, maxime illis contingere so itas, qui rabidorum canum morsura læsi fuerint, aut mente capti sunt. Introducta fuit Reformatio ab anno 1655. Abbatum series notatur sequens:









Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a title or a list of items.

Vertical text on the right margin, likely a list of items or a table of contents, including numbers and names.



## SYLLABUS ABBATUM CANONIAE ATREYENSIS.

- I. *Anselmus*, praeuit annis 34. à Theodōrico Episcopo Metensi confirmationem fundationis obtinuit anno 1176. obiit anno salutis 1178.
- II. *Millonius*, vixisse notatus sub Lucio III. PP. M. qui ad Pontificatum electus est 1181. item sub Petro Episcopo Tullensi anno 1183. praeuit annis 8. obiit 1186.
- III. *Vidricus*, qui primo statim sui Regiminis anno confirmationem obtinuit bonorum suae Abbatiae à Berwano Episcopo Metensi anno 1187. praeuit annis 22. mortuus 1208.
- IV. *Rudolphus*, qui bona suae Abbatiae, benefactorum ope notabiliter ampliavit; quot autem annis praeuerit, non invenitur, ut & successores, ad annum usque 1290.
- V. *Dominicus*, vixit circa annum 1294.
- VI. *Joannes Gerson*, praeuit annis quinque; vinculo mortalitatis enodatus, abiit 1299.
- VII. *Gerardus*, praeuit annis 16. obiit 1315.
- VIII. *Joannes*, Abbatiam tenuit annis fere 25. obiit 1340.
- IX. *Matthaeus*, ad clavum suae Abbatiae sedit annis 7. obiit 1347.
- X. *Nicolaus*, praeuit annis 34. mortuus 1381.
- XI. *Richardus*, duobus tantum annis suam rexit Ecclesiam, sepultus suis cum Patribus 1383.
- XII. *Jacobus*, praeuit annis sex, mortuus 1389.
- XIII. *Joannes de Poutretin*, rexit 28. annis, obiit 1417.
- XIV. *Joannes Gomel*, post 22. annorum Regimen decessit 1439.
- XV. *Didacus Chaillii*, clavum tenuit 30. annis, obiit 1469.
- XVI. *Joannes à Chavell*, Coadjutor electus anno 1468. successit anno sequenti in Abbatem, & praeuit annis 12. obiit 1481. Hucusque Abbatia hæc unita scitur Congregationi de Aroaisie.
- XVII. *Joannes Kenaud*, rexit 19. annis, mortuus 1500.
- XVIII. *Nicolaus Mercier*, praeuit annis 13.
- XIX. *Claudius Stavancus*, restauravit Ecclesiam anno 1537. obiit 4. Sept. 1548.
- XX. *Thomas Piorell*, obiit 1554.
- XXI. *Joannes Chatelaia*, praeuit usque ad annum 1577. quo resignavit.
- XXII. *Claudius Chevalier*, eodem anno iterum Abbatiam resignavit.
- XXIII. *Nicolaus Laurentius Malloze*, raro exemplo, ut bonus Pastor, suos rexit annis 57. anno 1634. senio, & laboribus fractus resignavit Nicolao Seraville, quem anno 1631. in Coadjutorem sibi assumpsit. Sub Regimine Nicolai Laurentii habitus albus in nigrum, quem hodie dum gestare solent hi Canonici, mutatus est permissione Clementis VIII. P.P. anno 1604.
- XXIV. *Nicolaus Seraville*, suam Canoniam cum Congregatione Salvatoris nostri univit; resignavit & ipse 1660. Carolo Mildat, Canonico Tullensi.
- XXV. *Carolus Mildat*, praeuit annis 39. obiit 20. Augusti anno 1699.
- XXVI. *Josephus Sulpitius Pastoret*, obiit 1. Aprilis 1721.
- XXVII. *Claudius Franciscus Duval*, anno 1720. factus Coadjutor, hodie dum adhuc praeest, laude immortalis dignus, qui & Nestoreos vivat annos!

## AUGIENSE.

Item *Auense* & *Avense* patriâ linguâ verò communiter *Av.* nuncupari solitum, siquod aliud vetustissimum in secundâ Boicâ sub districtu Archidiocesis Salisburgensis inclutum hodie Canoniorum Regularium Monasterium. Juxta mentem Joannis Aventini (quem citat Hundius in Metrop. tom. 2. fol. 130) cæpit annò 1050. Authore Conrado Comite à Medling & Frontenhausen, cujus Posteris aliquando potentes & eximios Augiensis Ecclesiae istius fuisse advocatos memoratur loco citato. Verùm de hoc (ut ibidem dicitur) certi quidquam nihil habetur; imò quod plus est ratione temporis multò antiquiorem esse Augiensem fundationem istam dilucidè constat ex Annalibus Bavariae apud Adlzreuterum part. 1. lib. 7. num. 43. ubi celeberrimus Author iste certa fide refert, Thassilonem nominatissimum illum Bojorum Ducem inter plura Bavariae tum inferioris, tum superioris Monasteria etiam *Augiense* istud omnino novum condidisse, quod postmodum partim hostili irruptione Hunnorum, partim verò bellis intestinis ad annos ferè 20. pessimè neglectum, quorumcunque demum pia liberalitate resuscitatum fuit; à quo tempore usque in praesens Venerabilis Canoniam ista in genuino vigore constans permansit. Vide Antonium Wilhelmum Ertl in Atlante Bavariae anno 1705. typis Norimbergensibus in 8. editum part. 2. fol. 144. Index Praepositorum (quijam ab anno 1164. Tom. III. Cann. Regg. Origines. G g usum

ufum Pontificalium exercent,) licet incompletus tantum, prostat in citatâ Metrop. Salisburg. loco supra citato.

Quibus omnibus hactenus recensitis oportune juvat hic subdere novam Historiam Salisburgensem Authore Josepho Mezger, Ascetâ Benedictino apud S. Petrum nuper anno 1692. typis Salisburgens. in folio excusam, quæ de Origine & Processu Nobilissimi Collegii hujus Augiensis lib. 6. fol. 1242. sic habet. Quod foundationem & Originem hujus Monasterii concernit, ex tribus Monumentis, nimirum pervetustâ Reliquiarum SS. hujus loci descriptione, libro traditionum, quem Canonicus Augiensis anno 1113. conscripsit, & Chronico D. Abrahami Cronperger Præpositi ibidem, habentur sequentia: Ediffina nobilissimo Regum Brittanorum stemmate oriunda S. Ursulæ V. & M. cognata principum Cænobio Augiensi dedit. Nam Romam profecta, cum multas illic Reliquias collegisset, inde redux superatis alpebus ad Oenum fluvium delata, secundis ejus undis deventa, & Augiam appulsa, cepit eam cum suis Sodalibus habitare, cælum precibus sollicitare, sacras, quas attulerat Reliquias colere, Deo Deiparæque vacare. Cujus virtus & Pietas Theobardum & Hilgardin Comites de Megdling adeo demeruit, ut Augiæ Sacellum B. M. Virgini sacrum, cum Parthenone Virginum Deo devotarum, annò post Christum natum 384. constituerint. Cæterum Parthenone vel bellorum cladibus, vel aliàs exhausto, Chuno Comes de Megdling, & Adelhaidis Uxor ejus Comitissa Tyrolensis de Eppan annò Christi 920. Cænobium Augiense extruxerunt, fundarunt, & Religiosis Viris Canonicorum Regularium S. Augustini assignarunt. Hactenus præcipue vetustissima illa SS. Reliquiarum descriptio, quæ vel suâ antiquitate maximam fidem promeretur.

Idipsum confirmat Vetustissimum Marmor, sub quo Fundatores conditi sunt cum hoc Epitaphio: *Anno 1020. Obiit Dominus Chunn Comes de Megding, hujus Monasterii Fundator hic sepultus, & Adelhaidis Comitissa de Eppan Uxor ejus.*

Eidem rubro Marmorì etiam hæc inscripta sunt verba:

*Anno ab Incarnatione Domini 384. supervenit hic Ediffina cognata S. Ursulæ, & S. Felicitatis & S. Vitalis filii ejus, & aliis compluribus: quam Ediffinam Comes Theobardus de Megding apud se cum Reliquiis hic fecit permanere, & primò construxit Sacellum B. V. Mariæ, & postea fundavit Claustrum Monialium in Ecclesiâ S. Nicolai (quæ nunc Parochialis est) Hæc ad verbum prædictum Marmor.*

I. Abbatem hujus Monasterii fuisse S. Rudandum, constans traditio asserit: cujus nos sacra lipsana & ossa grandia in Monasterii Hierothecâ reverenter asservamus. Pervetustus Germanicus Codex (è quo tot centenis annis SS. Reliquiarum Nomina populo prælegebantur) eum nominat hujus Cænobii Abbatem: ac nemo unquam sacras hujus S. Rudandi Reliquias in dubium vocavit. Et non tantum non reclamârunt, sed & publicè consenserunt Salisburgenses Archi-Episcopi, cum suis etiam Diplomatum & litteris statuere certum ostendendis sacris hisce Reliquiis diem, quo populis certatim confluentibus eorum nomina promulgabantur. Quid porro rerum gesserit, quo & quanto tempore vixerit, aut è vitâ migraverit, non constat; quia temporum bellorumque cladibus multæ litteræ, Codices, aliæque venerandæ vetustatis monumenta periëre, unde plurium Præpositorum nomina & res gestæ hauriri potuissent.

II. Secundo loco collocamus Hartwicum: qui vixit & rexit Cænobium, ut videre est in ejus litteris in membranâ scriptis anno 1068. ubi sententiam cujusdam Viri Nobilis Waltheri declaraturus sic incipit: *Ego Hartwicus Auensis Ecclesiæ Dei gratiâ Præpositus & Archi-Presbyter notiam facio omnibus &c.* Unde colligitur Præpositos Auenses fuisse Archi-Diaconos. De tempore Regiminis, & obitûs nihil habetur.

III. Fritello, de quo in Archivio nostro habetur tantum, quod aliquot prædia, præter alias plures donationes & legata obtinuerit. Præterea nihil.

IV. Fridericus I. de hoc ex Archivio habetur, quod multas egregias donationes, & insignia bona sub annis 1123. usque ad annum 1128. quo plenus meritorum vitâ excessit, Monasterio acquisiverit.

V. Hugo, Vir magnæ autoritatis interfuit celeberrimæ Synodo apud Zufen coactæ, & subscripsit. Obiit, cum vix regnare cepisset, magno suorum luctu anno 1129.

VI. Herbardus, fuit non solum Monasterii industrius Rector, sed & insignis Benefactor, magnæ eruditionis & virtutis, Viris Sanctis, Conrado nempe & Eberhardo Archi-Episcopis Salisburgensibus familiariter usus, Principibus, Nobilibusque Viris æquè charus, Oeconomicâ industriâ clarus, de suo Cænobio optimè meritus. Obiit, postquam annos 25. laudatissimè rexisset, anno 1154.

VII. Lotharius Vir magnus, Archi-Episcopo Eberhardo & Alexandro III. summo Pontifici admodum gratus, Augiense Monasterium & suis virtutibus insigniter ornavit, & oeconomicâ industriâ non mediocriter auxit. Rexit annis 41. Obiit anno 1195. 18. Februarii.

VIII.

VIII. Pabo, fuit Vir immortalī memoriā dignus, magnūque hujus Cænobii Benefactor, cujus tempore & suffragio Eberhardus II. Archi-Episcopus Salisburgensis Cænobium in suam specialem tutelam recepit, multæque Ecclesiæ incorporatæ sunt. Rexit annos 30. Obiit anno 1225. postridie Calendas Martii.

IX. Conradus ex nobili genere de Giebing. Ejus tempore mos & devotio increbuit, ut in honorem B. V. Mariæ Antiphona *Salve Regina* singulis diebus in choro in perpetuum cantaretur. Præfuit laudabiliter 34. annis. Obiit anno 1259.

X. Henricus, eximius Cultor Venerab. Sacramenti: primus instituit, ut in Ecclesiâ perpetuum lumen arderet. Præfuit annos 8. mortuus anno 1267.

XI. Rudolfus Monasterii jam ante electionem Benefactor, devotus in Deiparam, benignus in pauperes, pius in defunctos, anno non integro clavum tenuit.

XII. Eberhardus. Sub illo anno 1269. decimo Calendas Maji Henricus Chiemensis Episcopus Ecclesiam unâ cum Cæmeterio consecrav. Rexit laudabiliter annos 21. Obiit anno 1288.

XIII. Ortwinus, Vir zelosus, prudens Oeconomus, vicinis Principibus charus, rexit annos 17. Obiit anno 1306. nonis Aprilis.

XIV. Wernherus, fuit diligens rerum alienatarum recuperator, acer Jurium ac privilegiorum Cænobii Vindex & Propugnator. Obiit piissimè, postquam præfuit annos 8. anno 1314.

XV. Theodoricus. Præfuit laudabiliter. Obtinuit pro Defunctorum refrigerio perpetua suffragia, & Anniversarios dies. Mortuus anno 1318.

XVI. Fridericus II. gravibus temporum injuriis obnoxius, ad æternitatem abiit anno 1326.

XVII. Bernhardus, fuit optimus Oeconomus, & insignis cultor B. V. M. uti colligitur ex ejus Epitaphio lapidi insculpto, in quo hæc leguntur: *Recordare Virgo Mater, cum steteris in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, & avertas indignationem ejus à nobis.* Præfuit 35. annis, obiit anno 1361. 15. Calendas Octobris.

XVIII. Udalricus, præfuit 35. annis, tempore turbulento, laudabiliter. Obiit anno 1386. 4. Junii.

XIX. Fridericus III. præfuit optimè 10. annis vitâ functus anno 1396.

XX. Franciscus I. Vir frugalis, modestiæ inprimis studiosus, amans suorum, vicissim amatus, eximiè prudens, optimus Oeconomus. Obiit anno 1422. 2. Julii.

XXI. Petrus I. præfuit 23. annis, eximius Deiparæ Virginis amator, ut colligitur ex ejus Epitaphio, in quo leguntur sequentia: *Ave Regina Cælorum, Mater Regis Angelorum, ô Maria flos Virginum, velut Rosa vel lilium, funde preces ad filium pro salute fidelium. O Maria!* Obiit anno 1445. 4. Julii.

XXII. Vincentius, rexit Monasterium 7. annis: ob studiosam Passionis Christi memoriam repræsentatur in Marmore sepulchrali genu flexus coram Crucifixo, cum hoc Epitaphio: *Hic est sepultus Ven. Pater ac Dominus Vincenzius Præpositus & Pastor hujus Ecclesiæ, Doctor Decretorum.* 1452.

XXIII. Georgius, præfuit 11. annis, de Monasterio, & Ecclesiis, quas exornavit, optimè meritis. Excessit è vivis anno 1463. in die S. Theclæ.

XXIV. Joannes I. vix per annum Præposituram tenuit, & liberè resignavit.

XXV. Wilhelmus: præfuit annis 40. satis diu, diutius tamen in desiderio fuit, ut viveret. Hic ob plurima beneficia immortalī memoriā dignus est. Nam illius temporibus Ordo Canonorum Regularium S. Augustini in Au confirmatus est, multæ Ecclesiæ Monasterio incorporatæ, usus Infulæ, & facultas liberæ Electionis Præpositi à quatuor summis Pontificibus impetrata, ipse cum suis in specialem tutelam Sedis Apostolicæ receptus, super hæc legi poterunt Bullæ in Bullario Lateranensi append. fol. 2. & 4. Obiit an. 1505.

XXVI. Christianus, nobili stemmate natus, præfuit 11. annis, in B. V. Mariam maximè pius & religiosus piè obiit anno 1515.

XXVII. Sebastianus, insignis Cænobii Benefactor, nobili stemmate ortus, Religiosus, eruditus, & eruditorum cultor, cultûs divini in Cænobio strenuus promotor. Obiit anno 1524. 9. Novembris. Ejus effigies cum condigno Epitaphio insculpta est Marmorī cum insignibus, & elevatis ad cælum manibûs.

XXVIII. Petrus II. Häckl, sub ipso Cænobium fortuito incendio ad extremam pauperiem redactum, optima ejus Oeconomiam restitutum est: fuit Vir insigni modestiâ & animi submissione. Postquam 15. annis optimè rexisset, liberè resignavit anno 1539.

XXIX. Christophorus Layminger: ejus virtutem unanimis omnium in ejus electionem consensus testatur: sed vix integro anno præfuit cum magno suorum luctu vitâ excessit.

XXX. Joannes II. Cronperger, insignem fabricam de novo construxit, insignibus suis in vitreis fenestris depictis hæc lemmata adscribi voluit: *Joannes Præpositus in Au. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos. Esa. 40. Et: est melius, clarum fieri, quam tempore nasci; virtutem, si vis nobilis esse, cole.* Præfuit 13. annis. Obiit anno 1553. 17. Julii.

XXXI. Joannes III. Haimoltinger: sub eo disciplina Religiosa notabiliter fuit aucta: amans fuorum, ab iisque amatus multum frumenti, vini, & pecuniæ post se reliquit. Obiit anno 1581. 3. Augusti.

XXXII. Abrahamus Cronperger, præfuit annis 12. sed finis principio non respondit.

XXXIII. Mathias Vogt, Vir zelosissimus, & in Regularis observantiæ studio accuratissimus, quam solertissimè restauravit. Obiit anno 1604. in vigiliâ S. Mathiæ.

XXXIV. Balthasar Endres, præfuit 24. annis, Vir omni virtutum laude conspicuus, singularis pacis ac concordiæ amator, nunquam nisi vitis, ac imprimis discordiæ irasci solitus, hoc Symbolo usus: *Læsa patientia fit furor:* Nullo non die Sacris operatus maximus B. M. V. cultor extitit, dicere identidem solitus: *O Maria, si me deserueris, ero desertissimus.* Obiit piissimè Wasserburgi anno 1628. 2. Januarii. Cadaver navigio impositum secundo Oeno ad Augiensem Ecclesiam devectum, ibique tumulatum est.

XXXV. Ambrosius Sumpperer. Professus est Ordinem in Monasterio Dieffen; & cum esset doctrinâ & virtute conspicuus, ut in Augiensi Cœnobio Decanum ageret, postulatus: atque hoc munere per triennium laudabiliter functus, ad Insulam quoque promotus est. Disciplinam Regularem apprimè curavit; præcipuus extitit cultor dulcissimi Nominis Jesu: unde in ejusdem honorem Sodalitatem instituit, multa extruxit ædificia, totam Ecclesiam novis altaribus exornavit: Obiit piissime, postquam 20. annis præfuit, anno 1640. 7. Septembris.

XXXVI. Georgius Eisenböck, magnis bellorum cladibus obnoxius, Vir insignis doctrinæ, Prælaturam alteri sponte cessit anno 1651. piissimè obiit anno 1683. 9. Novembris.

XXXVII. Alexander Kaut, præfuit & profuit 39. annis laudabilissimè, Vir zelosus, & Justitiæ singularis amator & propugnator, solitus frequenter dicere: *Fiat Justitia, & pereat Mundus.* Oeconomus fidelissimus, Monasterium à maximis debitis, bellorum tempore contractis, liberavit. Cœnobium quidem ædificare cœpit, sed Mors consummare non permisit: Sacris omnibus munitus obiit cum rarò resignationis exemplo anno 1690. 21. Decemb. Epitaphium illius sepulchro tale inscriptum legitur.

*Epitaphium Rmi. Præpositi Augiensis ALEXANDRI.*

Hic jacet ALEXANDER KAUT;  
Verè CAUTESIA Proles.  
Quia KAUT erat CAUTES,  
Etiam ferreis sæculis.  
Sibi CAUTUS, suis CAUTERIUM,  
Vixit CAUTE, quia vixit diu.  
Mortuus est CAUTE,  
Quia prius ritè provisus est:  
Erat KAUT nunquam magis CAUTUS.  
Non tamen fuit tam CAUTUS,  
Quin à morte CAUTERIATUS  
Obiret die 21. Decembris anno 1690.  
Post annos vitæ 72. Insulæ 39.  
Sit tibi Lector CAUTUS CAUTELA,  
Et tu sis KAUTO Medela;  
Ac quoties calcas CAUTEM,  
Clama, nec cesses:  
Requiescat in Pace!

XXXVIII. Franciscus II. Vir ingeniosus & bonæ Indolis, insignis amator D. Annæ & S. Josephi, quorum cultum & venerationem maximè promovit, instituendo duas Confraternitates. Unam in honorem S. Josephi, alteram in honorem S. Annæ. Primam quidem non in Ecclesiâ Collegiatâ & Regulari, sed in proximâ Parochiâ eidem incorporatâ, uno duntaxat Milliarum ab Ecclesiâ Collegiata & Regulari distante, nunc quidem vulgari nomine *Pirthen*, antiquitus verò *Maria speciosa de Porta* nuncupatâ, loco celebri & Miraculis claro, ubi sculpta B. Virginis Imago miræ Pulchritudinis à frequenti populo honoratur & colitur. Alteram autem ad Collegiatam Ecclesiam Augiensem direxit, ubi



ubi novam Capellam cum Altari ædificari curavit in Honorem sanctissimæ Christi Avix S. Annæ, ubi S. Congregatio nova quot annis incrementa sumit. Cæterum Idem ipse Venerabilis Præful amplius laudatur perdurante Claustrali Regimine suo sæpefatam Augiensis Ecclesiam suam oppidò ditasse, seu pretiosâ suppellectile, maximè verò Sacerdotalibus, uti vocamus, paramentis in Ministerium divini officii coaptatis sat splendide decorasse simul ac locupletasse: cujus ejusdem quoque venerabilis memoriæ Præpositi industriæ debetur decora satis ac omni contuitu suo jucundè spectanda Matrix Augiensis Ecclesia, vel secundum medietatem totâ antiquitate suâ aliquando satis obsoleta, venustè renovata, alterò tanto illius Successori pro simili renovatione relicto; dum scilicet mors inopinata ulterius progredienti violentas manus iniecit.

XXXIX. Augustinus, hoc nomine dignissimus, quòd vitâ & Exemplo Sanctissimum Patrem nostrum pro viribus imitatus sit. Vir iste Religioso Cætui suo tam charus fuit, ut omnes ipsi longævam vitam quàm maximè optassent, si Deo ita placuisset, ita nimirum affabilis, benevolus, discretus, in omnibus providus, & paterno affectu singulis inclinatus fuit, ut omnes in sui amorem raperet. Erat ille Religiosæ disciplinæ rigidus observator, & quoad Religiosam Paupertatem tam exactus, ut Proprietatem tanquam Pestem Religionis semper execratus fuerit. In exhortationibus Capitularibus ita fervens, zelosus, ac in Doctrinâ solidus erat, ut omnes ipsum avidis auribus exceperint, & uti nullus dubito, magnum exinde fructum hauserint. Accedit insuper, quòd non ita pridem Romæ privilegia Lateranensia impetraverit, plura præstiturus, nisi quadrienniò sui Regiminis absolutò, & Ecclesiæ ædificiò vix inceptò mors præmatura ipsum Suis eripuisset, magnò sui in omnibus relicto desiderio.

XXXX. Joachimus.

### AUGUSTANA I.

Cathedralis Ecclesia Deiparæ Virgini sub titulo *B. Mariæ ad Elisabeth visitantis* dedicata, eaque ceu Suffraganea sub Metropolitanâ Moguntinensi comprehensa, atque eadem ipsa sub ingressum sæculi quarti nimirum anno Christiano 303. fundata, à sui principio nunquam non Regularis fuit, seu continuò Canonicos Cathedrales habuit in claustrò degentes, & laudabilem communitatem observantes, & sic quidem usque ad annum circiter 1077. de quo Carolus Stengelius Abbas Ord. S. Benedicti in Commentario rerum Augustanarum part. 2. cap. 29. fol. 142. n. 13. sic habet: *Hactenus (usque ad prædictum annum subintellige) Episcopi cum suis Canonicis vitam communem & Apostolicam nullius omnino rei proprietatem sibi usurpantes sectati sunt; sed cum paulatim à Regulari tramite discedere cœpissent, communem vivendi modum abiecerunt præter duos, vel tres, qui sibi extra civitatem quandam cellulam seu Oratorium S. Georgii construxerunt, in quo ut communem & regularem vitam observarent, Episcopus liberaliter omnem victum & vestitum ipsis ministravit, præfueruntque iisdem Episcopi, donec illis per Sibothonem (qui ab anno 1227. usque ad annum 1252. Pontificatum gessit) potestas facta est, eligendi Præpositos.*

### AUGUSTANUM II.

SEu alterum in eadem antè dictâ Imperiali Civitate Augustanâ Canonicorum Collegium, istud tamen de Ordine S. P. Aurelii Augustini & communiter S. Crucis intitulatum, seu vivificæ arbori, in qua Christus triumphavit, ejusdemque mors mortem superavit, gloriosè dedicatum, perstat hodie totâ propemodum Germaniâ longè latèque celeberrimum ob Miraculosam nimirum SS. Sacramenti Altaris Hostiam jam toto quinque Sæculorum decursu sub specie carnis humanæ devotissimè contuendam, eamque in propria sua S. Crucis Ecclesiâ quotidianis miraculis coruscantem. Primitus autem fundatum fuit insigne planè Cœnobium istud, hodie viris quâ pientissimis, quâ doctissimis refertum, anno gratiæ Humanatæ 1155. Authoribus Conrado Marefcalco de Calatin furculo Illustrissimæ familiæ seu stirpis ultimo, & Catharinâ Coniuge cœqualis quidem generis, diversæ tamen Lineæ agnatâ, in honorem Servatoris Nostri Domini JESU Christi, Deiparæ Virginis Mariæ, & S. Nicolai Episcopi dicatum & dedicatum; quod ipsum novum Religiosum Domicilium istud primam locationem suam accepit intra limites Marchionatus Burgoviensis in Sylvâ quadam prope Pagum *Muttershofen*, forensi territorio Civitatis Augustanæ conterminum; quod tamen ipsum hoc ante memoratum Cœnobium Conradus è Comitibus à Lüzelstein S. R. I. Princeps & Episcopus Augustanus, elapsò quinquenniò nimirum anno 1160. in Hamelbergum Augustanis viciniorem oportune transtulit, ac tandem jam tertio loco motum Vdalricus Comes Tennenlachsensis in eadem Cathedrâ Successor (intermediò Hartwicò) proximus annò 1194. in ipsam sæpefatam ad Hospitale S. Crucis appellatum recepit, Hospitalariis prioribus hujus loci Inquilinis ad aliud quoddam ejusdem Urbis diversorium translatis.

## SYLLABUS

Reverendissimorum DD. Præfulum ad S. Crucem Augustæ Vindelicorum.

- I. B. Bertholdus in antiquis chartis *Vir Sacris studiis totus deditus* condignè nominatus, proin magnâ Sanctitatis famâ apud Posteris inclytus; qui demum expletis sui regiminis annis 40. meritis clarus in Domino sopitus, & Necrologio Domestico inscriptus legitur ipsis Calendis Januarii annò gratiæ 1234. atque is est Bertholdus ejusdem S. Crucis Præpositus, qui sub annum 1199. primus adoravit Miraculosam SS. Sacramenti Altaris Hostiam, sub specie carnis humanæ cunctis admirandam, ac modò per integrum quinque sæculorum decursum quotidianis miraculis coruscantem, cujus divinissimi portenti Jubilæum anno 1699. mense Majo celebrârunt Religiosi Canonici hujus Augustanæ Inquilini, & quidem cum eâ, qualem tota civitas Augustana in Sacris usque id ævi nunquam vidit, solemnitate etiam ad octiduum protractâ, multis interim Convenarum & advenarum millibus catervatim in id advolantibus, sed & ipsis quoque Heterodoxis civibus Augustanis rei novitatem, ac festivissimum plausum supra nimis obstupescensibus, prout amplius exponit ipsa Celebritatis hujus Historia, eodem anno 1699. Typis Monacensibus in 4to edita, ad quam hîc remittimus venerandum nobis Lectorem, feriem sacri tripudii hujus nosse cupidum.
- II. Vdalricus I. electus annò 1234. perdurante Regimine suo ex gratiosâ concessione Hartmanni Comitis de Dillingen & Kyburg feliciter obtinuit Decimas omnes, tam intrâ quàm extrâ civitatem Augustanam de jure & consuetudine solvendas Monasterio suo perpetuis futuris temporibus jure perpetuo colligendas ac possidendas. Ejusdem porrò Vdalrici Præpositi hujus temporibus, & quidem anno 1261. cum Hartmannus Episcopus antedictus (quonam Zelo vel motivo in id adductus haud benè constat) ipsam hoc sæpe memoratæ S. Crucis Cœnobium Augustanum Fratribus Hospitalariis Ordinis Teutonici in possessionem quidem obtulit, contrâ ac Cathedrale Capitulum Augustanum fortiter obstitit, ad cujus infantiam Alexander Papa IV. proprio quodam diplomate sancivit, Ordinem, habitum, & Regulam S. Augustini isthic loci perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observandam; ipse autem Vdalricus Præpositus, fati absorptus, emigravit anno 1270.
- III. Bertholdus II. electus anno 1270. vitâ simul ac Prælaturæ munere decessisse notus anno 1298.
- IV. Henricus I. de Laugna cognominatus electus anno 1298. de nobilissimâ rerum gerendarum prudentia ac peritia sua plurimum in actis commendatur, dimissis fascibus claustralibus tumulo illatus fuisse perhibetur anno 1344. die 13. Febr.
- V. Arnoldus Burgthor, electus anno 1344. piissimè in Domino fuisse demortuus perhibetur Calendis Martii anno 1358.
- VI. Vdalricus II. Gersthofer cognominatus, electus anno 1358. post expletum annorum 27. decursum, eumque in claustrali regimine laudatissimè transactum, ad plures digressus, in propriâ Ecclesiâ suâ tumulum accepit ad Altare S. Ægydii Abbatis Confessoris anno 1386.
- VII. Conradus electus anno 1386. vix biennio præfuit, & successioni locum dedit anno 1388.
- VIII. Henricus II. electus anno 1388. debitis Prælaturæ honoribus vix delibatis, mox sub ingressum anni proximi sequentis præter omnem spem citius mortuis accensus anno 1389.
- IX. Vdalricus III. electus anno 1389. itidem uno solum anno, & quidem nec integro præstitit, & carnis farcinam vel invitus depofuit eodem adhuc anno prædicto 1389.
- X. Petrus electus anno 1389. septennio constitit, & fati urgentibus denuo regiminis fascis dimisit anno 1396.
- XI. Nicolaus electus anno 1396. biennio solum regimine claruit, terrestrem mortalitatem exutus anno 1398.
- XII. Petrus Secundus cognomento Steinherus electus anno 1398. novennio præfedit, & post mortem præ queisvis Prædecessoribus suis amplius honoratus, tumbæ marmoreæ illatus fuit anno 1407.
- XIII. Henricus Tertius Endorffer, Patritius Augustanus ex Coadjutore Prædecessoris cum pleno titulo ac potestate competente anno 1407. in successorem delectus sui regiminis annos 27. plusquam laudabiliter explevit, & magnis meritis ex sedula Prælaturæ suæ administratione reportatis adeo cumulatus vitam terrestrem deseruit anno 1435.
- XIV. Stephanus Scherlinus electus anno 1435. quinquennis antistes in fauces mortis incidit anno 1440.

XV. Joan.

XV. Joannes I. cognomento *Dachs* appellatus de singulari rerum prudentiâ & industriâ rei œconomicæ pro notitia summopere commendatus morte inopinata decessit annô 1471.

XVI. Udalricus Burgschneider cognomine dictus triennio ferè præfedit, & morte temporali casualiter interveniente vel invitus Successori locum dedit, annô 1474. pridie Idus Junii.

XVII. Joannes Secundus *Fuchs* cognominatus, pro tempore Clericus Sæcularis de Choro Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ defumptus, atque autoritate ordinariâ in Præpositum S. Crucis confirmatus, ac simul etiam pro ratione temporis istius Ascetin Canonico-Augustinianam Professus, Juris Ecclesiastici nunquam non illibatè servandi, nec minimum quid violandi, Politico Civitatis Augustanæ Regimini fastidiosus, contrarius, & inimicus, Claustrum suum novis structuris nobiliter illustravit, & dum sic annis 14. fatis utiliter simul ac laudabiliter præstitit, longævâ corporis infirmi valetudine fractus in fata concessit annô 1488. die 22. Martii.

XVIII. Vitus Fackler Landspergensis Bojus præ cunctis Prædecessoribus suis ampliùs promeritus, cujus prudentiam in rebus benè gerendis palàm gloriosè demonstratam, inter alia vel maximè testatur amplissimum S. Crucis Augustanæ templum singulari Venerabilis Antistitis hujus industriâ non solum novum è fundamentis excitatum, sed & præ cunctis aliis Civitatis Augustanæ domatibus cupro obductum; requievit à laboribus suis, ex quo turrim quoque novam Ecclesiæ contiguam inædificavit, grossiorem atque quoque 52. centenariis gravem campanam in eâ suspendi fecit, mortuus ac sepultus annô 1517.

XIX. Jacobus Wegelinus, ex Riedlingen Austriacæ ditionis oppido in superiori Sueviâ Danubio fluvio propiùs adito, progenitus, anno 1517. mensè Martio delectus, ejusdemque mensis die 24. autoritate ordinaria ritè confirmatus passim inclaruit, de Religiosa discretione, palàm in omnes abundè demonstratâ mirificè commendatus, qui tandem post expletos Claustralis sui Regiminis annos 15. cum Patribus suis requievit annô 1521. die 30. Maji.

XX. Christophorus I. Gailius Dilinganus Suevus, præfacto anno 1521. Calendis Julii communi suffragantium calculo ad residentiam primæ dignitatis inter Con-Canonicos suos promotus, inde tamen annô gratiæ 1537. ac sui Regiminis 16. (nova Doctrina Lutherana intra civitatem Augustanam contra quosvis personas Ecclesiasticas oppidò tumultuante) cum reliquo univervo Clero die 17. Januarii emigrare coactus, & ad patrios lares Dilingam deportatus, tandem etiam ad Religiosos Con-Canonicos fratres ac respectivè filios suos Landspergæ in superiori Bavariâ in simul commorantes, seu potius in exilio consistentes appulsus, inibi decessit multâ laude clarissimus annô 1542.

XXI. Bernardus Werlinus ex Gundelfingen oppido Palatinatus Neoburgici apud Brentium annem situato originem trahens, electus anno 1545. die 19. Julii cum toto Clero Augustano in civitatem Augustanam & suum S. Crucis Monasterium autoritate Cæsarea Caroli V. Imperatoris postliminiò reductus, & in integrum restitutus, optimè præfuit usque ad annum, quem sibi fatalem habuit 1567. cujus fine propiùs accedente vivendi finem fecit die 3. Decembris.

XXII. Georgius Faiglin, Sexennio ferè præfedit, nempe usque ad annum 1573. gravissimum subiit periculum de Monasterio suo ad alienos transferendo, id temporis plusquam fortiter agitatum; de quo si placet, vide Wolfgangum Dietericum Cæsarem in Chronico Augustano part. 3. cap. 2. fol. 53.

XXIII. Antonius Beürer ex Ichenhausen Marcâ Provinciali de Marchionatu Burgovienfi ad annem Günzam situatâ procreatus. Ob insignem, quem semper præfetuisti Augustinianæ Religionis Zelum, ac quasi congenitam rerum gerendarum peritiam in administratione Claustralis œconomix multifariam cum multa laude continuò demonstratam anno 1573. die 3. Januarii ad Prælaturam Canonica electione dignè promotus, toto Regiminis sui tempore de propriâ suâ S. Crucis Ecclesia siquis alius optimè fuit promeritus, unde & condignos honores tulit, nempe Tiaram Præfularem cum reliquis Insignibus Pontificiis, quibus Antonius iste Præful optimus Maximus autoritate Apostolica simul & ordinariâ cum maximo concursantis Cleri ac populi tripudio fuit insignitus, hujusmodi prærogativâ etiam ad Successores posteros condonatâ; illustravit insuper idem ipse suum Monasterium variis ædificiis palam jucundissimè contuendis, ac tandem plenùs dierum obdormivit in pace anno 1605. die 24. Januarii.

XXIV. Joannes III. Schaall, Günzburgenfis Suevus S. R. E. Protonotarius, electus anno 1605. ob congenitam animi generosi virtutem, ac mirandam gubernandi facultatem simul & experientiam, aliâsque per plures corporis & animi dotes, non Domesticis tantum, sed extraneis quoque, imò & Viris Principibus tum Ecclesiasticis tum Politicis nunquam non acceptissimus. Fuit insuper Disciplinæ Canonice jugiter illibatè confer-

vandæ studiosissimus, item & decoris Domûs Domini ampliùs adaugendi semper amantissimus, unde & proprium suum S. Crucis templum priùs admodùm obsoletum mirifico splendore præclare fatis imbuit; Altaria in eo (quæ nova omnia fecit) rarissimis picturis exornavit, Paramenta Sacerdotalia oppidò pretiosa quàm plura magno fatis ære comparavit, Devorum Cælitum lipsana thecis aureis, argenteisque decenter inclusit, Festum SS. Miraculosi Sacramenti, injuriâ temporum aliquando neglectum præstituto die 11. Maji quotannis ritu solenni de novo celebrari constituit, pauperes & egenos funesto gravissimæ famis tempore maximâ alimentorum penuriâ benignissimè fovit, qui & demum spontanea resignatione Prælaturæ cessit anno 1636. demùm in Monasterio Högelwerthano (ubi ferè quadriennio adhuc superites reliquum vitæ curis omnibus absolutus transegit) in Domino mortuus & sepultus est anno 1640. die 29. Junii.

XXV. Vitalis Mozhardt de Zemetshausen Marcâ Marchionatûs Burgoviensis ortus, & ad Prælaturam sanioribûs Capitularium votis per communem electionem assumptus, toto Regiminis sui tempore gratiâ Hospitalitatis in omnes Viros Religiosos liberalissimè demonstratâ, summoperè commendatus inclaruit, quandoquidem haud paucos illorum (quos calamitosus Belli Suecici turbo mansionibus suis propulsatos, fortunisque exutos plusquàm terribiliter infestavit) intra paternum Monasterii sui finum benignissimè receptos perhumaniter habuit, pauperes, & famelicos tristissimo deficientis annonæ tempore in Urbe Augustanâ pro viribus adjuvit, numerum Canonicorum suorum insigniter adauxit. Verbò: nunquamnon ab omnibus pretiosè habitus, quousque demum Sacerdos Jubilæus factus annò Prælaturæ suæ 32. ætatis 76. Christi verò 1638. die 8. Augusti vitam liquit naturalem magnò sui desiderio passim apud omnes relictò.

XXVI. Franciscus Kögel, Ruperti Cathedralis Ecclesiæ Chiemensis in inferiori Bavaria Canonicorum Regularium Præpositi, & Archi-Diaconi Germanus Frater, natione Suevus ex Neoburgo ad Camlachum amnem in Marchionatu Burgoviensi honestiore loco natus. Idem jam ante susceptionem Prælaturæ officio Procuratoris, tum etiam Decani haud sine vulgari sui nominis laude solerter admodùm perfunctus inter alia, quæ post se reliquit, præclarissimi Regiminis sui testimonia turrim Campanariam (quod quidem à pluribus fuit desideratum, à nemine tamen hætenus fuit tentatum) ad singularem totius Cœnobii sui splendorem magnis sumptibus altiore erigi fecit, œconomiam nunquam non studiosissimè fovit, quo usque dierum plenus in bonâ senectute quievit anno 1678 die 16. Octobris. Cujus ad singulare præconium & memoriam apud Posteris perpetim recolendam præcipuè facit Religiosa Confraternitas cum Regularibus Canonicis Congregationis Gallicanæ id temporis florentissimæ, devotissimè contracta litteris publicis in perpetuam rei memoriam inde receptis, quæ sic sonant: *Franciscus Blanckart Abbas S. Genovesæ Parisiensis, & Canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ Præpositus Generalis, Venerabilibus ac dilectissimis in Christo Confratribus DD. Præposito, Decano, & Canonicis Regularibus insignis Præposituræ apud Augustam Vindelicorum salutem in eo, qui est omnium vera salus.*

*Quandoquidem in sortem & hæreditatem Dei ex speciali ejus dilectione pariter vocati unanimes habitemus in Dono Domini, ut verè Magni Augustini imitatores & Discipuli animam unam & cor unum in Deo semper habere & exhibere debemus, ea propter cùm regionibus distiti, & corpore longè ab invicem remoti, nullis aliis, quàm charitatis & unitatis Spiritûs vinculis copulari & conjungi valeamus; vos utpote Fratres amantissimos, & desideratissimos toto mentis affectu in visceribus Christi amplectimur, & diligimus, omnimòque Cælestium Benedictionum largam infusionem, cumulumque sanctissimæ Vestræ familiæ peroptamus, & apprecamur, & siquid adhuc superest gratiæ & muneris, quod Largitor omnium honorum Dominus, à quo omne bonum & omne donum perfectum impertiri donaverit, Vos participes facimus omnium & singulorum Sacrificiorum, Communionum, Orationum, jejuniorum, ceterorumque piorum operum, quæ in universa nostra Congregatione cunctorum meritorum Author Jesus Christus fieri concesserit, & Patrem Domini Nostri Jesu Christi rogamus, & obsecramus, ut hanc concessionem de cælo ratam habeat, nec non de inexhausto, & infinito Filii sui gratiarum thesauro nostram inopiam supplere dignetur. Datum Parisiis apud S. Genovesam die 28. Decembr. anno Domini Millesimo sexcentesimo septuagesimo. Franciscus Blanckart Abbas Præpositus Generalis. De Mandatis Rmi. Præpositi Generalis*

*Franciscus Claudius Du Molinet.*

XXVII. Christophorus Secundus cognomento Bader Augustanus, Joannis Petri Liberi Baronis de Paderkirchen, Domini in Streitteneck Serenissimæ Domûs Austriacæ ad publica Imperii Comitata Ratisbonensia Plenipotentiarum seu Legati Germanus Frater, brevè post mortem Prædecessoris sui ex claustrali Oeconomo communibûs omnium votis in dignissimum Antistitem S. Crucis electus, atque à Celsissimo Principe ac Domino D. Joanne Chri-

Christophoro Episcopo Augustano (assistentibus sui Ordinis Prælati Dionysio Wettenhusano, & altero Michaële Ulmensi) benedictione Abbatiali solenniter inauguratus, demum anno suæ Prælaturæ decimo, Christi verò supra Millesimum sexcentimum octogesimo octavo ætatis suæ 64. communi omnium bonorum luctu terris demortuus, Vir ex affe bonus constanter inclaruit, quem plus quàm verba commendant opera gloriosè ab ipso gesta, quæ inter hodiedum præter congenitum Zelum, & magnanimitatem apprime commendat etiam ipsum totum, quod ejus nempe Christophori Præfulis admodum industrii consilio & operâ perstat, ad singularem Imperialis Civitatis Augustanæ decorem & ornamentum jucundissimè contuendum dignissimum S. Crucis Monasterium.

XXVIII. Felix Pröll, itidem Augustanus pro tempore Monasterii Procurator pluribus annis emeritus, juxtâ quoque æquè Philosophus, ac Theologus insignis anno 1688. die 15. Martii vi votorum Capitularium vacanti Prælaturæ folio pro meritis impositus, nec non & autoritate ordinaria in id confirmatus, atque etiam mitrâ Præsulari de more solenni condecoratus, mox anno proximè sequenti videlicet anno 1689. die 26. Januarii cum potissimis S. R. I. Electoribus ac Magnatibus inter plures diversorum Ordinum Prælatos Regulares coràm adstitit festissimæ inaugurationi Josephi Augustissimi Principis ac Domini Domini in Regem Romanorum coronati; tum idem ipse Felix Præpositus queisvis Antecessoribus suis hac in parte felicior, imò & felicissimus (ex quo prius novas S. Crucis structuras insperatâ morte Prædecessoris nondum finaliter absolutas ad calcem usque fideliter adduxit) post decennium nimirum anno 1699. vidit sanè mille votis exceptum SS. Hostiæ Miraculosæ jam supra recensitæ Jubilæum, quod eâ cum solennitate celebrari fecit, qualem Imperialis Civitas Augustana per omnia sæcula usque id temporis in sacris nunquam vidit, sed neque audivit, multis Convenarum, atque advenarum millibus omnîs statûs ac generis Personis catervatim affluentibus; de quo superest peculiaris quidam Tractatus, eodem annò prædicto typis Augustanis in 4. Germanicè editus; in cujus sacrosanctæ Festivitatæ præparationem devotissimus Præful iste auspiciis hujusce piissimi laboris sumpsit ab ipsâ S. Crucis Ecclesiæ renovatione, atque inprimis organo statione suâ sublatò, illud ad Chorum Occidentalem transtulit, cùmque jam ab interiore Ecclesiæ parte liberior ad summam aram esset prospectus, eandem altiùs ad fornicem usquè evehendam curavit, sicque curiosiores suos pascere oculos apparitionis SS. Sacramenti historiam in decem grandiores distinctam tabulas, pictorisque penicillo in telâ venustè repræsentatam ex utroque Chori Orientalis latere locari voluit. Sacrosanctæ Hostiæ tabernaculum deinde quindecim pedes altum laminis cupreis in igne deauratis obductum, & argenteis Anaglyphis undique exornatum, additò ejusdem materiæ duplici pallio Altaris, quod vulgò Antependium vocant, pulcherrimò decoratum nullis parcens sumptibus erigendum procuravit. Præter hæc ejusdem templi antedicti, & Monasterii sui secundæ reparationi multa florenorum millia solerter impendit idem sæpè laudatus Felix Antistes dignissimus, maximè propter enormia damna, quæ à Marte Gallo-Boico, dum is civitatem Augustanam per bombos violenter injectos, pilasque ignitas, nec non alia id genus ignivoma, quasi ex ipso funestissimo Plutonis armamentario deprompta tela, sub finem anni 1703. dirum in modum oppugnaverat, multifariam illata, Collegium istud innocuè perpeffum est. Tum enim verò sagacissimus Præful iste plus quàm fortem ac animosum se præstitit, quando nimirum invictâ armatus patientiâ, nec non paratissimâ in Divinam supremi Numinis voluntatem resignatione, fiduciaque munitus, jam senio & labore fessus, paucis aliquot ante mortem mensibus dignitate & officio Prælaturæ sponte dimisso, pientissimè in Domino requievit anno Christiano 1710. sexto Idus Octobris, dum toto sui Regiminis tempore continuò se talem exhibuit Religiosum Antistitem, qualem Venerab. noster Thomas Kempensis in Hortulo Rosarum cap. 9. §. 3. vel paucis ita describit: *Magnus est Prælatus, qui virtuosè se gerit, & bonum exemplum dat subditis.*

XXIX. Augustinus Imhoff Patritius Augustanus, Raymundi Viri Consularis Filius, anno 1708. die 26. Junii in festo SS. Joannis & Pauli Germanorum Fratrum M. M. concordibus suffragantium calculis, applaudente simul etiam omni reliquo totius Augustæ Clero, nec non & toto quoque S. P. Q. (etiam Heterodoxo) Augustano in dignissimum S. Crucis Antistitem delectus, dum jam prius Romæ in Collegio (uti vocant) Germanico, seu Sancti Apollinaris Episcopi & Martyris, sublimiores Theologiæ ac SS. Canonum scientias haud sine vulgari sui Nominis laude, feliciter absolvit; qua utraque facultate adèd præpollens, subinde ad Patrios lares reversus, plenâ Authoritate in Professorem Scholasticum fuit institutus; ex quo continuò Juniores Clericos Religiosos Confratres suos iisdem scientiis ante memoratis solerter imbuat, juxta quòque sacris studiis in totum ipse deditus, plures elucubravat libros aliquot, quos tum perspicacissimò ingeniò suò con-

fecit, tum ex peregrino Idiomate in Germanicum transtulit; Concionator itidem ad populum passim magni habitus, utpote singulari præditus facundiâ, quandoque in diversis Ecclesiis ad instantiam multorum expetitus, ad stuporem Auscultantium doctissimè peroravit, atque hæc inter Decani & Quæstoris animarum officio perquam strenuè fuit perfunctus, quousque pro meritis ampliùs (ut dictum est) honoratus, ceu facula lucidissima super candelabrum Prælaturæ reponi dignissimus, concordi Capitularium Concannonicorum suorum voce, S. Crucis Augustanæ Præpositus fuerit denuntiatus, item in id Authoritate ordinariâ confirmatus, nec non & demore Insigniis Pontificalibus initiatus, post quæ dum Neo-Præful iste præcellentissimus in suo Prælaturæ Regularis officio per omnia gloriosus præstitit, ob congenitum quasi Canonice Religionis Zelum semper & ubique abundantissimè demonstratum, ab Ordinario loci in Visitatorem sui Ordinis per Diocesin Augustanam constitutus, sui muneris partes ceu vigilantissimus Argus usque hactenus nunquam non solerter explevit; quibus omnibus dum sic gloriosis meritis suis bonorum omnium amorem sibi conciliavit, idem dehinc ab ipsomet etiam Augustissimo Imperatore CAROLO VI. Romanorum Imperatore, dum Is ex Hispaniis reversus, & in Sueviam nostram delatus, ex itinere suo etiam Augustam Vindelicorum penetravit, ubi ex devotione, toti Serenissimæ Familiæ Austriacæ quasi congenitâ, cum totâ Aula Cæsareâ in supradictâ S. Crucis Ecclesiâ SS. Miraculosum Sacramentum cernuus adoravit, ab eadem Augustissimâ Majestate suâ clementissimè fuit salutatus, à quo tempore, imò & in antea verè Augustinianus Præful iste Augustinus prudentissimò consilio, rerum gerendarum magnitudine, & totâ industriâ suâ concreditam sibi Canoniam (è qua jam olim tanquam ex equo Trojano temporibus suis prodierunt Religiosissimi Heroes inclyti, ad reformationem aliorum Monasteriorum evocati, testantibus id Cathedrali Ecclesia Chiemensi in inferiore Bavariâ, Imperiali Collegio Wettenhusano in Sueviâ, Cænobiò S. Georgii in ipsa, Imperiali Civitate Augustanâ, Monasteriò Högelwerthanò Diocesis Salisburgensis in Norico, & aliò quodam ad S. Zenonem intitulatò de eodem forensi territorio) eâ imbuat excellentiâ, qualem ipsa nec à prima quidem origine seu fundatione suâ usque in præsens

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Hucusque Germaniæ Canonico-Augustinianæ Author, cujus & omnium bonorum votis annuebat cælum, & Reverendissimum hunc Præfulem, Canonici Ordinis perpetuum decus & ornamentum, longævò ornavit senio. Annò 1734. resignato liberè regiminis onere, soli Deo & animæ propriæ salutis vacans, annos adhuc tres in sacra solitudine sanctissima conversatione, inter continua solidarum virtutum exercitia transigens, animam suam Creatori reddidit anno 1737. Januarii die 11. hora noctis secunda, cum ingenti Filiorum suorum luctu, quem satis prodidit encyclica Epistola mortis ejusdem nuntia, quam totam hic inferendam censuimus, ut immortalis memoriæ Præsuli suus æternum constet honos.

*Lustrum* abiit, ex quo *Ædes* Vestras  
Colendissimi D. D. CONFOEDERATI  
Supplicabundi, licet inviti; coacti tamen

à Morte

parcere nesciâ; imò iussâ,

ab Eo

Qui, & vitæ, & mortis author est,

& Dominus,

Lustravimus

Pepercit interea;

Erravi!

Non pepercit; sed parcere visa est, vel videri voluit;

Dum quidem non per Se, sed per suos,

Senii nimirum incommoda,

Genuinos, ac fatales Mortis Prodromos,

Virum aggressa est, non per lustrum, sed per Sæcula  
deplorandum.

Scire

Scire avetis? Quis Ille?

**AUGUSTINUS** est:

Nomen, vel ipfi Morti formidandum,  
Vel faltem reverendum,

Ne vel ex improvifo accederet, vel violentas manus  
injiceret.

Moras igitur traxit; fenfim debilitavit; ac tandem  
dejecit;

Animô tamen femper erectum,  
Vel ad fugam, ab Humanis, arripiendam, paratum,  
Vel ad ineundum æternitatis iter, instructum.

Virum, inquam, omni exceptione  
Majorem,

Solâ Exceptione Mortis, fi daretur,  
Dignum.

Sed priùs ftantem, & laborantem  
admiramini.

Quàm debilitato, ac viribus fracto  
compatiamini,

Vel mortuum nobifcum lugeatis.

ANNO M. DCLVIII.

Primùm ftare cæpit in hoc Mundo

xv. Novembris natus:

Natione Suevus; Patriâ Auguftanus, Nobilitate

PATRITIUS,

Familiæ IM-HOFFIANÆ Surculus,

Illuftri fanè, & perantiquâ Profapiâ  
oriundus:

Quorum Majores; alii Sagum, alii Togam illuftrârunt,

Omnes in ONUPHRIO redivivi;

Quod Nomen Ei in Baptismo contigit,  
ut præfagiret,

ad quam ætatem, ferè Eremiticam, effet perventurus.

Quam primùm per ætatem licuit, Eundem ad fe rapuit

Pallas Auguftana

Tantòque cum plaufu, in Scholâ utrâque

& Virtutis, & Humaniorum litterarum

ftetit, & laboravit,

ut vel Ipfis Moderatoribus admirationi

Con-Difcipulis verò ftupori effet;

Nimirum Nobilis effe volebat,

Non alienis divitiis, fed propriâ induftriâ, & labore,

Non fibi Profapiam,

Sed Ipfe Profapiæ, honori effe contendebat,

Quam, ut clariorem redderet,

obfcuram

In perfona Suâ, ad tempus effe voluit,

Dum

Non de Pofteritate carnali folicitus,

Sed Cælo, & Cæleftibus intentus

ANNO M. DCLXXV.

Religionem Apoftolico-Canonicam ingreffus,

Eandem, Anno proximè fequenti, profeffus effe,

Sub Nomine AUGUSTINI,  
 è latebris suo tempore educendus,  
 Tamque Illustris futurus,  
 ut  
 Vel Ipse de se fateri cogatur,  
**Dominus Illuminatio mea.**  
 Nec diu latuit Augustæ AUGUSTINUS;  
 Romam missus : ante absolutam Philosophiam,  
 absolutus tamen Philosophus;  
 ut Romæ illustratus  
 E Collegio S. Apollinaris reversus Apollo,  
 stare, & laborare posset  
 Omnium Musarum, tam Scholasticarum, quàm Sacrarum  
 Coryphæus.

ANNO M. DCLXXXII.

Româ redux Diaconus, in Presbyterum hîc ordinatus  
 Primò ad Aram stetit Sacer Mysta,  
 Festo S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ;  
 Brevi Ipse futurus, & Apostolus, & Evangelista.  
 Statim enim Juventutem Evangelizare;  
 Et in Parochiâ nostrâ, labores Apostolicos  
 Subire, jussus est.

Mox adinstar Aquilæ Apocalypticæ,  
 ad Secretiora, & Sacratiora admissus,  
 Dum Ecclesiæ Nostræ Custos designatus,

ac

**Candido, & Rubicundo**

Sub Miraculosis Speciebus latenti DEO

à secretis,

ab illo Tempore, totum quantum se  
 Ejusdem gloriæ propagandæ,  
 ad usque ultimam senectutem,  
 addixit, & consecravit,  
 Labore, & conatu tam felici

ut

Supremum apicem, eo laborante, attingisse videri possit  
 Honor, & Gloria, & Cultus Latrevticus  
 Supremi, in Sanctissimâ Miraculosâ Hostiâ, latentis  
 Numinis.

ANNO M. DCXCIV. Vacante Decanatu  
 Per Canonicam Electionem, ad Eundem  
 assumptus,

Non quidem electus ex millibus, tamen  
 comparandus,

Simulque Officio Magistri Novitiorum, Paternè  
 perfunctus,

Per quatuordecim fermè Annos, factis ostendit,  
 ut alter Jacob,

Non ipsi Dignitatem, sed Ipsum Dignitati  
 deserviisse,

Tanta enim, utriusque Palladis, & Augustanæ, & Romanæ  
 Insuper dedit specimina

&

exhibuit Magisteria,

ut



ut  
 Acutissimus in Philosophicis, & Theologicis,  
 toties Victor, quoties Impugnator;  
 Profundissimus Theologiæ, quam Nostros docuit,  
 Magister, & Doctor;  
 Zelosissimus simul, & facundissimus in Sacris Pulpitis  
 Declamator  
 ac  
 Italicorum Oratorum, vix non ad invidiam usque  
 Imitator fuerit.  
 Nec Theatris defuit, nec Ipsi Theatra,  
 Quæ, quando instruenda erant, ita instruxit  
 Ut  
 Vel Ipsi, hac in arte Magistri, ab Ipso didicisse,  
 lubentes, fassi sint.  
 Tanta insuper, pro Gloria DEI  
 Evcharistico Miraculosi  
 &  
 Honore, ac utilitate Monasterii Nostri,  
 Præsertim  
 In utriusque Festivis Solemnitatibus  
 Quinquies Sæcularibus,  
 ubi tota moles, quidquid ad splendorem desiderabatur,  
 Humeris Ipsius incumbibat,  
 Onus fanè, Atlanticis Humeris grave; &  
 formidandum;  
 AUGUSTINIANIS tamen suave, & leve;  
 Præstitit  
 ut  
 Vacante ANNO M. DCCVIII. per liberam Resignationem  
 Præpositurâ;  
 ab Electoribus judicatus fuerit, Eâdem  
 Tanquam exantlatorum jam laborum fructu, & præmio,  
 Dignissimus;  
 Si tamen  
 Novus, & Immensus labor, laborem sequens, dici possit  
 Præmium.  
 Mare hic ingredimur, vastum nimis;  
 Nec facilè huic Chartæ includendum.  
 Cogenda igitur in Nucem  
 Ilias  
 Nucem aperio;  
 Dum Statuta Nostra loqui sino:  
**Qualis debeat esse PRÆLATUS;**  
 Absit enim, ut alium, quàm esse debuerit,  
 fuisse arbitremini.  
 Qualis ergo?  
*Verbis, rebus, affectionibus, communem, & facilem*  
*Se præbeat*  
 an talem Se AUGUSTINUS?  
 Plus *rebus*, quàm *verbis*; Non *communem* tantum, & *facilem*  
 Sed  
*Obvium*, & quasi *Servum* Se exhibuit.  
 Sciunt hoc omnes, quotquot Illo usi, & non abusi sunt,

Tom. III. Cam. Regg. Origines. Kk Sum-

Summi, Medioximi, Infimi.  
*Sit Sermo edificans, Vita Imitabilis; sit Charitate Eminens;*  
*Mansuetus, Humanus, Hilaris, Severus, Largus,*  
*Cunctis affabilis, atque amabilis;*  
*Infirmorum Consolator, Pauperum Hospitum Amator; &c.*

Frustra sim;  
 Si singula applicare velim

## AUGUSTINO;

Vereor enim: ne scientibus, & expertis minus loquar;  
 Nescientibus autem, aut non expertis, incredibilia;  
 Talis fuit:

Hæc, & majora opere implevit;  
 Pleraque in omnium oculis; pleraque in omnium  
 quibus profuit, vel prodesse studuit,  
 gratâ memoriâ, altâque mente manent, & manebunt  
 repôsta.

Imò, vel me tacente,  
 Lapides, & muri loquentur.

Sufficiat illud  
 æternum famæ suæ, & tenerrimi fui

in

Sanctissimum MIRACULOSUM SACRAMENTUM affectûs

Magni Momenti, maximum Monumentum,

Ecclesia nimirum Nostra,

Non quidem è Fundamentis erecta, sed ita,

& pretiosè, & ingeniosè

& restaurata, & exornata,

Ut Cuivis Novæ, absque Invidiâ, comparari possit.

Et hæc ad Extra, si ita loqui fas est,

## AUGUSTINUS.

Quid ad intra?

Hic aperta quidem aliqua; alia autem semi-clausa est Janua;

adeò enim tenax, imò tenacissimus erat,

utriusque illius Evangelici moniti:

*Intra in Cubiculum tuum, & clauso ostio ora, &c.*

Item:

*Noli tubâ canere ante Te, &c.*

ut

Licèt Virtutum omnium Parergon esset,

Tam dextrè

aliqua occultare, & oculis Hominum subtrahere sciverit,

ut nonnisi

Quasi furtim deprehendi, vel per Signa inveniri;

vel ex effectibus, res colligi

debuerit, & potuerit.

Aperta sunt;

Propriæ Personæ, in Victu, Vestitu, Habitatione, Servitio,

Neglectus, verius dicam, contemptus;

Dominus simul, & Servus sui ipsius, ac vix non

Mediastinus.

Communes Observantias, quantum per Negotia publica licuit

Non tantum servavit, sed plura, privatim addidit.

Quâ

Quâ Fide, Spe, Charitate, Religione?  
Quo reliquarum Virtutum apparatu, & ornatu?

Quædam, ut dixi, furtim observata,  
Signis relictis alia deprehensa;  
Secutis

Effectibus exinde innotuere reliqua,  
sed tacenda voluit, & rogavit.

Nil igitur loqui licet de muris, & pavimento;  
Sanguine conspersis,

Nil de Vigiliis, in feram noctem protractis;

Nil de Votorum particularium, ad scrupulum usque  
Multiplicatorum;

Vix non scrupulosâ adimptione;

Nil de Jeuniis, & Abstinentiis furtivis, &c. &c.  
Sed tacendum!

Paulum secutus est hortantem:

*Glorificate, & portate DEUM in Corpore vestro.*

Scientibus legem DEI, loquimur.

Quid igitur mirum?

Quòd & DEUS Illum, adhuc in hoc Sæculo  
glorificaverit,

cum tantâ gloriâ, quam præsentis, & intuentes,  
teneris lachrymis prosequerentur

Eum provehendo ad Duplex Jubilæum;

Et Ordinis ANNO M. DCCXXVI.

Et Presbyteratûs ANNO M. DCCXXXII.

Nimirum Vetus hic mos est DEI:

*Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* 1. Reg. 2.

Talis, Tantusque cum fuerit AUGUSTINUS,  
Magnus planè erat.

Sed antequam à morte debilitaretur, & efficeretur

Minor

Medium invenit, quò fieret prius seipso

Major.

Mellifluus Doctor, Magnus Bernardus,

illud suggestit

ita de Christo scribens:

*Christus cum per Naturam Divinitatis non haberet, serm. 2. de*  
*quò cresceret, vel ascenderet, Ascens.*

*Per descensum, quomodo cresceret, invenit.*

Supremum inter nos tenebat locum, AUGUSTINUS,

nec ultra ascendere poterat:

Supremum ferè tenebat virtutis apicem,

ut vix crescere posse videretur,

*Per descensum tamen; quomodo cresceret, invenit;*

Dum

Resignato liberè Regiminis onere, &

abdicato à se Summo Honoris fastigio,

Alium supra se esse voluit, ut sic

Minor, Illo, qui ut alter Joannes, Magnus erit

coram Domino.

Vel, ideo Seipso esset

Major;

Factus de Novo iterum obediens, usque  
ad Mortem.

Ab ANNO igitur M. DCCXXXIV. liber ab Imperio  
eò liberius sibi Ipfi imperavit;

Innumeris ferè miseris Senii obrutus,  
totòque corpore ita fractus, & debilitatus  
ut manuduci; denique omninò portari  
necessè habuerit,

unicè, Orationi, Solitudini, & Patientiæ  
intentus

Vix trium, vel quatuor Verborum, per diem, Vir  
Angulis, melius dico, Angelis, imò Angelorum Domino  
videbatur locutus, & collocutus.

In hoc statu, adè non formidabat mortem  
ut anxie eandem expectârit,

*Cupiens dissolvi, & esse cum Christo;*  
Nimirum, *Vitam petiit à Te Domine,*  
quam Eidem tribuisti

Dum Eum, omnibus Ecclesiæ Sacramentis  
probè, & maturè munitum  
à Corpore mortis hujus liberâsti.

Nullo alio mortis genere; quàm quòd  
viribûs planè exhaustus, defecerit  
undecimo Januarii, Horâ Noctis secundâ,  
ut Ei esset Prima in Cælo  
prout piè ominamur

Anno ætatis, Septuagesimo octavo.

Professionis Religiosæ, Sexagesimo.

Sacerdoti; Quinquagesimo Quarto.

Regiminis, Vigesimo Sexto.

Resignationis liberæ, Tertio.

Post Resignationem meritissimi hujus Præfulis fasces Abbatiales jure Electionis accepit  
XXX. Joannes Baptista Dantzer Lavinganus Neo-Palatinus. Mitram, virtutibus  
egregiis, magnisque, ob rem œconomicam per plures annos administratam, meritis de-  
bitam, sequenti Chronosticho mox gratulatæ sunt Musæ:

Cœnobii sacra qVI sVrgeret hVIVs In æDe,  
Baptistâ potlor neMo Ioanne fVI.

Nec ingeniò carent sequentes Elegi, Neo-Electo decantati.

**P**ER Saltum, Canones \* prohibent, ascendere Clerum!  
Saltantem Clerum scandere nemo vetat.

Saltarât coram Domino Psalmista Prophetes,  
Arca DEI peteret cum sacrosancta domum. \*\*

Materno saliit clausus jam ventre JOANNES,  
Cursurus Dominum prodromus ante suum. \*\*\*

Grandia si parvis conferre, profana sacratis  
Romulidum veterum si monumenta licet;

Cura-

\* Lib. V. Decretal. Tit. 29.

\*\* 2. Régum VI. 14. 15.

\*\*\* Luc. I. 41. seqq.

Curabat SALIUS Mavortis templa Sacerdos:  
 Panicus & faliens Myſta, Lupercus erat.  
 Quique choros duxit quondam Rex ipſe Sacrorum,  
 A Præſultando nomina PRÆSUL habet.

APODOSIS.

**T**ot titulis igitur Mitrâ Digniffime PRÆSUL!  
 Cui Præſultoris Nomen & omen ineſt!  
 Cui cumulata ſacro dat gloria vertice, Sæcli  
 Partibus immenſis exſuperâſſe jubar!  
 Infula cui nitido redimit diademate crines,  
 Statque ſerenata fronte bicornis apex.  
 Cui modò, ne grefſu quondam titubante vacillent,  
 Paſtorale Pedum fulcit & anſa pedes.  
 Longum TE videat choreas agitare, Trophæum  
 Et CRUCIS, & RUBEI, quam geris, Arca DEI!  
 Plauſerat ad lituos ſaliens ac tympana David:  
 Ad Citharam JESU TU Coryphæus ovas! \*  
 Exemplò reſonare doces, ubi prævius Actor,  
 Tam fidibus chordas, quàm pia Corda Fide.  
 Perge Chorage! pedes volucris ſuper agmina paſſu  
 Jugiter exultent tripudientque Tui!  
 Auguror! Annoſo TIBI ſaltatorius orbis  
 Jubila mille, decem poſt nova Luſtra, dabit.  
 Denuo, ſuccendens tædas Aſtræa jugales,  
 Cùm repetet caſti ſœdera ſancta thori.  
 Surget ubi modulans Hymenæus ad æthera cantus,  
 Vibrabiſque melos connubiale Senex.  
 Una Via eſt, minimè quâ TE ſaltare velimus,  
 Sed teſtudineo ſegniter ire gradu!  
 Non ſaltare, inquam, volumus, ſed repere tardos  
 Cunctarique Tuos, PRÆSUL, ad Aſtra pedes!

Votum noſtrum Vati jungimus, precamurque Reverendiſſimo San - Cruciano Præſuli multis ex titulis obſtricti, ut merita meritis, annosque annis cumulet, ut

Floreat, & fero ſaltet ad Aſtra pede.

Præterea complures celeberrimum iſthoc Collegium à primâ ſui Origine aluit Viros litteraturâ non vulgari, librisque Typo publico vulgatis inſignes, quorum paucos, qui ad noſtram venere notiitiam, tum pro hujus Collegii, tum pro totius S. Ordinis honore hic notamus.

*HIERONYMUS MAÏI*, Natione Germanus, Auguſtæ Vindelicorum in Sueviâ nobiliſſimo Patritiorum oriundus ſtemmate, ejuſdemque Inclytæ Reipublicæ olim Conſul meritiſſimus, cùm in matrimonio plures annos exegiſſet, procreatis in illo ſeptem filiis, ac tribus filiabus, quæ tres omnes inſtitutum S. Benediicti in Monafteriis Holzen, Hochenwarth, & Küebach amplexæ, ex filiis verò unus PP. Societatis Jeſu Religionem ingreſſus, alius Ordinem S. Benediicti in Cænobio Schyrenſi profeſſus, tertius familiam S. Franciſci de obſervantiâ, quartus Ordinem Minorum Capucinatorum intravit, eo demùm jugo, obitu Conjugis ſuæ, liber, ſpretis ampliffimis honoribus ac opibus, Chriſti paupertate ditior, Canonicorum Regularium Ordinem ambivit, quem & in Patrio S. Crucis Cænobio ſuſcipiens elapſo tyrocini tempore de more profeſſus eſt. Sacerdotii dignitate ornatus, ſeniorque conſectus morti debita ſolvit Auguſtæ die 3. Maji anno reparatæ Salutis 1630. Plura opuſcula Latina juris germanici fecit, ex quibus ſunt.

Tomus III. Can. Regg. Origines.

L I

Ex-

\* *Euchariftia*, noto anagrammate: *Cithara Jeſu*.

Expositio Joannis de Turrecremata Ordinis Prædicatorum S. R. E. Cardinalis in Regulam S. Benedicti. in 4. MS.

S. Augustini Hipponensis Episcopi Tractatus de laudibus Psalterii. in 4. MS.

Pars Prima Perfectionis Christianæ Alphonsi Rodriguez Soc. Jesu. in 4. MS.

Meditationes sexaginta de Eucharistia P. Lucae Pinelli Soc. Jesu. in 4.

Tractatus de perfectione Religiosa P. Jacobi Alvarez Soc. Jesu. in 4.

Commentarius in Regulam S. Augustini Hugonis de S. Victore Canonici Regularis, & Umberti Ordinis Prædicatorum tertii Generalis. in Folio MS.

Tomus primus, secundus, & tertius Annalium Ecclesiasticorum Cæsaris Baronii. in Folio MS. Cæteros novem morte præventus absolvere nequii.

Adservantur hæc in Bibliothecâ S. Crucis.

*GREGORIUS ABERZHAUSER*, Natione Germanus, Oberameringæ pago in Superioris Baviaræ Ducatu sito oriundus, adolescens Augustæ Vindelicorum in Cænobio S. Crucis institutum Cann. Regg. S. Augustini anno 1593. suscepit, quod sequenti anno in manibus Reverendissimi & Amplissimi Domini Antonii Beirer de Ichenhausen tunc temporis Præpositi dignissimi professus est. Dilingæ in celeberrimâ illâ ab Ottone S. R. E. Cardinale & Episcopo Augustano fundata Academia Philosophiæ ac Theologiæ operam navavit. Fuit is Vir gravis, moribus ad Religiosam modestiam compositis ornatus, Canonicaque disciplinæ studiosissimus Zelator, insuper ob candorem animi, bonitatem, ac mansuetudinem naturæ non modò Con-Canonicis, verùm & extraneis quoque Viris charus, ac in pretio. Ipse illustrissimus Princeps Dominus D. Henricus de Knöringen Episcopus Augustensis illum anno 1611. Bernriedam Cann. Regg. Cænobium in Superiori Bavaria ad Lacum Vermium, vulgò *Würmse* situm, disciplinam regularem inibi collapsam restauraturum, publicis in hunc finem datis litteris, misit, quod commissum munus peregrinè ab ipso præstitum fuit. Porrò indagandæ ac è tenebrarum latibus exciendæ antiquitati plurimam operam collocavit. Unum hic adduxisse sufficiat, ex quo tanquam ex ungue Leonem, cæteram Viri industriam dimetiri pronum. Suprà mille monetarum, antiquitate jamiam obsoletarum, tum aurearum ac argentearum, tum ex aliis metallis fusilium collegit, quas omnes tum in varias cistulas, tum in distinctas concavitates ac serobes asseribus insculptas, singulis specialem assignans, distribuit, elegantissimèque disposuit, quæ partim in Bibliothecâ S. Crucis nunc asservantur, partim injuriâ temporum perière, maximè quæ ex auro argenteove confectæ sunt. Tanta ac tam varia manus viri indefessi elucubravit, ut haud immeritò de illâ quidam ex Societate Jesu, magni apud suos nominis Vir edixerit, quod quondam de manu Oswaldi Regis Anglorum in pauperes perquam liberalis S. Aidanus Episcopus pronuntiavit, ne scilicet illa unquam putresceret. Scripta sua potissimum stando confecit, ut etiamnum pedum vestigia inferiori pavimento cubiculi sui impressa loquuntur. Decessit Vir optimè de Cænobio suo meritis, postquam plurimis annis Bibliothecæ curam non sine industriâ ac labore gessisset anno Dom. 1632. die 20. Aprilis in Pago inferioris Baviaræ *Inslen* dicto, cum exul è Cænobio propter Suecicos tumultus Cænobium S. Zenonis per Baviariam peteret. Corpus in dicto S. Zenonis propè ditiores Hallas asceterio terræ mandatam. Ejus igitur calamitas sunt:

Liber Spiritualium Exercitiorum in 4.

In Folio. Liber Fundatorum & Benefactorum Cænobii S. Crucis.

Liber Virorum Illustrium ex Variis Religionibus.

Exordia & Progressus omnium ferè Religionum.

Ornamentum sive de ornamentis Ecclesiæ S. Crucis.

Liber de Reliquiis Ecclesiæ S. Crucis.

Libri III. distincti Chronicæ Monasterii S. Crucis.

Tractatus de Miraculoso Sacramento in Æde S. Crucis continuis miraculis coruscante.

Libri seu Tomi alii III. distincti æquè de Miraculosâ Hostiâ tractantes.

Initia ac Progressus Fraternitatis SS<sup>mi</sup>. Corporis Christi in Ecclesiâ S. Crucis.

Commentarius rerum tam Episcoporum quàm Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ præclarè gestarum, & in certas centurias digestarum.

Origines ac Progressus Ecclesiarum Augustæ.

Liber

Liber Instrumentorum super Miraculoso Sacramento. Hoc libro sæpissimè usus est Anastasius Vochetius in suo Thaumaturgo Eucharistico.

Brevissima descriptio omnium tam Archi - Episcopatum, quàm Episcopatum.

Chronica Rerum Augustanarum.

Chronica alia Augustana.

Collectio variarum Chronicarum.

Liber Variarum foundationum.

Variarum Sermonum seu Concionum Tom. VI. distincti.

Liber Sermonum Synodaliū.

Collectio variarum Orationum, Carminum, nec non aliarum rerum notabilium.

Chronica Episcoporum Augustensium, Præpositorum Monasterii S. Crucis.

Ibidem, Imperatorum, aliorum Episcoporum, nec non aliquorum illustrium Virorum Augustanorum.

Miscellaneorum Tomi V.

Hostia sancta: hoc est Octo Miraculosæ Hostiæ, quarum quædam jam sunt corruptæ, quædam verò adhuc in locis Augustani Episcopatus incorruptæ, summâ cum reverentiâ asservantur, & à Christi fidelibus piè ac devotè coluntur in 4.

Plura adhuc scripsit, quæ tempore Sueci perierunt, recensita tamen omnia M. SS. asservantur in Bibliothecâ S. Crucis Augustanâ.

JOANNES SCHALL, cujus encomio jam paulò superiùs in Catalogo Prælatorum, cui eum virtus & doctrina numero 24tum. inferuit, relato; hic jungimus aliquot versus Heroicos à quodam S. Ordinis nostri Poëta in dignissimi hujus Præpositi laudem compositos.

Sic maximus ille tuorum  
 Ardor, quos placidâ semper moderaris habenâ,  
 Te Pater ipse hominum, Divûmque æterna potestas  
 Mitibus ut primùm auspiciis super alta locavit  
 Culmina, Virtutum quantas mox surgere moles  
 Vidimus! & quantos super æthera crescere muros!  
 Ipsa prior rerum facies sua rudera tristi  
 Haud planxit luctu, sed amæno pectore risit,  
 Quid nî? continuo resonare fabrilibus æer  
 Pulsibus occæpit, reparari prisca sacrorum  
 Limina, Numidico velari marmore tersum  
 Magnâ ex parte solum, paries ardentibus auro  
 Vestibus obduci, pictisque altaria formis  
 Cunctorum attonitos hominum suspendere vultus.  
 Quò nunc Cælicolùm statuæ, rerumque Supellex  
 Sacrarum, calamo poterunt? quo carmine dici?  
 Carmine dicuntur nullo, nulla arte canuntur,  
 Musas quid referat? Musæ, tibi magna voluptas  
 Præsul, ut quidquam tanto molimine tentas,  
 Quanto, nec divinis noctesque diesque refulent  
 Aurea carminibus nitidi laquearia Templi.

Scripsit verò Joannes linguâ vernaculâ:

*Speculum vitæ Religiosæ unâ cum ejus elucidatione deductum ex Epistolis D. Pauli Tarsensis.* Augustæ Vindelicorum apud Chrysofomum Daberzhofer anno 1611. in 8. recusum Ingolstadii apud Joannem Ostermayr anno 1652. in 12.

SEBASTIANUS PRÖLL, Germanus in inferiori Bojaria Eberspergæ progenitus, Cann. Reg. S. Augustini, Parochus ac Sub-Decanus Monasterii S. Crucis Augustæ Vindelicorum, ad quod anno 1625. 7. Jan. Juvenis accessit. Vir erat egregiis animi dotibus ornatus, Concionator egregius, adhæc Deiparæ cultui impensè addictus, verbo: nihil in eo desiderabatur, quod hominem Religiosum deceret. Corpus aspero cilicio è pilis equorum horrido domare, flagellisque castigare, solenne illi ac quotidianum fuit, mirandum verò potiùs quàm imitandum est, quòd manu suâ ad conscientiæ suæ directorem exaratum reliquit, idque inter adversaria ejus reperitur. Legerat quondam in vitâ

B. Catharinæ Adornæ, quod ægrarum ac peste decumbentium ulcera linguâ exfugeret, hanc ut imitaretur, locum quendam sordidum deosculaturus elegit, solitus proinde fuit abhinc loca illa seereta decies semper exosculari, quantumvis sordibus ac urinâ conspersa, idque toties, quoties naturæ indulgendi gratia accederet, in qua re tamen plurimæ illum cogitationes absterre conabantur, indecentiam rei proponentes, similique cultu nec Deo, nec illius Matri obsequium præstari intimantes, quas tamen contrariis expellebat, Deum scilicet non locum sed rectam intentionem, qua res in loco sordido etiam fieri amat, respicere. Feruebat porrò in illo mira animarum maximè agonizantium sitis, quia iuvandis & ad portum æternæ beatitudinis provehendis se totum impendit, nulli labori, nulli industriæ parcens: diu noctuque lectulis ægrotantium ac moribundorum affidebat, illos quâ consolando, quâ adhortando, quâ ad felicem è corporis ergastulo egressum disponendo; quem in finem plures libellos, dictis ac sententiis Sanctorum Patrum & Sacrarum litterarum refertos collegit, quibus subinde maximò animas agentium emolumentò usus fuerat, quæ res ut Augustanis incolis innotuit, tantam nominis famam apud illos sibi conciliavit, ut omnes præsentem ac cohortante P. Sebastiano mori optarent, nullus absente illo animam efflare vellet, hinc vix civium quispiam ægrotabat, quin non extemplò ad illum P. Sebastianus accitus fuerit, non tam ut ex verbis, quàm ex præsentia illius solamen caperent, quod ille prompto alacrique animo semper præstitit, omnibus omniâ cum Paulo Tarsensi esse cupiens. Verùm dum huic sancto operi, moribundisque diversis morborum generibus infectis iuvandis totus infudat, luem contrahit, lethali que morbo, febrim aridam vocant Medici, corripitur, qui illum maximis ardoribus ac doloribus, mirâ tamen patientia ab ipso perpessus afficiens, Sacramentis ritè munitum cælo, uti piè speramus, mercedem pro diurno in vineâ Domini agrorumque schola exantlato labore recepturum transmisit anno à Partu Virgineo 1650. ætatis 44. die 17. Julii. Plures devotos libellos tum proprio Marte composuit, tum ex SS. Patrum operibus collegit, qui omnes in Bibliothecâ S. Crucis Augustanâ M. S. asservantur nempe vernaculâ & latinâ linguâ Pfalterium Passionis Christi ex historia Evangelica & Psalmis Davidis collectum. Rosarium vitæ Christi ex Evangelii collectum cum quibusdam Rhythmis.

Pfalterium aliud Passionis Domini nostri Jesu Christi collectum ex Quatuor Evangelistis.

Monotessaron Passionis Domini in singulos anni dies pro Sacris meditationibus.

Calendarium aliud Passionis Christi collectum ex 4. Evangelistis proponens singulis diebus totius anni aliquod mysterium meditandum.

Pfalterium B. Virginis cum quindecim mysteriis deductius consideratis.

Pfalterium aliud B. Virginis, quo anima ipsi in agone singulariter commendatur.

Pfalteria varia B. Virginis ex variis auctoribus collecta.

Rosarium B. Virg. Mariæ vitam complectens, ex variis auctoribus collectum.

Rosarium aliud triplex B. Virginis, Gaudiosum, ex quinquaginta Mysteriis, Dolorosum ex quinquaginta doloribus, Gloriosum ex quinquaginta privilegiis B. Virg. collectum.

Miscellanea de Beatissima Virgine Maria.

Tricesimus B. Virg. seu triginta Rosaria ex 30. virtutibus, quibus in hac vitâ effulfit.

Tricesimus alius, sine Triginta Rosaria ex 30. virtutibus B. V. Mariæ.

Rhythmos sex germanicis versibus. Primus est colloquium morientis cum B. Virgine. Alter de B. Virgine in Campo Lycio. Tertius de 31. doloribus B. Virg. Quartus de quinque mysteriis. Quintus de 31. virtutibus B. Virg. Sextus ad B. Virginem pro felici morte.

Pharetra Deo viventis & morientis animæ ex SS. litteris & SS. Patribus maximè S. Augustino & Thoma Kempensi Can. Reg.

Methodus Catechizandi & instruendi Neophytos in vera salvifica Religione Catholica 24. rationibus distincta.

Opus Miscellaneum variis devotionis exercitiis refertum.

Opus aliud, in quo pertractatur, quomodo opera nostra quotidiana sint perfectè obeunda, deque variis virtutum exercitiis.

Exer-



Exercitia boni Religiosi in singulos anni dies distributa, ex variis authoribus deprompta.

Opusculum, quod Speculum inscripsit.

Miscellanea de arte benè moriendi, ac moribundos adjuvandi.

Menstruum Exemplar, quod suis non tam verbo & Regulâ quàm opere & exemplo monstravit S. Augustinus, & singulis diebus cujuslibet mensis unam virtutem, quam & in regulâ præcepit, & opere in vitâ exercuit, imitandum proposuit.

Meditationes sacræ de variis materiis.

Documenta numero 511. ad vitam spiritualem ex M. Patribus & aliis piis libellis collecta.

Discursus de modis & viis, quibus omne peccatum impletur.

*Lingua Vernacula.*

**G**lückseliges Sterb-Stündlein, allerhand Übungen unterschiedlicher Tugenden aus Heil. Schrift und Heil. Vätern.

*Pfalter der Mutter Gottes, Maria Monatliches Ehren-Krentzlein:*

*Maria Monatliches Marter-Krätzlein.*

*Schus-Gebettlein bey den Krankhen und Sterbenden Menschen zugebrauchen.*

*Trost-Buch für die Krankhe und Sterbende.*

*Siben kleine Rosen Kränzlein auf jeden Tag der Wochen gericht zue der Heil. Jungfrau Maria.*

*Zwelf Maria Sternlein, das ist, Fest Unser lieben Frauen, wie derselben jedes auf ein jedes Monat fällt mit geistlichen Übungen sambt denen Octaven hindurch andächtig zuezubringen.*

*Unser Lieben Frauen Jabel-Fahr in welchem sie mit wochentlichem Gebett zue einer aus ihrer Miraculosehen Bildnußen, und täglich mit nachfolgung einer Tugend, welche sie selbst geübt, verehret wird.*

*Sermones Varii de tempore & Sanctis diversis in locis ab ipso habiti.*

*Pia desideria, seu aspirationes ad Deum.*

*Ceterum Suppresso nomine lingua vernacula edidit Tractatum germanicum, quem inscripsit.*

*Geistliche Schildewacht. Augusta Vindelicorum apud Vdalricum Schönigk anno 1644. in 8.*

**ANASTASIUS VOCHETIUS**, Natione Germanus, Patriâ Mündeheimensis Suevus, Adolescens institutum Cann. Regg. S. Augustini in Cœnobio S. Crucis Augustæ Vindelicorum suscipiens illud ibidem professus est. Multum in litteris ac pietate profecit, moribus suavibus, ingenio candido, compositus ad modestiam, Religiosæ disciplinæ Custos perdiligens fuit, & ut in vitâ, sic accuratus in Stylo. In litterarum laude apprimè floruit cultu latinæ limatæque Orationis. In concionibus ad populum perorandis celeberrimus. Pluribus annis Paræciæ S. Crucis Augustanæ præfuit, satagens subditarum sibi ovium comodo, quâ exhortando, quâ confessiones excipiendo. Novitiõrum institutioni præfectus plantulas illas, indefesso labore sacris admonitionibus informationibusque ad omne virtutis, modestiæ Religiosæ studium excolebat. Verùm arctioris vitæ desiderio accensus, Superiorum veniâ ad Religionem B. Mariæ de Monte Carmelo nuper à S. Theresia de Jesu reformatam (Discalceatos vocant) se contulit, in quâ & Religiosam Professionem emisit, mutato nomine, Hilarius à S. Anastasio appellatus. Viennam Austriæ Metropolim missus, cives illos pluribus annis publico è Suggestu divini eloquii pabulo pavit, charitatisque officiis raro divinæ gloriæ & animarum Zelo diu ac nocte, æstu & gelu fatiscens corpore, sed animo indefesso juvit: iis tamen non obstantibus ætus communitatis, ut vocant, continuâ observantiâ, nullâ unquam petitâ aut admissâ dispensatione ad ultimum usque frequentavit. Feliciter tandem indefessus Operarius Christi, pro cujus gloriâ annos 33. in Ordine Canonicorum Regularium, 16. verò apud Severioris Carmeli affectas strenuè laboravit, meritis & annis gravis, lentâ febrî (ex fervore concionis contractâ) brevi tempore ob prostratam senio naturam & deperditos pio studio vitales Spiritus consumptus, animam suam in Fratrum suorum charo cætu summa omnium ædificatione Creatori suo reddidit, perceptis de more omnibus Ecclesiæ Sacramentis, relictis ad imitationem virtutum omnium exemplis, ad doctrinæ testimonium eruditis & utilibus libris. Viennæ Austriæ in Conventu S. Mariæ de monte Carmelo & S. Theresiæ anno à Partu Virginis 1656. mense Junio.

*Scriptit Canonicus Regularis.*

**T**haumaturgum Eucharisticum, five Historiam Sacramenti Miraculosi in æde S. Crucis Augustæ Vindelicorum Ord. Cann. Regg. S. Augustini annis amplius quadringentis sexaginta duobus continuis miraculis coruscantis. Augustæ Typis Andreae Apergeri anno 1637. in 8. latinè.

*Vernaculâ linguâ.*

**W**ohlversichertes Gewissen, das ist antwort auf zwei fragen, ob ein Uncatholischer mit gueten gewissen die Catholische Kirchen, Meß und Predig auf Kayserl. Befelch könne besuechen, und denselbigen beywohnen.

Item ob ein Vncatholischer der sich mit einem geschwornen Ayd nimmer Catholisch werden, Verpflichtet, bindan gesetzt dises Ayds, dennoch möge mit guetem sichern Gwissen zum Catholischen Glauben sich bequemen. Augspurg bey Andreas Aperger anno 1631. in 8.

Catholischer Heyligen Pfleger, oder gründlicher Bericht, das die heilige im Himmel umb unser thuen und lassen wohl wissen. 2. Wie sye solches, und in wem sye es wissen? 3. Das es mit unrecht weniger ein Abgötterey sye als Fürbitter anrueffen und Verehren. 4. Wie und auf was vor ein Weis die Heilige Gottes anzuerueffen und zue Verehren. 5. Das die anrueffung und Fürbitt der Heiligen von Catholischen so wohl, als vilen Vncatholischen Lehrern gebillichet, und guet geheissen vverde. 6. Das die Anrueffung und Fürbitt der heiligen ihren Grund und Fundament in Heil. Schrift und Gottes Wort habe. Augspurg bey Andreas Aperger. anno 1631. in 8.

Neue Jahrs Schankhung, oder gründlicher Bericht, ob einer der Catholisch begehrt zue vwerden, sein Vatter, Mutter, Freundt und andere Vncatholische muesß Verfluechen, und Verdammen? 2to. Ob ein solcher, das er von seinen Lehrern und Predigern nie nichts guets gebürt, und gelehret, müesse bekennen? 3to. Ob die Heiligste Jungfrau und Mutter Gottes Maria mehr und höher zuehalten seye, als Gott selbst? 4to. Ob ein solcher wie etliche vermeinen, von Gott abweichen, und sein Seel in Gefahr der Ewigen Seeligkeit setzen vverde? Augspurg bey Andreas Aperger anno 1631. in 8.

Maria der Mutter Gottes ausgebreiter Schutz-Mantel, oder Andächtige Manier Mariam in schwebenden Zeiten anzuerueffen. Augspurg anno 1636. in 12.

Cena Domini sub utraq; specie, das ist, des HErrn Abendmahl undter einer und beyderley gestalten. Augspurg bey Andreas Aperger 1631. in 8.

Suppressio nomine. Oratio de Cruce Militari Ramiro I. Legionensium & Austriarum Regi, ejusque copiis contra Mauros pugnantis, à S. Jacobo Apostolo, è calo lapsa, calitis ostensa. Habita ab illo fuit nomine totius Conventus ac Præpositi S. Crucis in æde ejusdem Canonii pridie calendæ Aprilis anno 1625. in 8. Dum Perillustris & Generosus Dominus D. Marquardus Fugger L. B. in Kirchberg & Weissenhorn Dominus in Biberbach, Eques Ordinis S. Jacobi de Espada S. C. M. à Cubiculis &c. eidem Militari Ordini ritu publico aggregaretur. Augustæ Vindelicorum Typis Andreae Apergeri anno 1625. in 4.

Fasten-Speis, damit sich alle Abendt der ganzen fasten ein Busfertige Seel under dem Miserere oder sonst nach Gelegenheit über Nacht ordentlich Speiszen und ihre Sünd büessen kan. Augspurg bey Andreas Aperger anno 1630. in 12.

*Scriptit Carmelita Discalceatus Stylo latino.*

**A**rchimedes Christianum, sive Speculum tripartitum artis bene moriendi. Viennæ Austria apud Mathæum Cosmerovium anno 1656. in Folio.

Germanicè. Rechenschafft des Alten Catholischen Wahren allein seeligmachenden glauben. Wien in Oesterreich bey Mathæo Cosmerovio anno 1649. in 8.

Catholische Kinderzucht, das ist, Vnterricht, wie fromme Kinder gleich von ihrer Jugend an sollen in gueten Tugenden unterrichtet werden. Wienn bey Mathæo Cosmerovio anno 1650. in 8.

Phralte recht Catholische Kirchen und Glaubens Strafs. Wien bey Jacob Kürner 1633. in 12.

Geistliche Augenspiegel recht Catholischer Wahrheit. Wien bey Jacob Kürner 1653. in 12.

Tag und Nacht Bluem. Wien bey Jacob Kürner anno 1653. in 12.

**OCTAVIANUS LADER** Germanus, Aichæ Superioris Baviaræ civitate oriundus, Cann. Reg. S. Augustini Monasterii S. Crucis Augustæ Vindelicorum, ad quod Juvenis anno 1612. accessit. Erat Vir non minus pietate quàm doctrinâ excellens, adhæc Musices peritissimus, unde pluribus annis Choro Musico S. Crucis præfectus fuit. Anno 1646. cum Copiæ Militares Regis Suecorum Augustanam Urbem obsidione premerent, ipse cum aliis

aliis militum infidias crudelitatesque declinaturus Augustâ excedens in Tyrolim venit, ubi in oppido quodam Küzbichel dicto, non procul ab arce & urbe Kopffstein sito, ad vitæ terminum usque parochum egit, quâ concionando, quâ sacra fidei nostræ rudimenta pueris puellisque tradendo, Sacramentâque administrando, indefessus ac emeritus in Vineâ Domini Operarius decessit ibidem Phthyfi laborans anno 1659. ætatis suæ 65. die 14. Martii. Edidit vernaculâ linguâ:

*Historiam Miraculosi Sacramenti 463. annis in Cœnobio S. Crucis Augustano Ord. Cam. Regg. S. August. sanguinea carnis specie visibilis, continuisque miraculis coruscantis, nec non Elenchum Reliquiarum dicti Cœnobii in certas classes digestarum, concinnæque æri incisarum. Augustæ Vindelicorum typis Andreae Apergeri Bibliothecæ, scalpente Daniele Manassero Chalcographo Augustano anno 1625. in 4.*

**FRANCISCUS CONUS**, Neoburgensis ad Camlach fluvium Suevus, Can. Reg. S. Augustini ac Decanus Monasterii S. Crucis Augustæ Vindelicorum Vir pius ac Religiosus, qui antequam in Decanum mense Augusto anno 1658. eligeretur, imprimis anno 1633. & 1634. Theologiam Moralem in Cathedrali Ecclesia Chiemenfi docuit, postea annis viginti & duobus Procuratorem dicti S. Crucis Cœnobii sedulum ac proficuum egit. Viam universæ carnis ingressus anno 1678. Scripsit Tractatum doctum

*De Sacramentis in genere & in specie.*

Quem potissimum ex operibus Ægydii Coninck & Pauli Laymanni Soc. Jesu Theologorum collegit. MS.

**HIERONYMUS SICHLER**, Herciniano-Suevus Rottwilæ oppido Imperiali progenitus, primum apud S. Crucem Augustæ Vindelicorum Professor, tum post annos ad Canoniam Waldseensem Diœcesis Constantiensis in superiori Sueviâ dimissus, longo tempore curavit amplissimam Parochiam Schrambergensem in Diœcesi Argentoratensi, Vir magnæ doctrinæ, multæ lectionis, & eruditionis, Concionator etiam præclarissimus, de quo superest Panegyris anno 1680. die 28. Augusti Germanicè per ipsum declamata, atque eadem hæc subinde typis Dilinganis in 4. edita cum titulo

*Augustinus Triumphans.*

**JOANNES GEORGIUS GRUEBER**, Monacensis Bojus primum anno 1652. ætatis 16. Canonicum Regularem Augustæ in Suevia desideranter admodum indutus, tum ibidem post editam Professionem jam officio Sacerdos successivis vicibus Oeconomi atque Decani quoque munere perfunctus, ut & aliquot annis in Venerabili Parthenone Mariæburgensi Diœceseos Eystettensis Confessarius, ac tandem anno 1683. die 27. Septembr. in Præpositum Canonice SS. Andreae Apostoli & Magni Abbatis ac Confessoris, in Suburbio Ratisbonensi Canonicè postulatus, atque autoritate Ordinaria confirmatus, idem tamen pariter præter spem urgentibus fatis anno 1686. die 28. Junii citius exanimatus. Quoad in Religione vixit meritissimus Sacri Canonico-Augustiniani Ordinis Zelotes ardentissimus, vir multæ lectionis, & laboriosus admodum & plurimorum scriptorum illustrium, quos Germaniæ huic nostræ Ordine Alphabetico inseruimus, post Sebastianum Ligodentinum, de quo infra V. *Waldseense*, fiet mentio, collector solertissimus. Ejus opera typis vulgata sunt:

*Annus dierum memorabilium, seu Canonicus, in singulos dies Virum Illustrem è Canonico Ordine per totum annum proferendo & colendo.*

*Spina Alba de doloribus Beatissimæ Virginis.*

*Breviarium virtutum ac Mortis Venerab. Virg. Catharinæ à S. Augustino, nostri Ordinis Canonice, Canadæ in novâ Francia; typis prodiit Augustæ anno 1671.*

*Alimenta pietatis Augustiniane merito omnium Canonicorum manibus terenda Augustæ 1677.*

*Vita Venerab. Euprosinæ Vicentinæ Canonice Regularis ex Latino in Germanicum vulgare traducta & typo vulgata 1675.*

*Manuale Georgianum Augustæ 1679. cui inseruit Panegyrim de S. Georgio Megalo-Martyre Authore Joanne Chrysofomo Hager Can. Reg. Garsensi.*

**DOMINICUS BISSELIUS**, Babenhufanus Suevus ad S. Crucem Augustæ Vindelicorum anno 1652. Sacrum Ordinem Canonico Augustinianum professus, exinde pluribus annis tum Oeconomi, tum Decani officio præcipuus, Vir multæ lectionis, ac merissimus dicti Ordinis sui Zelotes in solenni Monasterii sui Visitatione ab Ordinario loci seu Celsissimo ac Reverendissimo Domino Domino Joanne Christophoro S. R. I. Principe & Episcopo Augustano Vir universaliter doctus appellari promeritus; idem Superioribus annis post spontaneam Decanatus Resignationem in Confessarium & in Spiritualibus Rectorem

Nobilissimi Parthenonis Mariæburgensis sub Diœcesano limite Eystettenfi postulatus, inde ad Collegium suum post plures annos reversus, vitam usque ad completum Professionis Religiosæ & Sacerdotii Jubilæum protraxit, quam tandem senio confectus, optimèque de Sacro Ordine meritus Religiosè conclusit anno 1710. 19. Decembris elucubratis in vitâ, typoque vulgatis sequentibus libris:

*Apologia pro Professione S. Dominici Ordinis Prædicatorum Fundatoris, prius verò Canonici Regularis contra R. P. Dominicum Aurenhamer ejusdem instituti Fratrum Prædicatorum præsentatum, S. Patrem Dominicum Canonicum de Ordine Præmonstratensi fuisse contendentem MS. in Bibliotheca Wettenbusand.*

*Relatio Cereemoniarum in Beatificatione Beati Petri de Arbues Martyris Can. Reg. Ecclesiæ Metropolitanæ Casar-Augustanæ ab Alexandro VII. die 20. Aprilis anno 1664. factâ una cum brevi compendio vitæ ac passionis ejusdem Martyris ex Italico latinè reddita, Augustæ Vindelicorum anno 1664. in 12.*

*Traçtatus Historico-Theologicus de SS. Miraculoso Sacramento in Ecclesiâ S. Crucis sub specie carnis visibili MS.*

*Idea boni Pastoris seu vita R. P. Petri Fourerij de Maitaincour Can. Reg. S. Augustini, Reformatoris & Generalis Cann. Regg. Congregationis Salvatoris nostri in Lotharingâ ex Gallico latinè reddita, Augustæ Vindel. anno 1668. in 8.*

*Idea boni Prælati seu vitâ Alani de Solminibac ex Can. Reg. Abbate Cancellatensi Episcopi Cadurcensis in Gallid ex Idiomate Gallico in latinum versâ. Campiduni 1673. in 8.*

*Vita Eximii Dei Servi Alberti de altissimis Can. Reg. Congregationis Lateranensis ex Italico Latinè reddita, Augustæ Vindelicorum anno 1687. in 8.*

**MARCUS ESCHENLOHER**, Augustanus Suevus, modernus in Patrio Monasterio ad S. Crucem Sub-Decanus Senior & Sacerdos Jubilæus, olim etiam Novitiorum Magister, & Parochus jam senectâ ætate grandævus usque hætenus typis publicis expediri fecit, quæ (præter minutiora quædam opuscula suppressio nomine vulgata) jam pridem proprio ingenio confecit, partim etiam ex peregrino Idiomate Germanicè edidit, & sunt sequentia:

*Medicus Eucharisticus Augustanus, seu historia de SS. Hostia Miraculosa Augustæ Vindelicorum in Ecclesiâ S. Crucis Cann. Regg. Germanicè in 8. Augustæ typis Joannis Schönickii 1678.*

*Guilielmi Stanibursli Soc. Jesu Historia Dominicæ Passionis ex Latino Germanicè reddita in 8. ibidem Augustæ Vindel. apud eundem Schönickium 1676. & Campiduni 1678.*

*De animabus in Purgatorio Armen Seelen Glücks-Haffen Augspurg in 18. anno 1675.*

*Pædagogia Juventutis Christianæ Germanicè Augspurg 1685. in 18.*

*Claudii Rainssant, Can. Reg. Ordinis S. Augustini perpetua adoratio SS. Sacramenti Altaris ex Gallico Idiomate Germanicè reddita, Augspurg anno 1677. in 18.*

*Meditationes de Passione Domini, Heylsames bitteres Aloë von dem bitteren Leyden und Sterben unsers gebenedeyten Heylands Jesu Christi. Augspurg 1686. in 18.*

*Instructio pro anima devota cum Deo unienda ex Gallico Idiomate Germanicè reddita. Augspurg 1683. in 18.*

*Henrici Mariæ Boudin, Soli Deo seu unio cum Deo, ex Gallico Germanica, Augspurg 1686. in 8.*

*Pharetra ardentium sagittarum, das ist geistlicher Kocher mit rechtbrinnenden Liebs-Pfeilen eyfriger Begierden zu dem H. Sacrament des Altars. Augspurg 1680. in 18.*

*Joannis Crasset, Soc. Jesu Exercitia la Manne du Desert, ex Gallico Germanicè reddita, sub titulo: Seelen Ausgang aus der Ägyptischen Dienstbarkeit der Sünd und Laster in das gelobte Land. Monachii 1688. in 18.*

*Betrachtungen über die Wort: GOTT und Ich, für die geistliche Uebungen auf 10. Tag, ex Gallico Idiomate German. Augspurg anno 1691. in 18.*

*Sacer Fortunæ Globus, geistliche Glücks-Kugel, Augspurg 1692. in 8.*

*Joannis Russaliere Eleemosynarii Illustrissimi Domini Ducis de Richelieu Gymnasium patientiæ, seu Institutio Sponsæ Jesu Christi Crucifixi ex Gallico Germanicè reddita, Augspurg 1692. in 18.*

*Siben Gebett von den siben Blut-Vergießungen Christi Jesu auf jeden Tag der Wochen. Augspurg, 1690. in 18.*

*Auserlesene Andachten das Allerheiligste in Blut-rother Gestalt sichtbarliche und Wunderthätige Sacrament, so in dem Hochblüt. Gottshaus der Regulierten Chorberrn zum H. Creuz in Augspurg wirklich zu verehren aufbehalten wird, absonderlich mit schönen auf jeden Tag der Wochen eingerichten Gebett anzuruffen. Augspurg 1693. in 18.*

*Francisci Pomney Soc. Jesu Modus meditandi ex Idiomate Gallico Germanicè redditus sub titulo: Weis und Manier recht zue betrachten, und das innerliche Gebett wohl zue verrichten. Dillingen 1694. in 18.*

- Devotio Novendialis ad Festum Nativitatis Domini & Pentecostes Germanicè in 18. Augspurg 1698.*  
*Jacob Novet Soc. Jesu Pia colloquia cum Deo & Domino Nostro Jesu Christo ut Clementissimo,*  
*Maximo, Sanctissimo, ex Gallico Germanicè reddita München 1692. in 4.*  
*Geistliches Gliks-Rad. Augspurg in 18. anno 1693. Suppresso nomine.*  
*Geistliche Wahlfarth zu dem Blutschwizenden Herrn Jesu auf dem Oelberg. Suppresso nomine Au-*  
*thoris Augspurg 1696. in 18.*  
*Instructio de Jubilæo. Germanicè in 18. Augustæ Vindelicorum 1675.*  
*Advent-Büchlein, das ist 28. Betrachtungen auf einen jeden Tag durch das ganze Advent.*  
*Kinderlehren: oder leicht-begreifliche Auslegungen über den ganzen Römisch-Catholischen Cate-*  
*chismus. in 4. Augspurg.*

*AUGUSTINUS IMHOFF, quem suprâ inter Præpositos ultimo loco laudavimus.*  
*Ejus autem Opuscula sunt sequentia.*

- Conciones 200. de Pœnitentia R. P. F. Angeli Mariæ Marchesini Ord. Capuc. ex Italico in vulgare*  
*Germanicum traductæ 1690.*  
*Dilectus Candido-Rubicundus, seu de Sacra Hostia Sanguinea carnis specie Miraculosa &c. Typis*  
*Augustanis prodiit anno 1699. quo etiam anno edidit Concionem de eodem SS. Miraculo-*  
*so Sacramento pro Conclusionem Jubilæi, octiduanâ solennitate in Collegio S. Crucis*  
*celebrati.*

*ALIPIUS MARTIN, natione Bojus, in hoc celebri Collegio Philosophiæ Profes-*  
*for, & Parochiæ Vicarius multorum annorum, Germanico Idiomate conscripsit & Ty-*  
*pis Augustanis in 8. librum bipartitum vulgavit, cui titulus:*

*Geistlicher Ritter-Sporn, durch welchen alle, jedes Alters und Stands Personen von dem Weeg der*  
*Sünd und Laster abgehalten, zue der Lieb Gottes, und auf dem Weeg der Tugend geleitbet,*  
*hiemit zu einem Christ-Ritterlichen Lebens-Wandel getriben und angesporet werden.*

*ANTONIUS MUZENHART, Patriâ Augustanus, ex Latino in Germanicum vul-*  
*gare studiosè & multorû commodò traduxit*

*Opera R. D. Antonii Hemertii Can. Reg. Congreg. Windesimensis.*

*Item: Opera R. P. Petri Pennequin Societatis Jesu. His accensendi jure OCTAVIANUS*  
*PANZAU, & IGNATIUS KISTLER, Patria Augustani, quorum industria plures*  
*Afcetici & Historici ex Idiomate Gallico aut Italico in Vernaculum translati sunt.*  
*Vivunt adhuc ambo, de bonis Litteris meritissimi, de quibus proin abstinet Historia.*

### AUGUSTANUM III.

**S.** Georgio Megalomartyri dicatum Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Mo-  
 nasterium est, quod ætate nostrâ perquam insigniter efflorescit, primam autem ori-  
 ginem ceu Matrici (qualem etiamnum illam respicit) soli & uni debet Cathedrali Eccle-  
 siæ Augustanæ, seu duobus aut tribus Canonicis illius, qui Instituto Regulari inter Ca-  
 nonicos Cathedrales sensim labefactato, pristinæ Religionis & Claustralis observantiæ leges  
 cum cæteris de gremio Cathedrali Canonicis infringere pertinacissimè detrectantes, sed  
 in antiquo Canonicæ disciplinæ tramite firmissimè persistentes, annò circiter 1073. extra  
 civitatem Augustanam sibi construxerunt Cellam, seu (uti vocant) Oratorium quod-  
 dam antedictò S. Georgio M. sacrum, in quo ut prioris vitæ normam juxta sacros Ca-  
 nones Augustinianos amplius observarent, ac constantissimè tenerent, ipsis taliter in  
 unum commanentibus, seu in novo hujuscemodi Cœnobio unanimiter secundum Dei ti-  
 morem persistentibus, victum, & vestitum largè suppeditavit loci Episcopus, præfue-  
 runtque novellæ Congregationi isti Ipsimet Episcopi Augustani, donec per Sibothonem  
 itidem supremum Ecclesiæ Augustanæ Episcopum illis potestas facta est, proprium quen-  
 dam eligendi Præpositum; siquidem jam antè Waltherus Episcopus supra memoratam S.  
 Georgii Cellam (anno à prima institutione 60. Christi verò 1254.) verterat in Cœno-  
 bium, quod ipsum anno 1135. taliter inchoatum, atque unâ simul intra muros Urbis Au-  
 gustanæ receptum demum anno 1142. totum absolvit, cujus recensitæ foundationis hujus  
 Georgianæ vel paucis meminit etiam noster Nebridius à Mündelheim in suo Antiquario  
 Monastico Epist. 139. fol. 640. sic legendo: *Augustæ Præpositura est S. Georgii fundata à*  
*Walthero Episcopo annò 1135. Constans fama est eò positos esse Canonicos Cathedrales,*  
*qui nolebant consentire cum reliquis in vitam sæcularem. &c.* Porro fat magno cedit honori Augustano  
 huic S. Georgii Cœnobio, penes hoc ipsum durante sæculo decimo quarto confedis-  
 sime dignitatem & officium Episcopale, de quo Bruschius de Monasteriis Germaniæ centur. 1. fol.  
 119. sic habet: *Joannes Reicherus, aliàs Geroldshoferus eligitur (in Præpositum numero 13<sup>ti</sup>um.)*  
*Tom. III. Can. Regg. Origines.* N n anno

anno Christi 1401. fideliter, & feliciter præfuit annis 29. constituitur Episcopus Augustanus, sed non voluit recipere tantæ dignitatis onus potius quam honorem &c. Item Carolus Stengelius Abbas jam suprâ citatus part. 2. cap. 57. num. 9. ita refert: Eodem (1418.) anno Oswaldo Syndico Augustano procurante, ac Petro Fuchschero sollicitante tertio Decembris ex Commissione Papæ Abbas ad Scotos Norinbergæ Urbem (Augustanam) ab excommunicatione in quam Anselmi Episcopi causâ ceciderat, præsentibus 13. Juris Doctoribus absolvit, sed plenaria absolutio Romæ die 3. Februarii anno 1419. patrocinante M. Petro consecuta est. Nihilominus Senatus misit ad Summum Pontificem Legatos, qui hic in die S. Georgii exierunt, & Dominicâ ante Festum S. Bartholomæi iterum reversi sunt, portantes secum Bullam (Martini V.) Papæ, quod Præpositus S. Georgii ibidem deberet esse Vicarius Episcopi Generalis, cui Augustani in omnibus ut vero suo Episcopo parere deberent, quod onus Præpositus detrectavit; quare Senatus iterum misit Romam, & Mandatum fuit Præposito sub pœnâ privationis, ut Vicariatûs officium in se susciperet. &c.

## SUPPLEMENTUM

Catalogi Præpositorum Monasterii hujus ad S. Georgium Augustæ Vindelicorum tum à Caspate Bruschio de Monast. German. centur. 1. fol. 119. tum à Carolo Stengelio Abbate in Mantifsâ ad Commentarium rerum Augustanarum cap. 35. fol. 77. recensiti sequens & tale est.

XXXI. Udalricus III. Cognomento Steppich, Augustanus Electus anno 1635. die 2. Augusti; difficilia nimis imò & iniquissima sustinuit suæ Prælaturæ tempora, quæ nimirum adeo turbârunt S. Georgii Ærarium incredibilibus inimici hominis exactioibus & pressuris ad teruncium usque miserabiliter evacuatum; sed vel maximè terruit plusquam horrificum Belli Suecici disturbium usque ad annum 1648. continuo ac metuendo nimis horrore protractum, damnosa item hæreticorum circum circa commeantium invidentia, molestissima annonæ caritas, formidabilis admodum pestilentia, tristissima subditorum rucolarum depauperatorum inopia, sed vel maximè luctuosum Claustrî Georgiani incendium inopinatum etiam binâ vice toleratum, nec minùs alia sexcenta mala quasi à quatuor ventis undique prominentia; quibus tamen omnibus hujuscemodi miseriis ac triftitiis seu plusquam infaustis inimicæ fortunæ casibus, Udalricus Præpositus iste Venerandus, frangi nescius, perdurante Regimine suo saltem nihil non egit, & invictâ patientiâ suâ posteris servavit Cænobium suum, vel de posthac securâ proprietate possidendum, & ipse demum miseriarum satur fragilibus humanæ carnis vinculis enodatus anno 1664. die 14. Novembris.

XXXII. Sebastianus à Rhelingen in Schlüpfen, Patritius Augustanus, fertilissimo quarumvis scientiarum thesaurò ditissimus primùm post eminentiores scientias Romæ in Collegio S. Apollinaris Episcopi & Martyris continuò studiò ultra quinquennium protractò feliciter obtentas exinde domi suæ primùm loci Parochus, & exinde Decanus renunciatus, potissimùm libris conscribendis sese totum impendit, quoadusque plenum Cænobii Georgiani Regimen Canonica electione in id coactus suscepit. Passim Vir doctus undique conclamatus octennio circiter præstitit, ac tandem Prælaturæ fascibus in totum dimissis biennio circiter & ultra privatus vixit, ac demum cum Patribus suis placidè in Domino requievit anno 1679. die 27. Septembris.

XXXIII. Bernardus Neumayr, Augustanus è Patrio S. Crucis (in quo priùs pluribus annis officiò Custodis, Procuratoris & Decani successivis vicibus laudatissimè fuit perfunctus) Canonice postulatus, in omnimodam Cænobii sui restaurationem quantocyùs pro posse faciendam se totum impendit, atque saluberrimo hujuscemodi negotio (collaudantibus omnibus) toto tempore quoad præfuit, assiduè perfunctus, interea temporis ob congenitum Canonicæ Religionis & observantiæ Zelum palàm ostensum, etiam in Visitatorem Ordinis per Diœcesin Augustanam fuit institutus; Idem ampliùs de toto statu Monasterii sui præclarè satis meritis constanter illuxit usque in diem mortis suæ, quam urgente Nemese, jam sexagenariò major, in nidulo suo sustinuit anno 1689. die 15. Julii.

XXXIV. Leopoldus Ilfung à Trazberg, ex familiâ jam olim (uti videre est apud Bucelinum in Genealog. Germ. Partis II. Parte III.) pluribus Diversorum Monasteriorum & Ecclesiarum foundationibus perinckyta progenitus; Idem primùm post humaniores litteras, Philosophiam itidem & Theologiam Augustæ Vindelicorum, Dilingæ ac Romæ (ubi etiam ab Alexandro Papâ septimo caractere Sacerdotali fuit initiatus) in Collegio Germanico feliciter absolutas, tali ac tanta doctrina nobilitatus, ac subindè in Patriam reversus cum communi totius civitatis solatio, simul ac tripudio Parochiæ Georgianæ de posthac ritè curandæ fuit deputatus, quo zeloso hujuscemodi officio laudatissimè perfunctus,

functus, tandem pro meritis honoratus, & de communi Capituli Georgiani assensu sub annum 1689. mense Julio vacanti Prælaturæ folio superimpositus, idem & præ cunctis Prædecessoribus suis omnium primus auctoritate Pontificiâ mitrâ Præsulari decoratus fuit; qui dignissimus Præsul iste longævo 25. annorum decursu durante præclarissimo Regimine, suo quàm multa quàm magna ad majus S. Georgii Augustani incrementum gloriose præstiterit, nec facile quisquam edixerit, cujus tamen uberrimas laudes simul & præconia tacentibus omnibus clamabunt lapides, quibus hodie confurgit omnino totum S. Georgii Domicilium seu Claustrale Monasterium, & præter hos etiam Parochiale S. Georgii templum ad stuporem usque splendidius exornatum, imò & omnis S. Georgii Augustani status totus quantus plusquam nobiliter instauratus. Defecit tandem viribus excellentissimus Præpositus iste, & duobus ante mortem suam mensibus Regiminè spontè dimisso pietissimè in Domino requievit anno 1715. die 9. Februarii, cujus innumeras laudes & merita in Depositione solemnè coram Auditorio non tam Nobilissimo quàm frequentissimo in Parochiali S. Georgii Ecclesiâ docto sermone è publico suggestu recitavit, qui & ea publicis quoque typis divulgavit R. P. Rolandus Reich Ordinis Minorum S. Francisci Fratrum Recollectorum de observantiâ in Conventu Augustano Concionator Ordinarius.

XXXV. Melchior Vetter gente Suevus ex Pfaffenhausen (quod est Marca Episcopalis ditionis Augustanæ in Viciniâ Electoralis Civitatis Mündelheimensis in superiore Sueviâ) Patre Italo progenitus, post Domesticam Oeconomix Præfecturam totis 15. annis plusquàm laudabiliter administratam anno 1714. die 10. Decembris vi votorum Capitularium in Præpositum delectus, & auctoritate ordinaria confirmatus, paulòque de more solenni Pontificalibus Insigniis amictus, ex nunc jucundus & dilectus in Religiosâ potestate suâ Prædecessori seu Patri suo per omnia simillimus; sanè *Qualis Pater talis Filius*, seu successor in Prælatura dignissimus, cui rectè convenit illud Eccles. 40. v. 4. *Mortuus est Pater ejus, & quasi non est mortuus*, utpote superstes adhuc in Filio seu Successore (ut diximus) Optimo Maximo &c. Cui & nos mille votis aggratulamur prosperos in omne ævum Successus ad continuum & majus S. Georgii incrementum & quidem (uti peroptamus) amplissimum. Implevit Deus Authoris votum; Post annos enim Octoginta duos vitam clausit meritorum plenus anno 1745. feria secunda Pentecostes, cui grata Posteritas sequenti ad Confæderatos parentavit elogio.

Natus Melchior est 6. Jan. 1663. Pfaffenhusii, oppidò Sueviæ haud obscurò nostri Reverendissimi ac Serenissimi Episcopi Augustani, ex perhonestis Parentibus, quorum curâ à teneris annis didicit timere, amare, ac quærere sedulò DEUM; proin missus fuit Mindelhemium ad inferiora studia, quæ ibidem usque ad Rhetoricam inclusivè ita felicissimè absolvit circa annum 1680. ut inter primos condiscipulorum maximam & pietatis & doctrinæ laudem adeptus sit. Verùm, cum Adolefcens, indolis, ac excitati ingenii, maturè recogitaret, sibi in mundo diutiùs non immorandum esse, quò certius suum consequeretur ultimum finem, DEUM, juxta illud Eliæ auditum: *non in Spiritu*, scilicet mundi, *Dominus*. Inde præmissa debita deliberatione, in nostro Collegio pro susceptione supplicavit, atque unanimi suffragiò eandem impetravit. Ne autem talenta adolescenti à DEO concedita in absconso tenerentur, facta, post annum probationis, solemnè Professione nostri S. Canonici Ordinis, ad Lycæum Augustanum dirigebatur, quò Philosophiæ simul & Theologiæ moralis ibidem studio operam navaret suam, quod eo felici effectu perfecit, ut in utroque studio primas semper palmas ferret. Cum verò ob Religiosorum paucitatem, ad altiora mitti haud posset, privato Marte Theologiæ speculativæ difficultates adedè devicit, ut ad ejusdem publicas concertationes, non sine Collegii singulari honore aliorumque admiratione invitari potuerit.

Anno 1687. ad Sacerdotium promotus pretiosus iste juvenis, statim Cellarii, ac Magistri Novitiorum munus & onus per septem, Procuratoris verò per septemdecim omnino annos sustinere coactus est sicut cum maximo Collegii emolumento, ita etiam non raro cum proprio vitæ discrimine. Ah quam annoxa, simul & periculosa officiorum commotio? Videbatur quidem Melchiori ad aures mentemque sonare illud Eliæ: *Non in commotione Dominus*: exinde jam tunc cogitabat eligere solitudinem, angellum cum libello, veluti *sibulum auræ tenuis*, ut teneriùs sentiret DEI Præsentiam, & Dominum loquentem ad cor perciperet copiosius.

Verùm enim verò tantus Vir nequaquam permittebatur id, quod in votis jam jam habebat, assequi, imò ad altiora natus 1714. 18. Decembris, Præpositura nostra per liberam Resignationem tunc vacante, in Præpositum nostrum unanimiter electus fuit, honore pariter & onere regiminis ejusdem capiti impositò. Et verè utrumque per integrum sæculum Romanum, in tantum perfecte sustinuit, ut, juxta S. Regulam, *coram nobis*

nobis debito in honore semper fuerit, coram DEO verò substratus pedibus nostris. Onus Regiminis tantâ constantiâ pertulit, ut mirum planè sit vel dicere, vel audire, quanta, auctò prius per quatuor numerò Religiosorum, præstiterit jam pro communi habitatione, jam pro Sacristia pretiosa suppellectile: non per hyperbolem loquimur, dicendò: tanta fecit; ut, si totum Collegium nostrum funditus erexisset, plus fecisse haud æstimandus esset. Paucis omnia; tantus Zelus Domûs DEI, Collegii, eum comedisse videbatur, ut Zelus ejusmodi etiam in manifestum ac mortiferum ignem (febrem calidam vocant) prorumperet, quò necesse fuit, ut omnibus moribundorum Sacramentis non semel muniretur, quasi paulò post ad Dominum abiturus. Ast semper ignis aliàs moriferi pericula feliciter eluctatus, tandem cum Elia didicit: *Non in igne Dominus.*

His ita stantibus, noster Reverendissimus Præpositus bis jam Jubilæus Professionis Religiosæ, quam renovarat 1731. in Festo SS. App. Simonis & Judæ, nec non Sacerdotii, in cujus Rei gratam memoriam, in Die Dominica in Albis 1737. cum totius civitatis Augustanæ applausu, non sine singularissima solemnitate ipsemet pontificaliter Missam decantaverat: hic, inquam, ita stantibus, aliam statuit ingredi viam obtinendi securius suum finem ultimum, Deum. Isthæc autem alia non erat, quàm diu jam exoptata regiminis resignatio, quam, annuentibus, quibus intererat, maxima cum adificatione fecit die 20. Junii 1739. exoneratus proin tam honore, quem ut vanum spreverat semper, quàm laborum pondere, quod tamen ad vires exhaustas usque pertulit patienter. Quid modò? spectaculum planè DEO pergratum, Angelis honorandum, Dæmonibus formidandum, cunctis hominibus imitandum! à primo solitudinis electæ momento hominum frequentiam, non quidem fastidiebât, semper tamen declinabat; per sexennium tam perfectum claustralem egit, ut, nec precibus nec ullis suasionibus permotus, vel foras ire, vel etiam vehi passus sit, cellâ, quò diutius frequentatâ, eò magis sibi dulcescente; summo mane ad commodum plebis, quæ per Parochiam nostram à servitiis est, Missam dixit quotidie in Capella B. V. utut frigori ac aëris inclementiis magis exposita. Rediens ab Ecclesia non aliter videbatur per reliquum diei occupatus, quàm aut S. Libris, aut Coronâ B. V. cui, utpote liberatrici, ut ajebat, suæ multis è periculis etiam vitæ, nunquam non extitit devotissimus: sic autem piè occupatus, ægrè tulit, si quid de sæculi rumoribus aut bellicis vicissitudinibus referebatur.

Nimiùm autem rem protraheremus, ubi singula virtutum exercitia enarranda susciperemus; itaque transgredimur consultò ad substantiam, ad vota, quæ verum faciunt Religiosum, & Castitatem quod attinet, nihil unquam in nostro Reverendissimo Præposito notabatur, quod vel ab ipsa Angelica puritate alienum esset; & in hoc, non dubitamus, quin habeat, tam intra quàm extra claustra, pares. Obedientiam verò post factam resignationem, exactè observabat, quasi unus ex ipsis, moderno feliciter regnanti Reverendissimo Præposito, suo alias filio Charissimo, quem & susceperat & ad religiosam Professionem admiserat, in nullo vel dicens vel faciens aliquid contrâ; imò ad directionem etiam inferiorum Missam, veluti obediens pro bono Collegii quotidie applicavit.

Paupertatis religiosæ rigidus admodùm amator extitit semper; haud Dominum se se, sed solummodò temporalium dispensatorem moderatorémve agnoscens, nihil ultrâ, quàm quod dignitatem prælatitiam proximè decebat, jam in victu, jam in vestitu admisit; mensa semper communi nobiscum utebatur, si autem vel pro dignitate vel pro senectute quidquam, quod omnibus commune esse non posset, fortè offerebatur, id, facie duriori instar offensi acceptare omnino recusavit, & quòd rarum est, paupertatis amore, de illo subsidio pecuniario, quod in resignatione Eidem designatum fuit, semel & iterum, non totùm sed partem, acceptavit, deinceps verò nec obolum quidem minimum: relicto planè nobis dubiò, utrùm fuerit perfectior Prælatus in regimine, quàm, eò dimisso, pauperior religiosus in resignatione.

His itaque ac aliis quàm plurimis piè præmissis, aliud in mente non habebat, nisi *annos æternos*; in familiari colloquio præsentibus quibusque, & linguâ & digitò demonstrans quatuor novissima, affabrè depicta, sibi que ante oculos posita, cum suspirio dixit de die in diem: ex istis quatuor duo sunt certò cuivis mortali obventura, cæterorum unum duntaxat nos manet, pro merito æternaliter vel beandos, vel damnandos. Ex quo advertere haud obscure fuit, nostrum Reverendissimum Præfulem non nullo moveri, utut salutari, angore de futura sua sorte, quò (non temerè utique judicamus) Eundem liberare dignatus est pientissimus Salvator, mortis genere quodam, ad oculum quidem violento, sed attentis circumstantiis peropportunò sibi: veritatem dicimus: 6. Junii hujus currentis anni 1745. in ipso Festo Pentecostes præfatus Reverendissimus circa mediam sextam  
matu-



matutinam fecit Confessionem Sacramentalem, sui per omnia compos (ut attestatur Sacerdos, conscientiae arbiter) atque, nullâ interpositâ morâ, obtulit ipsemet SS. Missæ Sacrificium cum aliâ vix notatis affectibus omnigenæ devotionis, uti testis est Sacerdos, qui Eidem ad Altare assistebat; cum autem Illi jam in more positum erat, quotidie fumere SS. Communionem per modum Viatici, totus quantus paratus jam ad Domini adventum, ascendere per scalas conabatur ad Oratorium, unde pro consuetudine sua summæ Missæ interesset. Et ecce! nobis omnibus occupatis vel ad Altare, vel in Confessionali, aut in Choro, renovatum est illud Actorum 2. *Et factus est repente de cælo sonus tanquam advenientis spiritûs vehementis*: Quippe Reverendissimus noster liberè resignatus à 6. Januarii, 83tium ætatis annum ingressus, quem, ob corporis robur, ex Medicorum judicio, sperabamus videre centenariô Majorem, è summo scalæ Oratorii, an apoplexiâ, an titubantium pedum errore (nescimus) retrò lapsus, atque caput pavimento tam graviter allisit, ut ibidem in proprio sanguine, è naribus æquè ac ex ore copiosissimè profluente, veluti baptizari Spiritu Sancto meruerit, juxta illud Christi: *Vos autem baptizabimini Spiritu S.* quod idem est in Theologorum sententia, ac: vobis erit per adventum Spiritûs Sancti cum cæteris donis remissio & culpæ omnis & pænæ. Spiravit quidem Reverendissimus adhuc unum & medium diem, nihil tamen adhibitorum remediorum præter extremæ Unctionis Sacramentum admittens, exspiravit media româ nocturnâ feriæ 2dæ Pentecostês, placidissimè in corona fratrum & Reverendissimi moderni D. Præfulis.

XXXVI. Joachimus Patria Augustanus ex Nobili Waybliorum familia oriundus, qui vires tantæ dignitati pares attulit, cui boni omnes, & nos cum illis felicissimos Regiminis precamur annos.

### AUGUSTANUM.

SS. Udalrico Episcopo Confessori, & Afræ Martyri, primariis Dioecesis Augustanæ Patronis dicatum Ordinis S. Benedicti Monasterium, præ cunctis aliis sæpe dictæ Imperialis Civitatis Augustanæ Collegiis sacris antiquissimum, utpote primævæ Institutioni Ecclesiæ Augustanæ Coætaneum; de quo jam pluribus dictum est in nostrâ Suevia Ecclesiasticâ Litt. A V. *Augustanum*: Asseverat quidem Gabriel Buccelinus part. 1. fol. 88. sæpe nominatum S. Udalricum (qui inter Episcopos Augustanos numerò decimus nonus annò gratiæ 973. suæ Ordinationis verò 50. die 4. Julii ad Superos emigravit) Episcopum isthæ loci primitus instituisse Regulares Canonicos; at non nisi perperam talia ille scribit, siquidem jam longè priùs & quidem sub S. Wicterpo decimo Augustanæ itidem Ecclesiæ Episcopo (sub annum Christi 662. cælis recepto) primos & antiquissimos Cænobii hujus Augustani Inquilinos non nisi Regulares fuisse Canonicos ultrò fatetur ejusdem loci Monachus ac Prior, idem postmodùm etiam Abbas, Bernardus Hertfelder in suâ SS. Udalrici & Afræ Basilicâ anno 1623. typis Augustanis in folio editâ fol. 8. sub his verbis:

*Canonici Regulares per hæc tempora hunc locum incoluerunt, & usque ad annum Millesimum duodecimum possederunt; quando nimirum Bruno Episcopus Augustanus S. Henrici Rom. Imperatoris & Ducis Bavarie Germanus Frater dictis Canonicis loco motis Benedictinæ Regulæ Professores substituit; ea solum de causâ (refert Nebridius à Mindelheim Antiquarii Monastici fol. 90.) quòd S. Udalricus, à quo Monasterium fundatum erat, totâ vitâ suâ dilexerit Ordinem S. Benedicti. An igitur antiquissimam Canonicorum Regularium in hac SS. Udalrici & Afræ Ecclesia Possessionem tam Domesticis testimoniis, ac de nullo partium studio suspectis probatam, quisquam sanæ mentis in dubium revocare ausit? ausus est enim verò unicus, quem scio, isque omnium Recentissimus P. Felix Egger Monachus Peterhusianus, qui nescio qua doctus Philosophiâ fol. 325. suæ *Ideæ Benedictinæ* scribit, non absolutè Priorem illum asseruisse, quòd Canonici Regulares ea tempestate locum illum incoluerint, sed solum ex coniecturâ, & illo forsân etiam errore, quo persuasum habuit, omnes Canonicos in communi viventes, continuò Regulares fuisse. Sed quæso, quid magis absolutum dicere potuisset, quàm hæc ipsa, repeto, formalia? Canonici Regulares per hæc tempora hunc locum incoluerunt, & usque ad annum Millesimum duodecimum possederunt. Et etsi citatus Prior nil in Annalibus expressè prodi asserat, quando & à quo tempore id factum sit, hæc tamen dubitatio non ipsam substantiam rei, sed solam circumstantiam temporis afficere clarum est: si enim cuiquam Turcarum cladem absolutè, dubitans de numero Cæsareorum, transcriberem, an idèd hæc dubitatio de numero ipsammet cladem redderet dubiam? deinde si Bernardum solum ex coniecturâ aut errore locutum asseris, cur coniecturæ aut erroris originem non ostendis? Ostendo, inquires, exinde, quia Bernardus ex errore forsân persuasum habuit, omnes Canonicos in communi viventes continuò Regulares fuisse. Benè addis forsân, quia persuasio ista valdè est dubia, cum nullam illius rationem in toto tuo opusculo reperiam. Sed transeat interim triplex sub id ævi viguisse Canonicorum genus, à te folio 326. allegatum, sed non probatum, licebitne statim inferre in controverso, S.*

Tom. III. *Can. Regg. Origines.*

00

Afræ

Afræ Cænobio fuisse Canonicos tantum in communi viventes, non verò votis adstrictos, quos tu absolutè nominas Regulares? licebit hoc utique ex gravi fundamento, quod planè Idea tua non exhibet, & hic ipse sufficientis fundamenti defectus ad oppositum hoc modo inferendum impellit. Tales inibi fuere Canonici, quales fuisse signatè notant Antiquissimi Annales moderni Celeberrimi Monasterii SS. Udalrici & Afræ: sed hi signatè notant fuisse *Regulares*, non tantum in communi viventes, ut ex iteratò allegatà Bernardi Prioris assertione colligitur, ergo &c.

Item, talis speciei erant Canonici S. Afræ, qualis erat Colonia sæculo IX. ad Imperiale Collegium nostrum Wettenhusanum exinde deducta: hæc erat Regularis & ejusdem omninò speciei cum modernis Canonicis, Collegium isthoc per octo jam sæcula incolentibus, ergo &c.

Major, supposità illius Coloniae translatione, quam infra ex instituto dabimus Verbo *Wettenhusanum*, est innegabilis, minorem quod attinet, optima videtur negativa probatio, à nemine videlicet five nostrorum five Adversariorum substantialem aliquam mutationem, qua v. g. ex sæcularibus aut in communi tantum viventibus in Regulares transiissent Canonici nostri, probari posse, qualis tamen mutatio, velut res notatu dignissima in scripta fuisset redacta, cum alia etiam notatu minus digna reperiamus. Dices: saltem prima ista Colonia legibus D. Augustini nondum erat adstricta, adeoque jam specie differebat à modernis Canonicis in eandem jurantibus. Antecedens hoc non absolutè concedo: constat quippe ex probatis historiis, D. Augustini Regulam jam Sæculo quarto in Gallia in Monasterio Lirinensi fuisse notissimam &c. Regula enim, quam S. Cæsarius Arelatenensis suæ Sorori S. Cæsariæ, & reliquis Canonissis præscripsit, continet omnia S. Regulæ, quam manibus modò terimus, formalia: unde autem eandem Regulam desumpserit S. Cæsarius, egregiè notat P. Brawerus Soc. Jesu apud Bollandum tom. 1. Jan. fol. 730. n. 10. in hæc verba allegatus. *Itaque Regulam hanc (intellige S. Cæsarii) utranvis in partem accipias, à S. Benedicci quidem institutis discrepantem, arbitror equidem cum ipso Cæsario ex Lirinensi Gymnasio profectam.* Consequenter Regula D. Augustini jam tum temporis fuit notissima, & haud dubiè à S. Hilario Arelateni S. P. Augustino in vivis familiarissimo, suo Monasterio Lirinensi illata. At quid Auctoritates allego? quas tamen nullam in Antagonistà fidem reperiuntur prævideo. Octo Historicos, omni sanè fide dignissimos affert noster Erath ad stabiliendam nostrorum in Bavarià Collegiorum antiquitatem. Verum horum omnium testimonia, prætermisso eorundem examine non nisi concepta de eorum fide dissidentià in hæc verba eludit. *Authores tamen illi non ejus semper sunt classis & fidei, ut Authentica foundationis fidem subministrant.* Egregia, si superis placet, obiectionum solutio. Ut ergò pateat, me majorem Scriptoribus etiam mihi neutiquam faventibus habere fidem, admitto, S. Augustini Regulam eo tempore in plerisque Germaniæ locis fuisse incognitam, convictus à Mathæo Radero tom. 2. Bavariæ Sanctæ fol. 277. conceptis verbis id affirmante, & quid indè? numquid cum hac Regula etiam substantialem primævo Canonicorum Instituto diversitatem superinductam fuisse eo ipso affirmabis? nullà sanè ratione. Audi enim quid in hanc rem citato loco scribat Raderus. *Enim verò ubi me collegi, animadverti, ea fuisse tempora, quibus Temporibus plerique Religiosorum virorum leges non ceris, tabulis, membranis, chartisve inscriptas circumferebant, sed in usu, tractatione, mente, cordibus, moribus, & exercitatione habebant, ut olim Ecclesia Christiana, priusquam S. Evangelii Præcones sua præcepta in litteras referrent.* Eadem ergò tam antè quàm post acceptam Augustini Regulam erat inter Canonicos vivendi ratio, eo solo discrimine, quòd ea, quæ prius continua traditione edocti moribus & conversatione exprimebant, postmodum etiam characteribus expressa tenebant: consequenter idem quoque tam post, quàm antè acceptam Regulam erat Canonicum Institutum, cujus utique Identitas ab Identitate Regulæ non litteris sed moribus & conversatione retentæ desumi debet; nisi permittere quis vellet, primævæ Christianitati substantialem diversitatem fuisse superinductam, postquam ejus dogmata ab Evangelii Præconibus litteris consignata fuere.



## Littera B.

## BACCONENSE.

**M**onasterium Diœcesis Hildesheimensis in partibus Saxoniae inferioris primum à Canonicis Regularibus inhabitatum, inde tamen ad Monachos Institutum Cisterciensium Professos devolutum, superiori aetate à tumultantibus hostibus violenter fuit occupatum, unde hodieum omni Religioso statu manet destitutum; de cujus primæva fundatione, tum etiam subsequenti Claustralis Professionis immutatione Bruschius de Episcopis Germaniae Tom. 1. cap. 11. in Bertholdo 20. Episcopo Hildesiano prostat in hæc verba legendus: *Construxit* (idem Bertholdus Episcopus suæ ordinationis 15. Christi verò 1130. teris defunctus) *in Bacconensi Pago Conventum Canonicorum Regularium S. Augustini non procul à Hildesiana Civitate situm, quod ab Episcopi Fundatoris nomine Bertholdi Rode, quasi Bertholdi novale appellatum est; hodiè Cisterciensium Monachorum Domicilium Mariæ Novale vulgò Mariæ Rode dici ab Accolis solet.*

## BACKNANGENSE.

**N**obile Monasterium Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini in notâ paris nominis ditione & oppido (vel breviter descripto apud Zeilerum in Topographiâ Sueviæ fol. 29.) Backnangensi propè Muram fluvium infra districtum Diœcesis Spirensis annò 1116. S. Pancratio Martyri dicatum. Primus hoc condidit Hermannus Marchio Badensis: cujus fundationem paulò post ratam, gratamque habuit, atque autoritate ordinariâ confirmavit Bruno Spirensis Episcopus ordine tricesimus sextus, idem Sapientissimus Vir intitulatus à Bruschio de Episc. German. Tom. 1. cap. 6. Venit etiam in partem fundationis seu dotationis Backnangensis Rudolphus Baro Eberspergensis, qui, nisi hallucinatur Crusius, jam sub initium Seculi decimi claruit. Verba illius in Annal. Part. 2. lib. 3. cap. 6. ad finem ita sonant: *Hoc* (sub annum 911.) *tempore* (ut in Chartis M. SS. reperi) *vivebat Rudolphus Baro Weissachensis uxorem habens nomine Gilimetham. Habitavit Ober-Weissachii, & tandem Eberspergam ædificavit, fuit ultimus suæ stirpis, ideòque bona sua in Canonicatum recens institutum Backnangensem contulit. Ubi in templo sepulti aliquot Marchiones ex hoc genere illius Benefactores; &c. præ reliquis autem Hermannus Fundator Primarius, qualiter ostendit Epitaphium illius, quod allegat idem Crusius loc. cit. lib. 9. cap. 14. in hæc verbâ:*

Hæc cubat Hermannus Badensis Marchio tumbâ,  
Qui claustris, & templi Conditor hujus erat.  
Annò Millenò moritur: centum quoque subdas,  
Térque decem à puero, quem pia Virgo parit.  
Huc dum transfertur, cum posteritate fluebant  
Quindecies centum, cum tribus adde decem.

Filius Hermanni jacet hic Hermannus & alter,  
Dotem firmavit, auxit & ille Patris:  
Illius & Genitrix Juditha putatur adesse,  
Bertha simul Conjux: nomine Quartus eget.  
Filia Fundantis jacet hac Juditha sub urna,  
Virgo, ferens nomen Matris ut ante fuit.

Anno 1245. Innocentius Papa IV. plura, ac varia Canonicis Backnangensibus contulit privilegia, quæ fusiùs explicat diploma (quod totum recitat idem Crusius Part. 3. lib. 2. cap. 2.) Pontificum clementissimè datum sub hujusmodi tenore: *Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Præposito Ecclesiæ de Baggenanck ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris Regularem vitam Professis ad perpetuam rei memoriam. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, Religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam de Baggenanck Spirensis Diœcesis, in quâ Divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus observetur. Præterea quascunque Possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, Largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus*

mus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis: curiam, quæ dicitur Mons, Areas, Curtes, domos, redditus, sylvas agros, tria Molendina, piscarium, & quidquid habetis apud oppidum Backnangense: Hospitale ibidem possum cum suis pertinentiis Germanswiler, Nubach, Huningen, Ramese, Wieteswiler, Murre, Rudolfsberg inferius & superius, Capellam S. Joannis sitam ibidem Fuches cum omnibus pertinentiis eorundem; Wiba inferius & superius cum Molendino, Hitingesbach, Braden, Traselbach, Sassenwiler, Rodegastbere, Rodesmatswiler, Claffenbach, & quidquid habetis in Parochia Baggenangensi. Richenbach cum suis pertinentiis ante castrum Richenbon, bona & Molendinum Sciura - Giselmar, aquam sulfuginis in Halle cum suis pertinentiis. In Landsidel Ecclesiam S. Pancratii cum decimis, redditibus & omnibus suis pertinentiis, Kupper, Balderichseroden, Sigeninswiler, Egenensteten, Zwingelbusen, Kirchberc cum decimâ & aliis bonis Einter, Botebor inferius cum suis pertinentiis: Bona in superiori Botebor, Gilenstein, Einöts, Grumpenbach, Hoppecken, Muns, Blidolsheim, Ingersheim, Baserkein, Mindolfsheim, Othmersheim, Gamertenken, Curian, Molendiman & Ecclesiam S. Martini cum Curia & omnibus pertinentiis suis. Decimam de Bintenvelt & in Rudinsbosen bona. Vellach, curiam, vineas & areas cum suis pertinentiis Beckna & Grünbac cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis in busco & in plano, in aquis & Molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sanè novalliam vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hætenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos & absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra Professionem fas sit sine Præpositi sui licentiâ de eodem loco nisi arctioris Religionis obtentu discedere, discedentem verò absque communi litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis januis clausis exclusis excommunicatis & interdictis non pulsatis campanis suppressâ voce divina officia celebrare, dummodò causam non dederitis interdicto. Chrysmâ verò, oleum sanctum, consecrationes Altarium seu Basilicarum, Ordinationes Canonorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diocesano percipietis Episcopo si quidem Catholicus fuerit, & gratiam ac communionem Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliquid exhibere. Prohibemus insuper, ut intra fines Parochiæ vestræ nullus sine consensu Diocesani Episcopi & vestro Capellam seu Oratorium de novo construere audeat salvo privilegio Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archi-Episcopis, & Episcopis, Archi-Decanis seu Decanis & aliis omnibus Ecclesiasticis secularibusve Personis à vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, aut publici usurarii, nullus obstat, salva tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum pertinentes, quæ à Laicis detinentur, redimendi & legitimè liberandi libera sit vobis de nostrâ autoritate facultas. Obviente verò te nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet Successorum nullus ibi sub quolibet subreptionis astutiâ seu violentiâ præparatur: nisi quem Fratres communi consensu vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Deum, & B. Augustini Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ impofterum sollicitudine providentes auctoritate Apostolicâ prohibemus, ut infra clausuras locorum seu granzarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ vestræ concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exemptionum à Regibus & Principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communitimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfata Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integrè conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diocesani Episcopi justitiâ, ac in supra dictis decimis moderatione Concilii Generalis. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, Secularisve Persona hanc nostræ constitutionis paginam violaverit, aut sciens contra eam venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, redmque se divino officio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco jura sua servantibus sit Pax Domini Nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem æternæ pacis præmia inveniant. Amen. Datum Lugduni per manum Magni Martini S. R. E. Vice-Cancellarii tertio Idus Aprilis Indictione tertiâ annò Dominicæ Incarnationis Mille-simo ducentesimo quadagesimo quinto, Pontificatus verò Donini Innocentii Papæ annò secundò.

Posteris annis Backnangensis hæc Ecclesia Benedictinos etiam (si vera habet Lazius de Migrat. gent. lib. 8.) recepit Monachos, Canonicis Regularibus vel associatos, vel omnino

omnino solos (prioribus Inquilinis omninò dimissis) ad eam introductos, de qua Religiosi statùs immutatione, ut & de primâ Backnangensium fundatione, ejusque ampliori ditatione citatus auctor fol. 404. ita scribit in Genealogia Marchionum Badensium:

*Hermannus Marchionis Veronensis Filius obses ex Italiâ eductus à Friderico I. circa annum Domini 1158. fertur, primos agros beneficio Romani Imperii eos accepisse secus Rhenum flumen, ubi hodie Badensis Marchia sita cernitur à thermis, quæ inibi pleræque sunt, nomen adeptæ. Cujus uxor Imutha Præposituram Backbena ad Murannem auspiciatur pro octo Canonicis: quibus postea Monachi Benedictini accessere. Et paulò post: Rudolphus cognomento Senior, Hermanni Primi Filius, & Hermanni Secundi frater Germanus, cujus titulus reperitur talis: Rudolphus Dei Gratiâ Marchio Veronensis de Baden. Is ex Kunegundâ Ottonis Senioris Comitis ab Eberstein filia, filios tulit Hessonem, Rudolphum Tertium, & Hermannum Sextum, secundus Backena fundavit, & in Benedictinum Cœnobium convertit anno 1295.*

#### BADENSE.

Venerabile Parthenium Canonissarum Regularium Ord. S. Augustini Congregationis S. Sepulchri nostro itidem sæculo decurrente noviter exortum. Hoc sub annum circiter 1668. propriis sumptibus apparavit, & Religiosam coloniam ex inclyto paris Instituti domicilio Leodiensi isthuc adduci fecit Serenissimi Principis Leopoldi Wilhelmi Primi Marchionis Badensis &c. altera Conjux Maria Francisca nata Comitissa de Fürstemberg, de piâ fundatione hac eximiè laudata in Epist. dedicatoriâ, quæ Religiosissimæ Principi huic solemniter inscripta, præfixa habetur vitæ Alveræ de Virmundo Sanctæ memoriæ dicti Ordinis in Conventu Juliaeensi Priorissæ, annò 1682. typis Coloniensibus in 4. Germanice vulgatæ. Post novissimam cladem à ferocientibus Gallis toti urbi Badensi illatam, eamque merissimè devastatam, & solo coæquatam, venerabilis iste Cœtus Parthenius Domicilium suum Rottenburgum ad Nicrum transtulit, ubi de præsentî hæret, avidissimè expectans Redemptionem Israël, seu publicam Patriæ pacem omnibus indulgendam.

#### BAGOLINUM.

Ita primitus suo nomine dictum, exinde verò contrariâ consuetudine *Borstellense* nuncupari solitum, antiquarum Canonissarum Regularium Ord. S. Augustini Collegium in Diœcesi Osnabruggenfi prioribus sæculis Authore non notato fundatum; cujus Religiosæ Domicellæ sat longo quidem tempore sub Regulâ Canonico - Augustinianâ devotè militantes, demum sub finem sæculi quinti primævi Instituti sui desertrices factæ, maluerunt esse & videri Canonissæ sæculares, imò & novissimis temporibus sub annum circiter 1562. etiam ab avitâ Religione Orthodoxâ apostatantes, nihilominus hodiedum incolunt locum Sanctitatis, prævalente hæresi ipsi firmatum: cujus occasione Marianæ cujusdam statuæ in templo Bagolini seu Borstellensi quondam à Convenis & Advenis magnâ devotione venerari solitæ, R. P. Guilielmus Gumpenberger S. J. in suo Atlante Mariano mentionem faciens ita scribit: "Bagolinum antiquissimum de Ordine Regularium Canonissarum S. Augustini Collegium, nunc (quæ infausta rerum mutatio!) Canonissarum hæreticarum Conventus, nomen à Sylvâ proximâ Urbi Osnabruggenfi accepit Borstell dictâ, à quibusdam dicitur inventio Mariæ, eò quòd ibi in Sylvâ sacra statua inventa sit, eòque in loco excisis arboribus Monasterium cum templo ædificatum, Germanicè MARIA fundt appellatum: Statua adhuc superest, quæ ternos palmos altitudine vix æquat, sæpiùs translata, tantum nocte sequente negotium raptoribus faceffivit, ut nolentes volentes eam restituere loco pristino coacti sint. Mortuis Virginibus Catholicis, postquam successère Canonissæ hæreticæ facilè se permisit auferri à Sacerdote quodam Catholico, qui eam adhuc tenet, incertum cuinam templo Catholico eam sit destinaturus. &c.,"

#### BALLENSTETTENSE.

Taliter ab antiquo nuncupari solitum, S. Nicolao Myrensi Episcopo Confessori dicatum Diœcesis Halberstadiensis in Comitatu Ascanio primùm Ordinis (testificante Abrahamo Saurio de Urbibus litt. A. fol. 49.) Canonicorum Regularium S. Augustini Collegium, subinde verò tempore non notato in Asceterium Monastico - Benedictinum commutatum, & dehinc Venerabili Congregationi Bursfeldensi consociatum, cujus inclytus Fundator fuisse perhibetur Efcus Comes Anhaltinus, hodiernæ stirpis Principum Anhaltinorum (uti videre est apud Antonium Albicum Florentinum in Stemmat. Christianorum Principum pag. 30.) Originarius Author seu Conditor, qui castrum seu Residentiam

tiam suam Ballenstettensem in Regulare claustrum convertit, & Regularibus Canonicis supra dictis in plenam possessionem cessit, Attestante Martino Zeillero in Itinerario Germaniæ cap. 2. fol. m. 122.

## BAMBERGENSE I.

**E**Piscopalem (Ecclesiam) inter Collegia Canonicorum Regularium refert Myræus de Collegiis Regularibus cap. 69. in fine. Hanc fundavit S. Henricus cum Sanctâ Cunegunde illius Coniuge, quam Imperiali magnificentiâ ab illis dotatam, redditus, quos nunc possidet, sine alio teste docent. Erecta est Ecclesia sub invocatione Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Ita Pennotus lib. 2. cap. 39. num. 9. Item Nebridius in Antiquario cap. 139. fol. 638. Nimis prolixus forem, si de Cathedralibus Germaniæ Ecclesiis differere vellem. Ergo breviter: Religiosè communem vitam duxerunt. De Bambergensibus constat ex Lamberto (Schaffnaburgensi) annò 1075.

## BAMBERGENSE II.

**A**liud ibidem Regularium itidem Canonicorum Collegium S. Stephani Proto-Martyris intitulatum ab eodem ante dicto S. Henrico Imperatore primitus fuit institutum, de quo Adelzreiterus in suis Annalibus Baviariæ lib. 15. num. 31. vel breviter sic habet: Condidit (idem S. Henricus) eodem loci duo Cœnobia, alterum D. Michaëlis Angelorum Principis, alterum Divi Stephani Proto Martyris; cujus posterioris Ecclesiam confestim post expletum Cathedralis inaugurationis actum pariter fuisse consecratam, constat eodem loco allegato num. 4. ubi sic habetur. Secuta est (eodem die) consecratio ædis Divi Stephani quam Henricus Canonicorum Collegio donavit, &c. Canonicos autem isthic loci, seu ad S. Stephanum primitus institutos fuisse verè Regulares seu Religiosos, apertè monstrat Hundius in Metrop. Salisburgensi tom. 2. fol. 281. ubi in annotat: de Immutatione Religiosorum Ordinum jam antiquitus in pluribus Germaniæ Monasteriis hinc inde factâ inter alia sic legitur: Bambergæ Monasterium Canonicorum Regularium conversum est (posteris temporibus) in Præposituram Canonicorum Secularium.

## BAMBERGENSE III.

**T**ertium isthic loci Regularium etiam Canonicorum Collegium S. Jacobi communiter inaudit, ab Hermanno seu Herimannò loci Episcopo (qui numerò Sextus ab anno 1066. usque 1076. Pontificatum gessit) fuit apparatus, quod vel paucis innuit Bruchius de Episc. Germ. tom. 1. cap. 15. sub his verbis: Erexit (idem Hermannus antedictus à S. Gregorio Papa VII. propter Simoniacam labem exauthoratus) ac liberalissimè dotavit S. Jacobi Ecclesiam in suburbio sitam; quam tamen idem ipse Fundator eisdem, quibus ante tradidit, Canonicis Regularibus primis loci Inquilinis denuo protervè subtrahit, seu eosdem inde deturbavit; de quo Nebridius à Mündelheim in suo Antiquario monastico Epist. 21. fol. 89. ita differit: Hermannus Bambergensis omnes Clericos à Monasteriis ejicere volens, Monachos solos de cætero in omni sua Diœcesi esse voluit. Et jam de facto Clericos 25. de Monasterio S. Jacobi, quod ita pridem præ muris civitatis erexerat, ejecit, tradens locum cum omni possessione Abbati Egberto S. Michaëlis, ut Monachos eò collocaret. Hoc non modò expulsi, verùm etiam Clerici Majoris Ecclesiæ Bambergæ ægrè ferentes, quòd scilicet non sine magnâ injurâ sui Ordinis Episcopus tantum deferret Monachis, maxime cum expulsi scientiâ, moribus & Canonice disciplinæ observantia haud obscuri essent, multis obsecrare Episcopum, quem cum immobilem sentirent, adire Principes, & denique ipsum Imperatorem non destiterunt. Tandem cum nullibi preces vim haberent, Papam accesserunt, à quo non modò stabilitatem, sed etiam excommunicationis sententiam retulerunt in Sacrilegos Invasores latam. Ergo post hæc Canonici Regulares quidem isthic loci Autoritate Pontificâ postliminò in integrum restituti; quorum tamen Posteris vertentibus annis iteratò (quonam fato? latet) cedere coacti, vel pessimò aliorum exemplò fortiter allecti suâ sponte Sæcularitari maluerunt; dum nempe Bambergensis ista S. Jacobi Ecclesia jam à longissimo tempore manet in Collegiatam sæcularem transmutata.

## BAMBERGENSE IV.

**S.** Theodori Cœnobium præpotens, quod Incolæ Urbis corruptâ & abbreviatâ voce S. Oders vocant, nobilium Puellarum, perpetuæ Virginitatis votò adstrictarum, inchoatum est primùm Michaëlsfeldi in Nicolai colle (ubi hodie adhuc vetus templum visitur) anno Christi circiter millesimo centesimo trigesimo quinto, postea verò Bambergam in locum (quo hodie adhuc extat) translatum annò Domini Millesimo centesimo quinquagesimo, ibique in honorem S. Theodori M. fundatum est à Gertrude Palatinâ Conradi Mar-

Marchionis Misnensis filiâ, quæ defuncto Maritò hoc ipsum Cœnobium ingressa per annos aliquot sanctè illuc vixisse, & præfuisse cæteris Virginibus legitur. Sepultus est in eo Hermannus Secundus Bambergensis Episcopus, qui obiit annò Millesimo centesimo septuagesimo septimo, & creditur fuisse Marchio Misnensis, & hujus Fundatricis Germanus Frater. Hæc Aubertus Myræus de Canon. Reg. cap. 67. fol. 164. ubi quidem hoc S. Theodori Cœnobium inter ea, quæ sunt Ordinis Canonico-Augustiniani recenset, sed quàm benè, nescio, cum sanè istud mox à prima Origine sua semper fuerit Monastico-Benedictinum. Idem in Bruschio de Monast. German. Cent. 1. fol. 87. in hæc verba notatum: *Extra Michaëlsfeldensis Cœnobii muros prope est trans Weisserium rivum colliculus cum vetusto fano S. Nicolai, in quo antiquitus & à primâ Cœnobii fundatione Moniales Benedictinæ Professionis vicitarunt. Hæc postea reformata, Bambergam in S. Theodori Cœnobium translata sunt &c.* Et sic ille loc. citato. Verùm utut sit, Parthenonem istum Bambergensem jam pridem in commune Hospitale pauperum sæpeditæ civitatis Bambergensis fuisse transmigratum, certa & fideli relatione nobis constat, inde transmissâ nuperrimè primùm.

## BANDERHOLMA.

SEU communiter *Monasterium B. Mariæ in Bandersholm* appellatum, superiori ætate sub reformatione Windesimensi vel olim apud Populos Aquilonares in Holsatiâ plurimum inclaruit, quamvis de tempore & Authore primæ foundationis haud ampliùs inquirendum, utpote Religione Orthodoxâ jam pridem loco, imò & universâ Regione istâ procul hinc exulare coacta, cui tanto malo nefando solus Author fuit Joannes Holsatiæ Dux cognomento Senior, anno 1580. die 2. Octobris terris demortuus. Majus quoddam de hoc loco, ejusque Instituti ratione nobis lumen suppeditat Continuator Bolandi Godefridus Henschenius de Canonico nostro Ordine ob loca & Sanctos, eidem sedulâ investigatione solidè vindicatos optimè meritis, qui Tom. 4. Maji fol. 43. n. 9. hæc habet. Fuit autem Cœnobium ex Faldera, seu Neo-Monasterio (in quo Institutum Canonico-Augustinianum viguisse inferiùs litt. F. præter alios ex hoc ipso Authore monstrabimus) anno 1332. per Henricum Schwinebardt XV. Præpositum translatum Bandersholmam, ubi vita S. Vicelini in templo infixâ fuit in tabellâ versùs Septentrionem, in qua dicuntur cum translato Monasterio Vicelini Reliquiæ pariter translatae, ante summum Altare in medio Sanctuarii, cum aliorum duorum Servorum Dei ossibus. An unus ex his Dei Servis censendus Thiethmarus (Vicelini discipulus) de quo agimus, non possumus certò indicare. Hastenùs Henschenius loco citato. In ulteriorem hujus Translationis confirmationem adduco ea, quæ Kranzius in Saxonia Lib. 10. Cap. 36. memorat de mirabili cantu, tum ab Henrico novissimo Holsatiæ Comite, tum ab ejus loci junioribus Canonicis audito. Hic Henricus (inquit Kranzius) rebus per Holsatiam benè procuratis, multa in bellis consilio magis, quàm manu peregit, & in senectâ, quam illi suus morbus (erat enim Podagricus) aggravabat, Monasteria devotionis causâ frequentabat. Bandersholm Cann. Regg. Cœnobium insigne manet, quod frequentans, audivit rumorem de voce, incertum, Angelicâ, vel humanâ, quæ velut pueri se misceat vocibus Fratrum canentium, & interdum Sacerdoti Ministerium ad altare summum in præcipuis festivitibus agenti. Orat Henricus Fratres, pro se interveniant ad Dominum, ut ejus vocis mereatur auditor fieri. Fecere Fratres quod voluit. Ubi diligentius auscultabat, audivit concinentem, & præ gaudio se non capiens, locum insigni dono honestavit, permittens villam Loep cum omni jure dicto Monasterio.

Non filebo (pergit adhuc Auctor) quod in laudem Altissimi commemorationem promeretur, ætate nostra gestum: Nonnulli Fratres ex Sacris Ordinibus, quos foris acceperant, numero sex venientes jam vespertino officio inchoato, ipsi ex dormitorio lateralem ingressi Capellam, unde in subjectum Chorum est prospectus, audivere in cantico MAGNIFICAT, vocem velut pueri intercentis: & inter se insipientes dixere. *Quid? Pater noster, unde adduxit puerum canentem, præter Ordinis nostri consuetudinem?* & aspicientes desuper, puerum non viderunt: nec tamen vox ista quievit. Expleto Officio quidam ex his detulere Patri quid audissent, ille miratus, singulos examinat, auditque consona voce testari, omnes se vocem concinentis inter Fratres audisse pueri. Glorificant illi Deum, certi, esse Tutelaris illius loci S. Vicelini novissimi Aldenburgenfis Ecclesiæ Episcopi, qui apud eos corpore quiescit, vocem: qui Fratribus, quos primus ille instituerat, & magno diu labore per Holsatiam prædicans, Monasterium fundavit in Falderâ, cui nomen dedit Novo-Monasterio huc translatum, deesse non patitur, nam & ipse in terris vivens, in festivitate D. Nicolai, cui erat devotissimus, vocem, fertur, Angelicam audivisse. Hastenùs ille.

Viros litteraturâ insignes, librisque editis celebratos in antiquissimo hoc Collegio florentes non invenimus, nisi duos, nimirum

Conradum Lütter, qui pro suâ in sacris litteris peritiâ in scripta redegit præclara Commentaria

In Leviticum, in Threnos Hieremiæ Lib. 1.

In libros Machabæorum L. 2.

In Lucam Librum I.

In Acta Apostolorum Librum 1.

In Epistolam S. Judæ Apostoli &

In Apocalypsin Lib. 1.

Wolfgangum Sulium, ex Westphalicâ progenitum & hujus Ecclesiæ etiamnum sub dominio Congregationis Windesimensis constitutæ olim Professum Canonicum qui posteritati scriptos reliquit Tractatus

De Nicodemo occulto Christi Discipulo Lib. 1.

De Manifestatione Christi coram duobus discipulis in Emmaus Lib. 1.

De decem leprosis à Christo mundatis Lib. 1.

### BARDENOPOLIS.

SEu Bardorum Vicus taliter suo nomine dicta Saxonie inferioris civitas memorabili vultate suâ non tam Comprovincialibus, quàm ipsi etiam Almæ Urbi seu Romæ totius Mundi Domine præferenda. Dum anno gratiæ 776. à Carolo Magno invictissimo Romanorum Imperatore Episcopali Sede fuit instituta, & decorata: in nova ista Cathedrali Ecclesia sua insigne quoddam more antiquis Saxonibus assueto Regg. Cann. Collegium habuit, atque istud in eadem Bardenopolitana Ecclesia sua constantissime fovit; ex quo verò sub annum Christi 973. Episcopale solium Verdæ, utpote locum longè commodiorem fuit translatum. Vicissim illa de qua hic agimus, Cathedralis Ecclesia mox à primo exordio suo D. Virgini Deiparæ dicata & consecrata, desivit in novam Collegiatam, uti vocamus, sæcularem, talisque nec obstante quidem fatali totius civitatis Bardenopolitanæ incendio, ferocitate Henrici Leonis Ducis Saxonie & Brunsvicensis sub annum 1189. perpeffo, continuò permanfit, quousque demùm anno 1529. rejectis ritibus sacris Romano-Catholicis Lutheranismum induit.

### BARSINGHUSIANUM.

INsigne quondam ac Religiosissimum apud antiquos Saxonie inferioris populos in Diocesi Mindenfi Canonissarum Regularium S. Augustini Viridarium, numerò inhabitantium nunquam non frequentissimum, quod tamen de tempore & Authore primæ fundationis suæ nobis vel invitis etiamnum manet absconditum, utpote cum reliquis terræ hujus Ecclesiis & Collegiis sacris jam pridem mutata Religione mutatis.

### BASILEENSE. I.

COLlegium Cathedrale apud Helveticos de Provinciâ Bisuntinâ, jam dudum heterodoxo cultu profanatum, prisca ætate meris constituisse Regularibus Canonicis signanter asserit Gabriel Pennottus Lib. 2. cap. 39. num. 2. Verùm quod amplius est, res clarior emicat in Descriptione alterius cujusdam itidem Basileensis Monasterii mox isthic infra recensendi. Et Cathedrales Canonicos Basileenses adhuc anno 1248. fuisse Religiosos, ex eo quisque agnoscit, quòd Cathedrale templum ipsorum tum temporis adhuc *Monasterium* vocat Author Annalium Colmariensium, citatus apud Nebridium in Antiquario Monastico Epist. 139. fol. 63.

### BASILEENSE. II.

SANcto Leonardo Confessori dicatum Windesimensis quondam Congregationis Monasterium, istud tamen, facta illa Religionis Orthodoxæ Suppressione apud Basileenses penitus abrogatum, de cujus initio seu institutione Basilea sacra annò 1658. Bruntruti in 8 edita fol 196. sic legenda. Anno 1136. Adalbero Comes à Froburg Basileensis Episcopus XXXIV. precibus rogatus ab Eppone Presbytero, Parochiam S. Leonardi Basileæ, Assentientibus Canonicis (Cathedralibus) immutavit in Monasterium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, additis quibusdam prædiis; quam commutationem Innocentius II. Pontifex Maximus approbavit Romæ in Laterano datis litteris anno 1139. quo ipso supremum egit diem Adalbero; qui idem ipse disciplinam Regularem, sub idævi in plerisque Metropolitanis, & Cathedralibus



libus Germaniæ nostræ Ecclesiis passim labefactatam amarissimè deplorans, eandem pro ingenti Zelo suo saltem in alia quadam Civitatis suæ Basileensis Ecclesia disciplinam claustralem postliminè, vel pro posse restituere satagens, vel paucos aliquot in id adduxit Canonicos ex gremio Cathedrali desumptos, qui cum potioribus aliis sæcularisari nolentes in antiquâ vitæ Regularis observantiâ firmissimè persisterunt, sed & ad piissimum hujuscemodi propositum totâ soliditate firmandum sese spontaneâ deliberatione consociari fecerunt famosæ illi Congregationi (de qua suo loco pluribus infra) Marbacensi, tum post annos etiam Windesimensi; cujus utriusque directione Leonardinum hoc Monasterium multos & magnos legitur fecisse progressus. Celsus Maphæus Veronensis Canonicus Regularis Congregationis Lateranensis in suo Tractatu de præcedentiâ inter Canonicos Regulares & Monachos Cassinenses disputatâ, eaque typis publicis vulgatâ notavit sequentia: *Canonici Regulares in Civitate Basileensi, quando congregantur ad Processiones vel alios actus solennes, semper dum ingrediuntur Cathedralis Ecclesiæ Chorum, illi Seculares Canonici recedunt de stallis suis in Choro, & cedunt (utique in memoriam primæ & antiquæ possessionis) nostris Regularibus, qui ibi vigent in magna Clausura & observantia, ut optimè nörunt, qui inibi interfuerint.* Præterea scriptores illustres Collegium præter plures, nobis ignotos numerat sequentes.

**ALPHONSUM ZERTE**, Patriâ Tugiensem, & Canonicum Regularem hinc loci Professum, sub annum circiter 1408. inter suos admodum honoratum, qui singulari studio conscriptos posteritati reliquit tractatus:

*In Librum Job. In quatuor Libros Regum. In I. & II. Machabæorum, & in Apocalypsin.*

**AUGUSTINUM DODO**, quem aliqui Dadonem vocant, natione Frisium Can. Reg. S. Augustini Congregationis Windesimensis ad S. Leonardum Basileæ. Is Opera D. Augustini primus à tineis ac blattis vindicare, ac in lucem eruere cepit, utque hac Opus majore fructu in publicum prodiret, in singula Opuscula parabat argumenta, & censuras summa cum diligentia, nec minori judicio, cum in sacris litteris exercitissimus esset. Verum, ut sunt res humanæ, editioni quam adornaverat, ipse præesse non potuit, eodem enim anno quo Opus prælo subiiciendum erat, hoc est, anno 1501. peste absumptus fuit. Opus nihilominus excusum ex officina Amerbachii prodit anno 1504. Itaque huic nostro Augustino debemus, quod Augustini Opera primò in lucem edita fuerint. Ex Suffrido Petro de Scriptoribus Frisiæ & Antonio Possævino in Apparatu Sa- cro.

**JOANNEM DRESDON**, Helvetum, qui Patriâ Tugienfis anno 1396. Canonicus hujus Collegii incorporatus scripsit quædam opuscula, quorum hi sunt tituli.

*De Arcâ novi testamenti Lib. 1.*

*De Sacrificio Jephthæ. Lib. 1.*

*De Dedicacione Templi Hierosolymitani.*

*De fugâ Christi in Ægyptum.*

*De Numismate Christo à Phariseis exhibito.*

**LIBENTIUM DE SARGA**, natione Rauracum, qui vitam, in hoc Cænobio diu & laboriosè & Religiosè exactam, tandem anno 1522. feliciter conclusit, postquam fatis utiliter elucubrasset

*Anastasin felicem, seu de Resurrectione Beatorum.*

*Item. Mortem perpetuam, seu de lugubri resurrectione Damnatorum Lib. 2.*

**OPIATUM FABERIUM**, hujus loci incolam studiosissimum, & Artis Metricæ apprime peritum, qui & in Vita sub finem sæculi decimi quinti exactâ multorum utilitati apparavit carmine heroico decantatum

*Exitum Filiorum Israël de Ægypto.*

*Congressum Davidis cum Goliath Philistæo.*

*Triumphum gloriæ Christi in Die Palmarum.*

*Desperationem Judæ Proditoris.*

**OTHONEM TRENTE**, Natione Lotharingum, & Ordinem Canonico - Augustinianum circa annum 1488. hinc loci professum, qui scripsit

*Tractatum de centro firmamenti Cæli & Inferorum.*

**VICTOREM WONADERIUM**, Rheinfeldenfem natum, & hujus Ecclesiæ Canonicum; qui vixit durante Synodo Basileensi, & contexit Historiam de Condemnatione Joannis Hufs.

*Tom. III. Cann. Regg. Origines.*

Qq

BAVE.

## BAVERODA.

Taliter antiquitus appellatum apud Saxones intra fines Diœcesis Hildesheimensis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini tempore & Authore non notato fundatum, labentibus annis transiit ad Ascetas Cistercienses; quibus tamen haud diu constitit, sed sub decursum sæculi XVI. cum mutatione Religionis Orthodoxæ merissimè defecit, Attestante Jongelino de notitiâ Abbatiarum Ordinis Cisterciensis lib. 3. fol. 35.


## BAUMBURGENSE.

Nobilissimum & excellentissimum, hodie Salisburgensis Archi-Diœcesis, Collegium in secunda Boica constitutum, idem titulo & dignitate Archi-Diaconatus insignitum, quoniam tempore & Authore primitus fuerit exortum, Aventinus, Wolfgangus Lazius, Hundius & Gewoldus unò quidem profitentur calamo, verùm altera & certa magis ex propriis & Domesticis, quæ hodieum superant, documentis desumpta, eaque in rem præsentem gratiosè nobis communicata constans, & talis est assertio: “ Marquardus insignis „ Dynasta & Comes de Marquardtstein & Hochenstein in Baviariâ celebris admodum & „ famosus, matrimonio sibi junxerat Selectissimam Principem Adelheidem Cunonis Bava- „ riæ Ducis Filiam, prout fidæ Baumburgensis Antiquarii tabulæ, ac muta sepulchrorum „ faxa loquuntur, atque Epitaphia, quæ inter una probæ vetustatis tabula (in qua ipsa „ Adelhaidis fundatrix visitur cum tribus suo ordine maritis depicta) vernaculo idiomate „ de anno 1561. inscripta sic habet: Die Durchläuchtigste Fürstin undt Frau Adelhaid „ Gräfin zue Marquardtstein undt Sulzbach des Durchläuchtigsten Hochgebohrnen Für- „ sten, undt Herrn Marquardts Graffen zue Hochenstein undt Marquardtstein, Ulrichen „ Graffens zue Passau, undt Beringeri Graffens zue Sulzbach, höchstgedachter Frauen „ undt Fürstin Ehe-Gemahl, sambt den Durchläuchtigsten Fürsten undt Herrn Rapoto „ Pfalzgraffen bey Rhein, Herzogen in Bayren zue Creyburg, auch Engelberto und „ Hartmanno Gebrüdern Marggraffen zue Hystria, undt Conrad Graffens zue Meyling, „ seynd gewesen Mit-Stifter und Wohlthäter dises Stüffts und GOTTs-Haus, welche „ allhier begraben liegen, Dero Seelen GOTT der HERR ewiglich in Barmherzigkeit „ Begnaden wolle anno 1561. „

Marquardus itaque antedictus fato acceleratiore sublatus viduam, reliquerat Adelheidem, supra memoratam, sed improlem, tantum ad salutiferum ultimæ voluntatis suæ decretum firmiter adimplendum adstrictam; quæ proin de bonis Maritalibus in loco sibi proprio (ubi prius arcem quandam stetit ruderata relicta produnt etiamnum) asceterium quoddam Divæ Virgini & Martyri Margaritæ Sacrum, magnique Patriarchæ Aurelii Augustini Canonicis Regularibus, seu (ut Aventinus loquitur) flaminibus fundaret, atque sic in bonis succederent Cœlites, prole carnali deficiente in terris. Verùm illa voti executio (ut sunt tarda hominum ad bonum molimina protrahendi assuetudine communiter inyallescente) suspensâ resederat, ubi ad secunda thori maritalis vota transiit Adelhaidis, & quidem cum Udalrico Patavii Comite, communiter *Villreich* appellato, cujus sub conjugio, non diuturno, de votiva nostra Baumburgensi fundatione nihil propriè actum; sed & huic memorato Udalrico præmaturis fatis abrepto tertius successit Thori hæres legitimus, Illustrissimus nimirum Dominus Berengarius Comes de Sulzbach hujus nominis primus, non solum paternæ simul & maternæ, sed vel maximè Uxoriarum pietatis æmulus, cujus Mater Irmengadis, ut Monasterium, seu (uti hodiè vocant) Ducale S. R. I. Collegium in Berchtoldgaden (itidem paulò post recensendum infra) de suis bonis, se defunctâ construeretur, Berengario Filio suo præceperat. Ubi verò pius hic in Divos affectus nec tunc quidem optatissimum effectum suum attingere potuit, Illustrissima Domina Adelhaidis supra dicta (quæ de suis quoque opibus ad pium primi Mariti votum quantocyus exequendum suam quoque spatham ac dotem liberalissimè contulerat) viam universæ carnis ingressura Berengarium Maritum superstitem (quem sequi potius ad fata quam præire debuisset) jurisjurandi Sacramento adegit, ut is suæ non tam Matris Irmengadis, quam uxoris etiam Adelhaidis, ejusque primi Mariti Marquardi ultimam propediem exqueretur voluntatem, nec se humandam prius, quam starent Sacræ ædes Baumburgianæ sibi in tumultum, sicque circa annum 1114. vivere desiit, quæ sanè mori haud potuit, eò quòd in memoria æterna erit justa. Funus interea piensissima Ducissæ istius Adelhaidis totis duodecim annis in sacro quodam arcis seu castri Sulzbacensis (ubi aliâ quædam Canonica Augustiniana *Castl* nuncupata ab iisdem recensitis Fundatoribus tunc erecta est, itidem suo loco per nos recensenda infra) facellò super pavimento depositum, modicâ contextum humo annò tandem 1156. Baumburgensi Ecclesiæ tum primùm per Reverendissimos ac piensimos Antistites Eberhardum Archi-Episcopum Salisburgensem,








PLAN DE LA MAISON  
DU ROI  
A PARIS  
DRESSÉ PAR  
M. DE LAURENT  
ARCHITECTE  
ROYAL  
L'AN 1770

PLAN DE LA MAISON  
DU ROI  
A PARIS  
DRESSÉ PAR  
M. DE LAURENT  
ARCHITECTE  
ROYAL  
L'AN 1770

GEDRUCKT  
IN DER  
KUNST-UND  
BIBLIOTHEK  
ZU  
DÜSSELDORF  
M. D. CC. LXXV.  
VON  
J. B. NEUBAUER  
BÜCHERHÄNDLER  
UND  
KUNST-UND  
BIBLIOTHEKAR  
AN DER  
UNIVERSITÄT  
ZU  
DÜSSELDORF



LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF  
DÜSSELDORF  
UNIVERSITY OF DÜSSELDORF  
UNIVERSITY OF DÜSSELDORF

fem, Hartwicum Episcopum Ratisbonensem, & Hartmannum consecratae illatum atque tumulatum fuit honorificentius. Berengarius posthæc viduus, urgentibus Ministerialibus seu Consiliariis, materno simul & uxorio voto facturus satis, à Sede Romana obtinuit, ut construendum noviter Berchtoldsgadium simul & Baumburgum unum tantum forent Cænobium, uno sub capite satis fore ratus, unum benè compositum idque abunde satis ditatum, quàm duo in futurum egentia construi asceteria.

Non displicuit Pontifici Romano consilii sanitas, sed & Diplomate firmaverat mentem Fundatoris, donec postmodum Archi-Episcopus Conradus Salisburgensis (quo Zelo nondum patet) Apostolicæ Sedi suggererat id, quod demum ratum habuit, ut suum Baumburgo decerptum Berchtoldsgadium separatim floreret fundamine singulari æquè, ac Baumburgum, cum de dote prius communi portio dein minor, & non æqua contigisse videretur ex utriusque loci incremento detrimentoque. Tum verò Everwinus inchoato utriusque foundationis negotio primus Antistes seu Præpositus ex Monasterio Rottenbuchensi Diœcesis Frisingensis in Superiori Bavaria desumptus, à Paschali Papà II. Diploma obtinuit Apostolicum, quo non solum fundatio Comitis Berengarii à Sulzbach, materno & uxorio nomine cæpta, confirmatur, sed Ordini Canonicorum Regularium S. Augustini deputatur, atque Electio Præpositi libera Capitulo tribuitur, sicut & Advocati seu Protectoris; quod ipsum Diploma Pontificium totum apponitur in Metropoli Salisburgensi tom. III. fol. 84. Insequentes aliquot Pontifices, qui sunt Honoricus II. Innocentius II. Lucius II. Lucius III. ac Clemens III. eandem foundationis ac Privilegiorum Baumburgensium Confirmationem innovantes, sacra fulmina statuerunt in quosvis illorum aggressores, injustos Violatores, raptores &c. quin & Gregorius XI. postmodum anno 1375. die 27. Martii castra, villas, fundos, possessiones, aliaque bona propria (uti vocat tenor Bullæ) violenter ablata, & direpta iussit reddi, eaque in integrum restitui, sub gravissimis minis anathematis; ita nimirum fit, cum pulli-abundè pullulant, ac nostri vultures sæviunt in gallinas, cumque Harpyæ sæculi plerumque avidius involant possessiones, & bona Ecclesiastica. Sed, ut ut sit, Baumburgum etiam luget castella, oppida, pagos &c. quæ olim sibi fuisse propria, & quidem numero plura, Authoritas est Apostolica, eaque usque modò vel non restituta, vel denuò subtracta clarissima probat evidentia. Verùm his omnibus utcumque diminutis nihilominus tamen de largâ Dei Benedictione plures sibi seu Matrîci Ecclesiæ etiam pleno jure incorporatas Baumburgum hodie possidet Ecclesias, quamvis haud sine maxima laborum molestia curandas seu possidendas, quas inter duæ potissimum numerantur ultra citraquè Danubium longissimè distatæ, Sighartz-Kirchen una, & Sizendorff altera, patriâ voce nuncupatæ: quarum priorem intra dimidium unius sæculi decursum Vulcanus tum domesticus, tum nuper etiam barbarus ad medullas usque vastavit; In altera militaribus patula incurfibus assiduis plectitur meatibus reheatibusque Bellatorum, ubi tum grandine, tum pruina, tum exciduo flagellatæ vineæ musto madent parcior detiore &c. Et illa quidem prior acinace Tartarico nuper sub obsidione Viennensi anno 1663. detorsa, de suis quinque animarum millibus vix quinquaginta numerat in reliquiis capita, summâ (uti facilis conjectura est) decimarum, reddituum &c. jacturâ. Post hæc tacere non oportet, Canonicis Baumburgensibus olim solemne fuisse, & decretorium, non nisi Profapiâ nobiles (unde habes, ex quo primam & vetustam aded conjicias Ecclesiæ hujus dignitatem) ad regularem Professionem admittere; quapropter Calixtus Papa IV. anno 1451. famosi illius Nicolai Cusani Cardinalis Tit. S. Petri ad Vincula, tum Legati à latere Zelum & vigorem per Germaniam reformandi justò (uti videbatur) severiorem, clementiâ temperavit Apostolicâ: cujus tenore concessit illis perpetuò vivere ad mitiorem aliquam Reformationis normam, quam tum quoque adhuc verè Regulares Augustiniani obtinuerunt, & usurpaverunt etiam Metropolitanis Salisburgensibus intimo semper foedere juncti, etiamnum Defunctorum suorum Rotulas (uti vocant) mortuales ad Reverendissimum & Illustrissimum illud Capitulum Metropolitanum primò ablegant, quod tum subscriptione sua & satisfactione sacrâ eandem hanc vicissitudinem reciproçè profitetur.

Postremo in ampliorem Collegii hujus Baumburgensis laudem meminisse hîc juvat Beati Henrici, sanctissimæ vitæ viri, & Canonici Regularis, qui communiter *Inclusus* ea propter dicitur, quòd speciali amore erga divinarum & cœlestium rerum contemplationem succensus, voluntario carcere includi voluerit. Hujus proin Beati Henrici Inclusi corpus ab Accolis optimâ fide, testéque longâ temporum vetustate, inter sacras Reliquias colitur. Epitaphium illius celte marmori inscriptum hodieum taliter prostat legendum:

*Hic jacet Henricus, per quem Triplex inimicus  
Vincitur, antiquus serpens, caro, mundus iniquus.  
Hic erat Inclusus per tempora longa reclusus,  
Caelitus infusus, vino seu carnibus usus  
Non fuit, afflixit se sic, cum corpore vixit,  
Ut populus dixit, HOMO SANCTUS, credo, quod hic sit.*

In antiquo quoque Baumburgensium Necrologio majusculis scripta leguntur hæc verba:  
*IV. Nonas Aprilis Frater Henricus Inclusus obiit.*

Plures ejuscemodi Inclusi extiterunt antiquis temporibus, quorum quidam Sacramentò votòque sese adstrinxere ad ejusmodi carceres voluntarios, ut hic noster Henricus videtur fecisse, & quidem perpetuos; alii verò ad certum aliquod tempus. In vetustis Membranis Baumburgensibus ita legitur: *Quicumque vult esse Inclusus, provideat sibi locum competentem & idoneum, ut die noctique Servitium Dei (Sacrificium Missæ & horas Canonicas) possit habere & audire, & quod Pastor Ecclesiæ tantus sit, quod de scientia, ætate, & discretione sciat & velit regere. Inclusa (seu Domus Inclusi) debet esse lapidea, longitudo, & latitudo illius duodecim pedes habeat, tres fenestras unam contra Chorum, per quam corpus Christi accipiat, alteram in opposito, per quam victum recipiat; tertiam unde lucem habeat, quæ semper debet esse clausa vitro vel cornu. Fenestra, per quam recipit victum, debet asserem habere & vitrum simul juncta, sed per vican claudatur & aperiantur, quia nemo inspicere debet, nisi quantum potest per vitrum, nec ille deintus recipere. Tria vasa habeat, ollam, Mappam & Cippium. Post Tertiam ponat ollam & cippium per fenestram, & claudat: circa Nonam veniat & videat, si prandium suum ibi sit, si est, sedeat ad fenestram, comedat & bibat, quo peracto quidquid superest, dimittat ei, qui sumat, & non habeat curam de crastino, sed si ita evenerit, quod non haberet prandere, Deo gratias consuetas non omittat, & in secundam diem sic permaneat; tunicam & cappam habeat, in quibus vadat, & dormiat, & si necessitas compellit tempore hyemali, de gratiâ Pastoris sui pellicium ferat, quia ignem non debet habere, nisi quantum candela capere potest. Bombiceum habeat & Miranimum pulvinar: tumultum sibi præparet, tres dies in pane & aquâ jejumat, scilicet secundâ & quartâ & sextâ feriâ, reliquos dies comedat ferculum unum quadragesimale, & si habeat poma vel pyra. In Dominicâ & in summis festivitibus lac comedat. Silentium habeat, de Nonâ usque ad vesperam, si vult, loquatur. Omni die septies quinquaginta Pater Noster cum totidem Ave Maria, & Veni S. Spiritus dicat, quantum possit in honorem B. Virginis Mariæ Omniumque Sanctorum, & pro remedio animarum: si sciat Psalterium, dicat omni die Nocturnum, sin autem, 300. Pater Noster. Omni die Dominicâ communitet. Hæc siquidem Inclusorum vita de præmio secunda erit, sed & alia vita Inclusorum. &c. Ita ibi; sed de hujusmodi Sanctis Inclusis qui plura legere velit, consulat Rosweidum in Vitis Patrum lib. 1. p. 14. Dorothei cap. 2. p. 709. Nebridium nostrum in Antiquario Monastico Epist. 135. per totum, ubi is quàm plurimos recenset in variis orbis partibus Inclusos.*

Porrò ab Eberwino primo Ecclesiæ hujus Præposito serie non interruptâ Metropolis Salisburgensis Tom. 3. fol. 87. & sequentibus recenset (præter duos, quos etiam habuit administratores) triginta; quos inter numerò tertius annotatur Meingotus à Lucio III. *Archi-Diaconus natus in Pontificio Diplomate dictus, & exhinc reliqui omnes tametsi plures ex illis ævo vetustiore nondum mitrati; enim verò XXIII. ordine Præful Casparus Ebenhauser gradu Theologico Viennæ Austriacorum insignitus, è Concilio Bifilenci redux, mitram Abbatialem doctrinæ suæ tesseram retulit. Nos proin triginta illis loco citato positus advertimus novissimos sequentes, nam Urbanus Stambler Præful admodum laudatus (qui fuit numero & ordine Tricesimus Præpositus & Archi-Diaconus Baumburgensis electus anno 1587. die 30. Septembris, & præfuit annis 35. terris defunctus itidem die 30. Septembris anno 1622.) successorem habuit Reverendissimum ac Prænobilem Dominum Joannem Henricum Tannet, electum anno 1623. die 9. Martii, qui vir fuit primæ pietatis ac postmodum jam senio gravatus, itidem Prælaturæ sarcinam ultrò deposuit, ac anno proximè sequenti mortuus emigravit die 17. Octobris.*

Altero mox die videlicet sexto Idus Martii, communia Capituli vota sedi va canti imposuere Prænobilem virum Joannem Baptistam Zehenter à Râhenstorff ex Decano Præpositum. Egerat is ante in Ducali Collegio Berchtoldsgadeni Vice-Decanum Reformationis ibidem introductæ Cooperatorem, qui undecennis inde Præful (ut diximus) Baumburgensis factus, inde tamen bello Suecico terris Noricorum admodum infesto, sede suâ pulsus, ibidem in Berchtoldsgaden delitescens fugit è vitâ: cujus corpus exanime medios inter tumultus bellicos Baumburgum asportatum sepulturam accepit annò

1648.



1648. die 16. Junii. Ipsum legitimâ juris viâ fecutus, mitram & dignitatem Archi-Diaconatûs Baumburgensis impetravit Bernardus Wider eodem anno 1648. die 26. Augusti, idem post decennium vivere simul ac præsidere desinens anno 1658. die 28. Februarii Sic viduata Baumburgensis Ecclesia novis, iisque potissimis votis devovit se solertissimo suo Oeconomo Reverendissimo Præfuli Prænobili ac Amplissimo Domino Domini Patrio Mändl Monacensi Bojo, quem Cælum dedit Virum verè pium molestissimos inter turbines, qui stare posset & firmare nutantia, simul severus fedulis non minùs ac prudentibus, atque ad regendum natus, præfuit annis 30. usque ad annum 1688. cui successit in regimine Reverendissimus & Amplissimus D. MICHAEL DEGGER, Et huic Reverendissimus D. PATRITIUS.

### BELISIANUM,

SEu ab ea, cui propius adjacet, Diœcesis Leodiensis civitate *Belisio* communiter *Münster Bilfen* nuncupari solitum, Illustrissimum est Canonissarum Sæcularium Collegium, primitus verò Regularium Virginum Parthenæum, cui circa annum Christi piè condendo liberalissima fundatrix fuit S. Landrada Virgo de illustrissima stirpe simul ac insigni vitæ pietate, à variis variè laudata, & primo quidem à Constantino Ghinio Natalibus Sanctorum Canonorum die 8. Julii taliter inserta: *In territorio Leodiensi Monasterium Belisia S. Landradæ Virginis, quæ Nobilibus orta Natalibus ab ineunte ætate devota pauperibus subsidium, afflictis solatium, Clericis & Sacerdotibus reverentiam, omnibus, quoad potuit, benignitatem exhibuerat, nuptiis Soli Sponso Christo Domino servire desiderans in vastam solitudinem se recipiens parvo contenta tugurio, jejuniis, ciliciis corpus domabat, & orationibus ac cælestibus meditationibus magis, quam cibo reficiebatur, & miraculis coruscans Monasterium Belisicæ edificavit, ubi multæ ad eam Virgines & semine Deo devotæ confluebant. Vidit etiam sibi cælitus delatam crucem, cujus adhuc vestigia in marmore extant, simulque vocem inaudit dicentem sibi, accipe Landrada hoc ab immortalis Sponso Charitatis pignus, ipse tibi Crucis mittit Sponsalia, qui in Cruce moriens restauravit omnia, quo in loco propriis manibus ipsaque laborans cooperante Dei gratiâ Ecclesiam Beatæ Mariæ Virgini edificavit, quam S. Lampertus Episcopus (Leodiensis) allatis Sanctarum Reliquiis consecravit. Item apud Joannem Molanum in Indiculo Sanctorum Belgii fol. 488. S. Landrada Virgo Nobilissima ab ineunte ætate Christianorum pietatem egregie coluit, Ecclesiam in honorem Beatæ Virginis Mariæ Belisicæ erexit, quam per Eximium Lampertum Pontificem consecrari, Deoque dicari impetravit. Ubi dum Sacrarum Virginum præfecta est Collegio (quod hodie est Canonissarum dictum Münster Bilfen extra Belisiam oppidum Leodiense) etiam Virginem Sanctam Amalbergam, doctrinâ & Christianorum morum præceptis imbuat, reddit autem Cælesti Sponso piam animam octavo Idus Julii &c. Et Anonymus Magni Chronici Belgii Author fol. 31. de eadem S. Landrada vel paucis sic habet: Carolus Martellus genuit Pipinum primum Archi-Ducem Lotharingiæ & Brabantia quintum, Virum Sapientia & justitia ac fortitudine Clarum, & Carolomanum postea Monachum primò in Monasterio Sarepta, quod ipse fundavit, deinde in Monte Cassino, & S. Remigium Archi-Episcopum Rothomagensis, & Sanctam Landradam Abbatissam Cænobii Belisensis &c. Obiit verò Carolus Martellus postquam rexerat annis 27. annò Domini 741. &c.*

### BELLOCAMPENSE,

SEu Abbatia *Bellocampi* nuncupata, de Ordine Canonorum Regularium, Congregationis verò (uti vocant) Salvatoris nostri apud Lotharingios in Diœcesi Tullensi modo celeberrima perstat: cujus brevis ac compendiosa Descriptio inde nuper gratiose transmissa talis est: *de fundatione Abbatia hujus certum habetur, quòd durante seculo undecimo juxta locum vulgò BELLOCAMPUS dictum quasi pulcher ager, vel campus fuerit pagus nomine Monsterol Diœcesis Tullensis, in quo edificata & dotata fuit Abbatia pro Canonis Regularibus S. Augustini ab Illustribus Dominis dicti loci, nempe Alberone Archi-Episcopo Trevirensi, & Petro ejus fratre Germano ac Beatrice eorum nepte cum Seguino & Gerardo ejus Filiis & aliis de eorundem stammate procreatis in honorem SS. Trinitatis & Beatissimæ Virginis Mariæ in Cælos assumptæ dedicata fuit Ecclesia. Hujus loci Abbas est titularis, gaudet jure quasi Episcopali in Ecclesias aliquas sibi subditas, quales sunt, Meboncuriensis, Neovillensis, S. Theobaldi &c. &c. Item ille Dominus & pagorum & vicorum Marainvilla, Meboncuria, Ragnivilla, Belli loci, & aliorum &c. &c.*

### SERIES ABBATUM.

I. Durandus anno 1147.

II. Hugo anno 1179.

III. Richardus anno 1182.

IV. Virricus anno 1194.

Tom. III. Cann. Regg. Origines.

R 1

V. Hum-

V. *Humbertus* anno 1203.

VI. *Henricus* anno 1282.

VII. *Theodoricus* anno 1304.

VIII. *Albertus* anno 1341.

IX. *Henricus* anno 1356.

X. *Nicolaus* Virieti de Clayris. Obiit 1490. Hujus tumulo tale inscriptum, & incipsum legitur Epitaphium: Hic requiescit venerandus frater Nicolaus Virieti de Clayris bonæ memoriæ Abbas noster, qui fecit fieri hujus Ecclesiæ organa, Thuribulum argenteum, & Baculum Pastoralem ex argento inauratò, & multa alia bona, qui feliciter obiit in Christo &c.

XI. *Theodoricus* Petitpain Bayonensis obiit 6. Martii anno 1506.

XII. *Antonius* Cousson de Boufeteune post multa bona Abbatiae suæ multis curis acquisita obiit 21. Februarii anno 1531.

XIII. *Antonius* Thienus de Girmont obiit ultima Februarii anno 1575. Is Chori stalla elegantî structurâ suis sumptibus fieri curavit, totius Lotharingiæ magnificentissima.

XIV. *Theodoricus* de le Mainville obiit 27. Januarii anno 1607. talem habens inscriptionem sepulchralem:

Virtus, inops, hospes, aræ, Chorus, organa, Pallas  
Spectatum memorant hunc pietate Patrem.  
Pluribus heu! cujus crescens spes plurima votis  
Præproperè à Parcæ falce refecta cadit.  
Ter denos quatuorque Pater dum præsidet annos,  
Terris charus abit, sidera dignus adit.

XV. *Nicolaus* è Ducibus Lotharingiæ S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Tullensis Abbas Commendatarius fuit anno 1620. post aliquot annos permutavit cum Prænobili Domino Carolo Denglure de Bourlemont Commendatario S. Naboris Ord. S. Benedicti factò postea Episcopo Tholosano, qui obiit anno 1671.

Eodem tempore electus fuit Reverendissimus D. Dominus Claudius de Lozanne, qui prævalens contra Commendatarium ab Episcopo Tullensi benedictus, nunc pacificè præest ut Abbas Regularis, qui ante Electionem suam jam mitrâ Præsulari dignus Officio suo Prior erat. Hæc Abbatia Reformationem suscepit anno 1626. Nec silentio prætereundum est hoc ejus Privilegium, quod Canonici in Abbates electi non egeant Bullis Curiae Romanæ, sed Infulas suas atque Confirmationem cum solemnî Consecratione à solo Episcopo Tullensi tanquam Diocesano recipiant.

#### BENEDICTO - BURANUM.

Ditissimum hodie Benedictinum Diocesis Augustanæ in superiori Bavariâ Cœnobium, ad distinctionem quorundam paris quidem nominis, imparis tamen statûs & Religiosæ Professionis Monasteriorum, vulgò *Benedict-Beyren* appellari solitum, unâ cum Pollingensi, Schlechdorffensi, Wessenbronnensi, & aliis unius ejusdemque Provinciæ Monasteriis fundatum est annò gratiæ 740 ab Illustrissimis Viris Landfrido, Waldramo, & Elylando germanis Fratribus primorum Ducum atque Regum Bavariæ stemmate prognatis: prout fusiùs explanant Bucelinus in Germaniâ sacrâ Part. 2. fol. 14. & Adlzreütterus in Annalibus Boicis Part. 1. Lib. 7. num. 31. Landfridus Fundator novo huic Burano Monasterio suo Abbatis officio ritè perfunctus præfuit 22. annis, terris demùm absorptus sexto Idus Julii, cui S. Wiſterpus id ævi Episcopus Augustanus solemniter parentavit. In Abbatiali Regimine eum insecutus fuit Waldramus post mortem germani Fratris, exacto 29. annorum decursu, ad superos translatus quinto Idus Februarii, sepultus à S. Simperto Episcopo Augustano. Successit demùm Elilandus tertius frater germanus, & is pariter Abbas Buranus, qui plenissimam Monasterii sui administrationem gessit annis 44. demùm appositus cum Fratribus suis in senectute bonâ decimo octavo Calendas Septembris. Oſſa & Reliquiæ ipsorum nuper anno 1684. (quo novum Monasterii hujus templum fuit excitatum) haud sine maximâ cunctorum admiratione & ingenti concurrentium applausu, adhuc integra fuerunt inventa, quibus apposita cernebatur lamina plumbea, quæ piissimorum Fundatorum istorum nomina tenuit inscripta in terris, utique jam priùs digito Dei inserta Libro Vitæ in cælis. Alibi (uti videre est apud Carolum Stengelium Abbatem in Comment. August. Part. 2. cap. 5. num. 1.) prima Burani Monasterii hujus fundatio adscribitur S. Wiſterpo Episcopo Augustano antedicto, qui

qui teste eodem Stengelio citato, ad caelos emigravit anno 800. seu anno 830. Sed, ut ut sit, primorum fundatorum pietatem DEO cordi fuisse caelestibus prodigiis ostensum est, qualia in prima saepefati Monasterii hujus molitione obtigisse Annales domestici referunt. Nam Materiarii ad rivum Colmanbachium Silvam caedere aggressi, exerrante ferro, & veluti imperium detrectante, luculenta ipsi vulnera accepere, cruentatas affulas columbae raptim sublatae, eum in locum, ubi hodie Benedicto-Buranæ ædis ara princeps visitur, deposuere, neque dubitarunt Fratres, auspiciam sequi, designatamque à bonis avibus aream ingenti opere circumscripserunt; labentibus annis vastato (uti habet Metropolis Salisburgensis Tom. 2. fol. 146.) per Hunnos hoc Monasterium, duo fratres Presbyteri, ne in solitudinem redigeretur locus, per novennium Anachoretarum instar ipsum incoluere, statu ac Religiosa Professione sua Canonici Augustiniani, quales eosdem ipsos fuisse testatum habetur in eadem Metrop. Salisburg. loc. cit. fol. 140. ubi ex Aventino hæc ponuntur: *Rejēctis Augustinians Monachis operā Adalberonis Comitis de Semptā advocati hujus Monasterii, id ipsum restituitur Benedictinis per Henricum III. Imperatorem, qui eō Halengonionem Abbatem Tigurinum cum 12. Monachis transtulit, &c.*

## BERCHENSE,

SEu *Bergense* taliter ab ea, cui quondam inerat, Civitate ad Erpam amnem positā in Ducatu Juliacensi nomen adeptum, percelebre quondam Regularium Virginum Ord. S. Augustini Cænobium, de primævo ortu ac progressu suo vel invitis nobis usque modò manet absconditum, utpote jam pridem, vastante hæresi, merissimè suffocatum; de quo tamen legitur, quòd dum annò 1474. Carolus Burgundiæ Dux jam pluribus victoriis hinc inde reportatis gloriosus, etiam Geldriam, atque universam ditionem Leodiensem plusquam hostiliter invasit, imò & miserrimè diripuit. Prior Canonorum Regularium de Congregatione Windesimensi in Ruremundā suos Claustrales Canonicos ad Parthenium domicilium istud Berchense, & alia ejusdem Ordinis & Congregationis Cænobia hinc inde dimisit, referente Chronico Windesimensi.

## BERCHTESGADENSE,

SEu communiter *Berchtoldsgaden* nuncupari solitum, in Norico contuendum, atque intra limites Archi-Diœcesis Salisburgensis positum, Præcurfori Domini S. Joanni Baptistæ dicatum Canonorum Regularium Ord. S. Augustini Collegium Religioso statu, professione, ac dignitate sua præ cunctis aliis Germaniæ nostræ Cœtibus Canonico-Augustinianis facilè præcipuum; cujus nempe Præpositus ab omni jurisdictione Ordinarii liber & exemptus, etiam Archi-Diaconi munere sublimis, inter liberos & immediatos Sacri Romani Imperii Status in circulo (uti vocant) Bavarico, inter Ecclesiasticos Principes & ipse talis honoratus adambulat; de quo eodem Spectatissimo Berchtoldsgadensi Collegio isto, seu de prima illius origine seu foundatione, Sebastianus Ligodentinus Regularis Canonice Waldseensis in Superiori Sueviâ superiori ætate Officio suo Sub-Decanus circa annum 1666. in Officio suo præclarus, in suis Sacri & Apostolici Ordinis Canonico-Augustiniani Annalibus M. SS. ad annum 1108. posuit sequentia: *Eodem tempore Raittenbuchensis Ecclesia vitæ communis moribus ac privilegiis instituta, latissimæ Congregationis sæcunda parens, fama & opinione Sanctitatis longè latèque fulgebat; undè mirificè in Domino delectatus Illustrissimus Vir Berengarius Comes de Sulzbach cum Conone Germano fratre suo, & Irmegarde Matre, Religiosissimo hujuscemodi plantario Berchtoldgadii recens à se condito seu fundato, Eberwinum quendam præfecit, seu in primam loci Antistitem constituit cum septem Fratribus è choro Raittenbuchensi eò deductis &c. à quo tempore usque modò Ducalis Canonica ista genuino ac pristino statu suo perinclinata fulget. Vide Hundium in Metropol. Salisburg: Tom. 2. fol. 152. Auber-tum Myræum de Canon. Reg. cap. 52. fol. 136. Franciscum Dücker in novo Chronico Salisburg. fol. 280. Porro prolixiorem foundationis hujus seriem, ut & quam plura privilegia tum Pontificia, tum Cæsarea & in favorem Ducalis Præposituræ istius Berchtoldsgadensis multifariam apparata, item apud eundem Hundium citatum. Uti & ultiores Præpositos Principes Berchtoldsgadenses post priores in citata Metropoli recensitos, qui hæctenus præferunt, enumerantur sequentes.*

XXXIX. *Ferdinandus* Dux Baviaræ Archi-Episcopus, & Elector Colonienfis, Episcopus Leodiensis, Monasteriensis, Paderbornensis & Hildesheimensis, Administrator Berchtoldsgadensis obiit anno 1650. die 13. Septembris.

XL. *Maximilianus Henricus* Dux Bavariae Archi-Episcopus & Elector Colonienfis, Episcopus Leodiensis, Monasteriensis, Hildeshaimensis, & Administrator Berchtoldsgadensis, obiit anno 1688. die 3. Junii.

XLI. *Josephus Clemens* Dux Bavariae Archi-Episcopus & Elector Colonienfis, Episcopus Ratisbonensis, & Hildesheimensis, Administrator Berchtoldsgadensis electus anno 1688. obiit.

XLII. *Julius Henricus* à Rhelingen, postquam munus Decani per annos plures optima laude obiit, tandem ex gremio in Præpositum Principem electus est. Deus conservet, atque annos diuturnos vivificet Eum:

### BERCHTOLSGADENSE

Alterum tale seu paris quidem nominis, statûs, ac Professionis, discrepantis tamen Sexûs Nobilissimum Parthenæum, seu Religiosum Gynecæum supra recensito Virorum Canonicorum Collegio propius adfitum, superiori ætate toto primogenio vigore suo constitit inclytum; de cujus tamen ortu & Progressu quamvis inviti, quia nondum cognovimus, antiquæ illi Berchtoldsgadensium fundationi coætaneum fuisse, cum continuâ Majorum traditione & publicâ Popularium famâ firmissimè credimus & tenemus. Extunc ergo Religiosum Contubernium istud in observantiâ Regulari constantissimè perduravit usque dum sub decursum sæculi decimi sexti loci Præpositus Wolfgangus hujus nominis Secundus, ex cognomine suo Griesstetter nuncupatus, isque sub annum 1567. die 14. Julii terris demortuus (Sanctimonialibus seu Regularibus Canonissis ad unam omnibus vel vitâ terrenâ destitutis, vel quocunque demum fatô sublatis) muros claustrales omnes dejecit, & proin omnem apud Berchtoldsgadenses Sanctimonialium memoriam sustulit.

### BERICHIENSE,

SEU *Monasterium S. Catharine in Berich*, appellatum Congregationis Windesimensis in forensi territorio Comitum seu Principum de Waldeck, peregrinæ Religionis intra limites Diœcesis Paderbornensis antiquitus tempore & Authore non notato pro sacris Virginitibus Regularem Canonico-Augustinianam professis devotissimè fundatum, tum lapsu temporis Monialibus ad unam omnibus sensim emortuis, devenit ad Ascetas Windesimenses; quos tamen omnes & singulos Religiosâ Mansionem suâ contumeliosè nimis dejecit, & in usus peregrinos totum Claustrum convertit pro deformata tempore mutata Religio.

### BERENRIEDENSE

Celebre fatis & egregium apud Bavaros in Diœcesi Augustanâ Virorum Monasterium ad stagnum Vermium vulgò *Wurmsee* nuncupatum, amœnissimâ situatione suâ gratissimè contuendum, anno 1120. primitus fundatum & institutum fuit in honorem S. Salvatoris D. N. JESU Christi, & S. Martini Episcopi Turonensis Confessoris, ab Ottone Comite de Vallarii & Adelhaida uxore illius, ita Hundius in *Metrop. Salisburg. Tom. 2. fol. 149.* Carolus Stengelius Abbas in *Commentario Rerum Augustanarum part. 2. cap. 31. num. 8.* Adelzreiterus in *Annalibus Boicis part. 1. lib. 19. num. 40.* & alii plures. Cænobii autem hujus singulare decus & ornamentum temporibus suis exitit, qui sacrum Religionis habitum sub *Berenriensium* communiter appellatus, qui dum tempore nefandi schismatis inter Gregorium VII. & Henricum IV. Imperatorem mirum in modum vexarentur Sacerdotes & Clerici, partium Pontificiarum fautores, ipse Paulus persecutionis rabiem declinans, ad Canonicos Berenrienses secessit, atque ibidem tum eximiâ vitæ Sanctitate, tum doctrinâ Clarissimus, sub jugo vitæ claustralis juxta Sacros Canones Augustinianos haud sine vulgari sui nominis laude usque in finem substitit. Porro in specialem Berenriensium Monasterii hujus honorem & gloriam oportunè juvat hic subdere Historiam Miraculosæ cujusdam Iconis (quam haud sine magno sui, fuorûmque subditorum ac Parachianorum solatio Canonici Berenrienses charam habent, & omni cultu possibili devotissimè fovent) Marianæ à R. P. Guilielmo Gumpenberger S. J. Presbytero descriptam in *Atlante Mariano Triade 2. Imag. 323. fol. 432.* prout sequitur: *Berenriensium Cænobio, quod est in Superiori Bavaria, Matrique Deiparæ sacra est ædes, quæ jam inde ab anno Christi 1382. constructa, multisque miraculis clara statuum Deiparæ habet Dolorosam, Christum depositum de cruce genibus gestantem. Novum non est iis in locis, grassante contagiosâ lue medicinam hic quærere tanto affluentis populi*  
conta-

concurſu, ut opus fuerit aliam adhuc portam aperire; Templum in nupera peſte ne noctu quidem vacuam fuit, ſemper illic viſi, qui ſibi ſuiſque ſanitatē impenſiffimīs precibūs poſtularent, atque etiam obtinerent. Origo autem totius pietatis hæc eſt: Fæminæ cuiſpiam inter orandum diſplicuit Sacra Deiparæ Statua, non quòd antiqua nimis, tum quòd Squalore aliquo obſoleta eſſet. Optabat illa ad Virginis honorem opus artificio & novitate illuſtrius in huius locum, quæ nec honoribus nec templo digna eſſet. Diſplicuit Deiparæ non minis fæminæ cogitatio, quàm Statua fæminæ, nec abiit ſine vindictâ hæc nulli nota cogitatio. Dum enim adhuc nauſeantis animi motibus intenta aram more gentis circumit, ecce ſibi ſubitâ caligine obduclis repente oculis, fedumque in tumorem aſſurgentibus fæmina momentò excæcatur, ac non jam de Leone, ſed de ſe è templo removenda viariam ignara cogitationem ſuſcipit. Attoniti tamen, novitate rei, circumſtantes accurrunt, manique præhenſam, & mali atrocitate percuſſam deplorante, & altiffimis clamoribus produclta, originem cæcitatæ mali quòd de Sacra hac ſtatua propitiæ eſſe Virginem, & tam acerbam inconſultæ temeritatæ pœnam facilè remiſſuram. Vix fæminæ clamores accurrerant viſiri repentinam cæcitatē. Hæc nempe Deiparæ in poenitentes Deiparæ miraculoſi favores; quos teſtantur anathemata magno numero muris appenſa, adeo unum recentis inter ſe membrorum compagibus miſerè curvatam; voto peractò miſellam iumento imponunt revedidit, accurrunt parentes, & ne quid ab equi calcibus amplius pateretur, ſatis aliàs & fortè non ſine perpetuo luctu concuſſam, rupto fortaiſſis oſſe quopiam aut alio malo affectam, ſed ecce! integram eſt: ac hæc ſunt novæ Virginis gratiæ: demum cum filiâ parentes inter lacrymas, quas lætitiæ inſolita excuſſit, remigrarunt.

Præter Paulum Bernriedenſem paulò ſuperiùs laudatum, alium quemdam in hoc Collegio Canonicum, vitæ ſanctitate inclytum, ac prædicto Paulo coævum vixiſſe colligo ex Actis Sanctorum Joannis Bollandi ad diem 18. v. Aprilis, eſtque is Waltharius ſive Gualterius Archi-Epiſcopus Ravennas, qui (ſunt verba præallegati Hiſtorici fol. 552.) fuerat antè Canonicus Regularis, & (quod hinc colligimus) cum Paulo ſcriptore in eodem forſan Conventu familiaritè vixerat. Electionem ejus in Ravenatē Episcopum ratam habuit anno 1119. Gelafius Secundus Papa, deceſſit Idibus Februarii anno 1144. cum Eccleſiam ſuam, inquit, Ugbellus, ſummâ prudentiâ laude adminiſtraſſet. Rubeus etiam lib. 5. Hiſtoriæ Ravenatium, virum maxima Religione & innocentia præditum laudat pluribus. Imo ipſe cit. Bollandus fol. 548. ſcribit, laudatum hunc Waltharium à Paulo Bernriedenſi, tanquam ſanctum & miraculis decoratum, comparari cum S. Herluca, cujus vitam Tomo II. Aprilis inſertam, Paulus noſter ſuo tempore nimis ſtudioſè, congeſſerat.

Cæterum inter privilegia Cænobio huic olim conceſſa Hundius in Metropoli Salisburgenſi tom. 2. fol. 151. hæc recenſet, quòd nimirum Joannes titulo S. Martini in montibus Presbyter, Cardinalis de Bavaria vulgariter nuncupatus, dederit Reverendiſſimo Domino Joanni tertio huius nominis Bernriedenſi Præpoſito circa annum 1433. facultatem, eligendi Confellarium quemcunque vellet, & licentiam abſolvendi ab omnibus cenſuris Eccleſiaſticis, quam licentiam Calliſtus Papa III. ratam habuit, idemque Pontifex juſſit, bona, injuſtò titulo ablata, Cænobio ſub pœnâ Excommunicationis reſtituere. Omnia privilegia, à Romanis Pontificibus conceſſa, nec non Eccleſias Parochiales Monafterio incorporatas confirmavit. Albertus Dux Baviariæ ſub id tempus dedit Monafterio privilegium, ne falis exactiones, ex Urbe Monacenſi uſque ad Cænobium exigantur. Idem Dux feudum Banni Lyngenſis cum diverſorio & aliis libertatibus ejusdem pagi conceſſit. Extant præterea apud citatum Hundium duæ Bullæ Pontificum Calliſti & Joannis, quæ ibidem loco citato videri poſſunt. Item Catalogus ibi proſtat Præpoſitorum, cui poſteriores adneclto.

XXIV. Casparus Zeller. Electus 1621. obiit. 1638.

XXV. Joannes huius nominis VII. Riedel. Obiit poſt Regimen 38. annorum terris demortuus eſt anno 1675.

XXVI. Martinus Holl, rexit annos 5. obiit. 1680.

XXVII. Otto III. Landus, electus anno 1680. qui fuiſſe perhibetur Vir, omnium Virtutum flore decorus, pietatis & Vitæ regularis ſpeculum; imò alter quaſi Fundator Tomus III. Cam. Regg. Origines. S s Cano-

Canonice suæ. Divini etiam cultus studiosissimus, sine fuco sibi occinens: *Domine! dilexi, promovi, decorem Domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Tandem in ferali lectuli cathedra ad regnum cæleste aspiravit, aspirando exspiravit 2. Martii 1693.

XXVIII. *Joannes VIII. Doll*, electus 1693. præfuit & profuit ut optimus Pastor per annos 29. obiit. 1722.

XXIX. *Zacharias Hueber*, electus die 4. May. Divæ Matri Monicæ sacra, anno 1722. Statim ab initio sui Regiminis Ecclesiam suam ad decorem & splendorem, quantum per tantillum temporis licuit (sesqui enim tantummodo præfuit anno) ornavit Supellectili pretiosa; nova vestium ac paramentorum ornamenta haud sine magnis procuravit sumptibus. Vixit Monachii sub Medicorum & Chyrurgorum piè crudeli tyrannide, Vir dolorum, prodigium tamen patientiæ, Monacensium exemplar, 5. Decembris anno 1723.

XXX. *Manfuetus*. DEUS conservet in ævum.

#### BETTENDORFENSE,

EXimium quondam de Ordine & Regula S. Augustini Monialium Inclusorium auctorante Ludovico IV. Romanorum Imperatore conditum; qui idem ipse (ut loquitur Adezrëutterus in Annalibus Boicis part. 2. lib. 3. num. 51.) in vicinia Ratisbonensi Parthenonem hunc pro Canonissis Regularibus Augustinianæ Professionis novum condidit, eumque à perpetuo precum usu *Bettendorff* appellari voluit, cum prius Alasperga fundus Bettendorffensis diceretur. Institutum Canonice Professionis isthic loci vertentibus annis undequaque fuit immutatum, & servato sexu fæmineo Ordo Fratrum Prædicatorum S. Dominici legaliter introductus, qualibus Partheniis alumnis sensim emortuis totum Religiosi hujus Contubernii ædificium (solo templo, eoque usque nunc servato) vastante hæresi penitus fuit extinctum: cujus remanentem fundum etiamnum nostris temporibus Alasperga seu communiter Alsperga vocari solitum, cum queisvis quæ remanserunt censibus avò nostrò Abbas & Conventus Imperialis Monasterii Cæsariensis, intra limites Diœcesis Augustanæ situati, ære suo redimentes uniri & incorporari fecerunt alii cuidam ejusdem Ordinis sui Cisterciensis Canobio Pildenhofen dicto; quod de præsentis Alumni quidam Cæsarienses inhabitant, & ad nutum Abbatis sui salutis Parochianorum inibi commorantium solerter invigilant.

#### BETHARTINGENSE,


TAliter ab antiquo nominari consuetum inter complura Regularis Professionis confirmata temporibus nostris, summè Venerandum apud Bavaros, sub limite Diœcesis Frisingensis Canoniorum Augustinianorum Asceterium, magnâ sanctitatis famâ passim apud omnes nominatissimum, primordia sua sumpsit anno post Christum Natum 1130. sedente in Cathedrâ Petri Honorio Papâ II. Romani verò Imperii sceptrò potiente Henrico Quinto. Et sic quidem factum est auctorante prædivite quâdam matronâ Judithâ (cujus avita progenies apud posteros hodieum ignota manet, vel saltem incerta) unâ simul manus auxiliatrices porrigente Germano fratre Megingo propè Hartingum residente, qualiter de prima fundatione ista habet communis & consentiens Scriptorum annotatio; cæptum verò fundationis opus incrementa sumpsit subsidiò & piâ largitione quorumvis fidelium circumquaque confidentium; qui Symbolam promptè contulerunt pro novâ hujuscemodi fundatione quantocyus adimplendâ, qua eadem felicissimè completâ novæ Beyhartingensis Ecclesiæ solemnem consecratio facta est in honorem Præcursoris Domini S. Joannis Baptistæ anno 1130. initiante ipsomet Metropolitano (Ordinario loci Henrico Frisingensi Episcopo, arduis imperii negotiis interim detento) Conrado Abenspergenfi Sanctæ memoriæ Archi-Episcopo Salisburgensi; Istud autem Beyhartingense Cænobium primitus traditum, & assignatum fuit Sanctimonialibus, quibus post longævum centum annorum decursum ad Parthenonem Altenhochenauensem autoritate Apostolica translatis, anno 1235. Beyhartingam introducti fuerunt Canonici Regulares; qui ex tunc usque modò magna proprii nominis sui gloriâ in lucidissimum aliorum exemplum locum istum sanctè custodiunt. Juditha prima Fundatrix supra dicta terris (quo anno? latet) demortua in propriâ Ecclesiâ, recens ædificatâ, congruo honore sepulta fuit; ubi etiamnum in Domino requiescit: cujus sepulchrum apertè prodit grande saxum marmoreum taliter inscriptum. *Sub hoc Saxo marmoreo DEO dicata & honestæ Matronæ Judithæ, cujus progenies sive parentela nescitur, præsentis Monasterii Fundatricis prior in Divæ Virginis sacello sepulta* figu-











Handwritten text at the bottom of the page, likely a title or description, but it is extremely faint and difficult to read. It appears to be in a historical script, possibly Latin or German.

figuratur. Ubi verò recens edificatum fuit anno à Nato Christo 1454. ossa ejus exfossa sunt, & in medio templi sub hoc lapide marmoreo condita jacent, cujus anima Deo vivat. &c.

Præterea quoque ad idem sepulchrum non nihil à terrâ elevatum, & grandi marmore superposito gloriosum memoratæ Fundatricis effigies & scriptura circumcirca simul apposita talis prostat legenda: *Anno Domini 1513. sepulchrum istud, quo Nobilis matronæ Judithæ hujus Cænobii Fundatricis ossa recondita sunt Domino Pantaleone Præposito procurante erectum: quibus litteris inibi visuntur etiam Insignia Præposituræ simul & Capituli Beyhartingensis. Demum etiam eidem lapidi sepulchrali (infra dictam sæpefatæ Fundatricis effigiem) amplius addita leguntur sequentia: Consecratio hujus Cænobii facta est tempore Innocentii Papæ II. qui regnare cepit anno 1130. & regnavit annis 14. & hæc peracta est à Romano Gurcensi Episcopo. Reliqua de primordiis foundationis istius Beyhartingensis ultimis temporibus nostris omnino manent incerta, imò & prorsus ignota, cum nempe haud amplius quicquam constet, præter pauca quædam ex vetustis M. SS. hinc inde desumpta; quæ reperies apud diversos Scriptores, qui sunt Hundius in suâ Metropoli Salisburgensi Tom. 2. pag. 133. Gabriel Bucelinus in Germania Sacrà Part. 2. pag. 14. Adlzreütterus in Annalibus Boicis Part. 1. lib. 20. n. 22. proin temporum injuria, tum scriptorum negligentia, geminatum quoque Canonix hujus incendium, vel olim innocuè perpeffum, omnem hac de re ignorantiam utique reddent inculpabilem. Cæterum in eodem hoc Cænobio sepulti quoque requiescunt Nobilissimi Dynastæ de *Machselrein*, & de *Haslang* nuncupati; quarum posterii hodie inter Illustrissimos S. R. I. Comites adambulant; alia verò, ut dictum est, Ecclesiæ hujus notitia seu monumenta ubique latent, præter pauca quædam, quæ hic juvat apponere ex pervetustis quibusdam membranis usque modò inter chara documenta domestico suo loco retentis deprompta, & sunt sequentia:*

*Reverendissimus in Christo Pater Dominus Geroldus Episcopus Frisingensis suo cum Capitulo pariterque procurante Venerabili Viro Tagemone devoto Frisingensis Ecclesiæ Canonico & Præposito Schlierseensi Parochiam Tuntensuanam anno Domini 1220. cum omnibus attinentiis suis Monasterio huic perpetuò tradiderunt.*

Quod ipsum refert etiam R. P. Guilielmus Gumpenberger S. J. in suo Atlante Mariano Triade 4. Imagine 1065. fol. 2009.

*Item Nicodemus Episcopus Frisingensis singulari benevolentia in Fratrum sustentationem contulit nobis Parochiam in Schönau supra quibus Honorius Papa III. & Joannes XXI. ex parte Tuntenshausen de singulis Ecclesiæ bonis; similiter Martinus V. pro Parochiali Ecclesia Schönau Litteras Confirmationis tradiderunt plumbeto signatas, quemadmodum ipsis in litteris adhuc extantibus plenius continetur.*

Denique postquam Beyhartingum sacro Ordini Canonico Augustiniano traditum fuit, & assignatum, curam & regimen illius deinceps cum plenitudine potestatis administrandum susceperunt Regulares Præpositi, quorum sequens usque ad nostra tempora productus extat

### CATALOGUS.

- |                                |                             |                               |
|--------------------------------|-----------------------------|-------------------------------|
| I. Hertvicus Purckrainer.      | II. Fridericus Spilberger.  | III. Godefridus Prandt.       |
| IV. Gotschalculus à Reclingen. | V. Conradus.                | VI. Otto Pienzenauer.         |
| VII. Rudbertus.                | VIII. Conradus Perwanger.   | IX. Petrus Kriechpämer.       |
| X. Udalricus Kirnbämer.        | XI. Conradus Prandtstetter. | XII. Conradus Croz.           |
| XIII. Udalricus Haslanger.     | XIV. Joannes Schäch.        | XV. Joannes Saaldorffer.      |
| XVI. Henricus Preslauer.       | XVII. Nicolaus Kneittinger. | XVIII. Udalricus Eisenboffer. |
| XIX. Georgius Apprecher.       | XX. Ambrosius Treittwein.   | XXI. Pantaleon Hauser.        |
| XXII. Lucas Wagner.            | XXIII. Petrus Spächter.     | XXIV. Wolfgangus Lindtmayr.   |
| XXV. Conradus Hirschbauer.     | XXVI. Bartholomæus Fürtner. |                               |
- XXVII. Joannes Gering, qui restauravit Ecclesiam B. V. Mariæ in Tuntenshausen, peregrinationibus & miraculis ad tria propè jam sæcula celeberrimam.
- XXVIII. Christianus Scheichenstuell, qui ultrà 40. Annos insigni Canonix totius emolumento præfuit.
- XXIX. Augustinus Lang, bonorum Prælatorum exemplar, in doctrina & pietate præstans.
- XXX. Ignatius Wäntschl, usque viginti circiter annorum regimine perinclytus, doctrinâ, pietate, & regendi dexteritate nulli Prædecessorum suorum secundus, in senectam Pylia Sospes & incolumis fervari dignissimus.
- XXXI. Georgius.

## BEYERBERGA.

Inter pios & Nobiles, qui in fundandis, erigendisque Ecclesiis ac Monasteriis devotionem suam orbi testatam reliquerunt, haud postremo loco ponendi sunt Nobiles & Illustres (qua tituli, eo tempore rari, prærogativâ Calixtus II. P. M. nobilissimam familiam decoravit in dato diplomate) Otto, Conradus, & Eberhardus liberi Domini de Iring, Barones, ac germani Fratres; hi unanimi, nunquam satis suspiciendo consensu suum prædium nobile, & castrum Beyrberg pro Collegio Canoniorum, sub Règula S. P. Augustini in communi regulariter viventium, ad honorem SS. Apost. Petri, & Pauli Apostolicæ Romanæ sedi devotissimè obtulerunt. Ut autem foundationis opus recto describamus ordine, pauca de Nobili stemmate ingerenda sunt. Familia Iringensis inter Nobiles Bojos generosis & bellicis virtutibus, Imperatoribus, Regibus, Ducibusque Bavariæ in amore, ac gratia præstans adeò effulsit, ut trium castrorum nobilium possessionem pro se satis amplam fuerit nacta. Ex iis etiamnum eminet arx Iringspurg à quodam Nobili milite Iringo (unde stemma, nobilisque profapia trahebatur) super altum ædificata montem, quæ infra plus horam ab oppido Wolfertshufano, supra verò à Beyerberga minus distat spatium. Olim variis nominibus notabatur castrum Iringi, vel Yringi, Yringispurg, Irenspurck, Eurenspurg, prout in veteribus literis invenire est, nunc communem obtinuit appellationem Euraspurg. Alterum Castrum cum nobili prædio erat Beyerbergæ in monte quodam situm, qui à veneranda antiquitate Buren-vel Beurenberg vocabatur. Hujus dein destructi locò Ecclesia Collegiata unacum Cænobio Canoniorum Regularium funditus erecta fuerat; tertium castrum Haag directo ad orientem prospectui se offerebat, quod forte hæreditaria alterum ex fratribus residentem habuit Dominum. Quædam adhuc rudera, lapidumque congeries in colle vetustam stetit domum, arcisque vestigia tempore suo, quo Historicus noster vivebat, demonstrabant; nunc locus iste perpurgatus ad meliorem graminis fertilitatem pauca admodum exhibet signa, & arboribus confitus, antiquum servat nomen Haag, cujus domini totus districtus circa Loysam cum prædiis, & villis recens fundatæ Ecclesiæ in dotem relictus fuit post mortem piissimi possessoris. Nec in Bavaria tantum, sed etiam in Tyroli, & Marchia Slavonica prædia, fundos, ac vineas possedisse satis perhibetur, quia vineam in agro Pofano sitam pariter Ecclesiæ legarunt. Testatur Aventinus, Albertum de Iring & Conjugem suam Bertham divo Michaëli ædem condidisse in agro Tridentino, quam etiam de suis adjectis fundis, ac proventibus dotarunt. Porro in Marchia Slavonica intra limites Parochiæ Freuen prope Nazzentum, Diœcesis Aquileiensis, triginta & octo mansiones seu prædia proprietatis jure possidebant, quæ postea Collegio nostro relicta, pro Parochia Minfingana commutata fuisse authenticæ in nostro Archivo demonstrant litteræ.

Ob bellicam experientiam, martialem animum, & laudabilia facta non solum Ducibus Bojariæ, verum & exteris Principibus in amore, ac pretio Nobiles de Iring, ac præsertim Henrico Quarto Imperatori Augusto plurimum acceptos, atque Albertum de Iring (quem Patrem dicimus Fundatorum) multum apud Cæsarem istum pollentem fuisse, ipsemet testatur Aventinus fol. 551. & Hundius in sua Metr. apud Gebold. Tom. 2. fol. 135. referendo confirmat. Derelinquendus tamen est Aventinus celebris cæteroquin scriptor, quod Albertum, & Bertham cum Ottone filio, & Eberhardo fratre Alberti Fundatores hujus Canonice scripserit: *Constans etenim scriptorum nostri Collegii assertio est, multiplicibus scriptis Archivi comprobanda, Ottonem, Eberhardum, & Conradum tres incredibili unanimitate Fratres, cum vitam calibem agerent, & ex hoc liberis carerent hæredibus, optimum rati, si juxta Christi verbum amicos sibi facerent de mammona iniquitatis, constituisse inter se, ut reliquum vite tempus Deo optimo, & omnium summo Imperatori militarent, cum eorum prius familia, & Parentes terreno Imperatori, Principibusque mortalibus tum civilia, tum militaria præstitissent obsequia. Ubi nulla prorsus ingeritur mentio alterius cujusdam Fratris aut Parentis Alberti & Conjugis Berthæ, benè tamen à tribus dictis Fratribus Germanis constanter servati cælibatûs, quo suam pietatem in Deum, Castimoniam vitæ in superos, & unanimitem benevolentiam in Sancti Augustini Canonicos celo terraque manifestabant. Hinc contigerat etiam, quod illorum morte Iringensis stirps sub Alberti linea fuerit extincta, castrum Iringispurg ad alteram lineam Eberhardi (qui Frater fuit Alberti) ejusque hæredum de Iring, & Auffhofern transferit, prædium verò nobile Beyrberg jam conversum in Cænobium, & tanquam relicta piissimorum in terra Fratrum Sponsa totum castrum Haag acceperit in dotem, sicut alia bona in Marchia Slavonica & Tyroli, quibus recens erecta Ecclesia gaudebat, & ex parte etiamnum gaudet.*

Dubium unicum hic nobis movet de cælibatu Liber Traditionum Monasterii Admontensis, ubi continetur, prout Hundius decerpfit in Libro Stemmatum: *Otto liber bo-*

mo de Yringspurg filium suum Ottonem obtulit S. Blasio ad monasticam Religionis professionem, dans quædam bona, ac prædia, & hoc tempore Conradi Archiepiscopi, & Successoris sui Eberhardi circa annum Domini 1150. Ex quibus deduci posset Ottonem nostrum non cælibem egisse vitam &c.

Ast dispellendum dubium, cum hunc Ottonem Iringensem, qui filium suum Ottonem obtulerit S. Blasio, Alberti filium fuisse abnegemus, prudentibus sanè rationibus permoti. Quis enim crediderit, ipsum Parentem in suo prædio paterno condidisse Cænobium, & filium suum proprium alteri Religioni, & quidem tam disto Monasterio offerre voluisse? suavissimam etenim, & vix non quotidianam habebant Illustris Otto, piissimus Fundator, ejusque duo Fratres cum nostris Religiosis conversationem, abundabat cor illius & cæterorum, præcipuè cælestibus solatiis, cum jam viderent sub Henrico primo Præposito Collegium erectum virtutibus, disciplinâ, & religiosa observantia florere, divinum servitium augeri, & temporalibus etiam bonis affluere.

Quòd si dicere placeat, Ottonem quidem fuisse adhuc cælibem tempore fundatæ primùm Ecclesiæ Beyerbergensis, postea verò accepisse uxorem, à qua filium Ottonem paris nominis suscepisset, & ad Professionem monasticam obtulisset &c. evidens ostenditur contradictio. Albertus enim jam vivens circa annum 1040. ponatur post 30. annos iniisse matrimonium cum Bertha; jam filius ejus Natu major Otto post 5. vel 6. initi matrimonii annos natus; tunc sequitur eum tempore, ubi Pontificia Confirmatio recentis Cænobii emanarat, nempe anno 1121. quadraginta & quinque annos virilis ætatis suæ attigisse. Quòd si post 3. aut 4. annos eum nupsisse, & tandem filium procreasse opineris, hic ad minimum 24. an. ad monasticam vitam oblatus fuerit oportet, cum tamea pueri oblato in tenera ætate, sæpe etiam ante sufficientem rationis usum ad habitum monasticum fuissent oblato. Dein isthac oblatione Iringensis linea rursus fuisset extincta, cum alii hæredes nulli nominentur descendentes ac superstites. Quæ omnia si perpendantur, nempe matrimonium ab Ottone primùm post an. 45. ætatis suæ initium, filii post an. 24. oblatio, hæredum descendendum destitutio, lineæ Iringensis ex parte extinctio &c. inconvenientem parient opinionem asserendi, oblatum Ottonem Filium fuisse Fundatoris nostri.

Certius longè constat, mortuis tribus fratribus (quos Fundatores dicimus) Eberhardi de Iring, & Auffhofern (qui Alberti illorum Parentis Frater, & alterius lineæ de Iring, & Auffhofern author erat) hæredes Filios in castro Iringpurg successisse, quorum unus Nomine Otto susceptum filium Ottonem Sancto Blasio obtulerit. Constat enim, duas fuisse lineas de Iring, quarum una castrum Iringpurgense primariam sedem, altera districtum Toparchicum, & arcem Auffhoferianam possederat.

Tandem si etiam à nobis adhiberetur fides illi Traditioni Admontensi, quæ factam anno 1150. filii professionem ad tempora Eberhardi, & Conradi Archiepiscoporum Salisburgensium promiscuè reducit, cum tamen Conradus jam priùs an. 1147. vivis excesserit scribente Hundio Metr. Tom. 1. fol. 9. & Avent. fol. 631. haud amplius evincetur per eam, quàm Ottonem illum de Yringpurg non nostrum Fundatorem, nec Alberti filium fuisse, sed ex alia Iringensium linea nempe Auffhoferiana suam egisse stirpem, cujus totam Genealogiam in nostro Chronico fufius deduximus, hic autem brevitate gratiã præterimus.

Post mortem Alberti de Iring & Berthæ conjugis, tres relictæ filii Otto, Conradus, Eberhardus unanimiter in bona paterna successerant, cum cælibem agerent vitam, & ex hoc liberis carerent hæredibus divino nutu constituerunt inter se, ut secundum Christi consilium amicos sibi facerent de mammona iniquitatis, ac reliquum vitæ tempus in divino insumerent obsequio. Quare sicut charitate, ita & unanimi consilio spatiosam planitiem pro struenda Ecclesia, & Cænobio accommodatissimum elegerunt locum, qui quidem à subjectione, quam haud procul distitis collium jugis exhibet, humilis, at amantate sua sublimis erat vallis. Hic enim è fæcundo solo limpidissimarum aquarum hinc inde ebulliunt fontes, qui à campestribus, virentique gramine mixtis incinguntur floribus; desilientes ex alto rivuli, larga aspergine in latum spatium propagatos humectant campos, ac priusquam se se Loyfæ immergant, per florea discurrunt rura. Sylvularum umbræ, & vicinæ tum naturâ, tum arte insertæ arbores, gratas in hac valle fovant auras, & Loyfæ, leni murmure obstrepens, solidam medium in orbem curvatam terram utili allambit defluxu, ut ob tanta naturæ decora & jucundantem virorem planities

ties ista in praesentia adhuc tempora metaphoricum nomen *Ridentis prati* Beyrlach meritò obtinuerit. Tam opportunum Ecclesiae erigendae locum piissimi Fundatores videntur maximè ob hanc etiam destinasse causam, quòd praesentes è suis arcibus Iringense, Haagerse, & Beyrbergense prospicientes ad Campum ridentem, & Ecclesiam in eo aedificatam suos dirigere oculos, & divino possent solatio pascere animos. Verùm, quod consilium contra Dominum? qui humanas, utut Sanctas, respuit delicias, easque pro altitudine sapientiae, & iudicii incomprehensibilis subvertit,

Ecce! enim ad assignatum locum comparantur lapides; scinduntur ligna, coquuntur lapides; labore sudant Operarii; pium fervet jam opus. Conatus tamen omnes ridet Divina Providentia; dum aliam sibi, sanctisque Apostolis residentiam deligens, multa laborantium permittit, securi cadente, vulnera, copiosum etiam è laesis membris manantia sanguinem, quo ab arboribus decisa alpergebantur fragmenta. Haec advolantes avium catervæ rostro prehendere, & iteratis volatibus ad primum montis Beyrbergenis apicem ultra Loyfam fluvium comportare observatae sunt, haud sine omine vano. Mons hic ducentorum passuum altitudine surgit, dumis, virgultisque cooperitur, & quia caetera praeruptus est, difficilem praebet ascensum: pedem ejus Libusa, seu Leufacum, nunc communis nominis Loyfa modestis alluit undis; postquam recurvo sinu defluens incinxit campos, & inferiora irrigavit arva. In cacumine planities arboribus fertilis, & sanas auras fovente aëre multum amabilis, prospectum directum orienti objicit Phæbo; à fronte latè patente fruitur aspectu ad oppidum Wolfertshufanum, Castellum Euraspurgense, & alpes Penninas, aliasque in circuitu terras. Altera verò fluminis ripa è vicina sylvula gelidas alit umbras, quales etiam à tergo versus Occidentem assurgunt; ut adedò aestate calente ipsa Elementa sanam loco conferre videantur temperiem, dum terra tepidis saltuum umbris, Loyfa aquae frigore, & circumfluis in alto aër continuò spirantibus flabris solis attemperant aestum. Veneranda antiquitas huic loco, & monti jam tunc appellationem *Burenberg* tribuebat, quam etiam nobile praedium in dextero ad meridiem latere haud procul positum, aequè sibi vendicaverat. Unde etiamnum Ecclesia, & Collegium idem retinuerat nomen, quòd postea (ut fieri assolet) cum vernacula mutatum in *Bauerberg*; annorum autem successu ob vicinitatem montium *Beuerg*, id est, penes montes, *Collegium Penemontanum* (sicut in quibusdam legitur litteris) aut *Beilberg* ab Afcia Operarios cruentante, nunc ritè scribitur, ac obtinet *Beyrberg*, licet citrà culpam adhuc à plebeis pronuntietur *Beilberg*.

Ut igitur ad volucrum structuram in descripto loco perventum est; assulæ cruentatæ, & decisa fragmenta lignorum figuratè congesta fuere reperta, quæ tum fundamentis pro futuro aedificio jaciendis indicio erant, suosque inventores in admirationem trahebant. Tam stupendo rei eventu ad Nobiles delato, haud facilè dictu est, quam mirum in modum affecta sint devota illorum pectora; ocyus enim concordi ad divinum arbitrium consilio mutatur Illustrium animus, fraterna vertitur voluntas in latam sententiam, caelitum nutu ea accidisse, quibus ceu indiciis certis montem istum sibi sacrandum praeservassent. Nec mora, Beyrlacensi valle deserta, ultra flumen ad mediæ distantiam horæ in montem, augurio ostensum, transfertur labor, evchuntur in altum robora caesa, parata saxa, lapides, & universa materies, feliciori successu denuò aedificari inceptum, faustisque tandem avibus ad Coronidem optatum deducitur opus, atque post aliquot annorum lapsum feliciter absolvuntur labores anno 1120. Quare aedificio eo jam producto, ut incolæ quæret, *Barones Generosissimi Ecclesiam Divis PETRO & PAULO Tutelaribus dicaverunt; domicilium unicum praedio Buerperg, cumque omnibus redditibus, ac privilegiis devotis Viris, qui ad serviendum Deo se se ultro obtulerunt, pleno (quod dicitur) jure tradiderunt, atque illis Primum Praepositum praefecerunt Henricum doctrina, vitæ integritate, inculpatis moribus, prudentiaque spectatum & sibi aliquamdiu convictu, & consuetudine domestica probatum Virum, Religionis, & Canonicae vitæ singularem amatorem, uti disertè habet Chronicon nostrum. Testatur illius compilator, narrata prius se quoque audivisse ab aliis fide dignis, venerabilique senio ornatis viris, quorum Parentes, & protoparentes propagatam ad ea usque tempora comunem hujus retinebant traditionem, ferebantque historiae famam. Hujus pariter memoriam continet pervetustum Rotularium, Liber funeralis, seu Mortilogium, ubi volantes aves, rostrisque maculata sanguine fragmenta ferentes, vivis exprimuntur coloribus, cum subjecta subscriptione.*

Testantur id etiam antiquissimum Chronologicum Carmen, & versus in aditu ad Refectorium supra portam parieti inscripti, quos hic referimus:

Distichon

Distichon Fundatorum Nomina continens annumquè fundati Clauſtri.

AVthor eras Otto, ConraDe, eberharDe beate  
beVrbergæ fratres Vos tenetVrna pIos.

*Carmen in memoriam Fundatorum hujus Monasterii Compositum.*

**I**Rgenes ð vos generosa stirpe Barones!  
Hanc qui Beyrbergam, victi pietatis amore,  
Magnificis fieri curãstis sumptibus olim:  
Semper honos vester noménque Decusque manebit,  
Nam quia sincero coluistis pectore Christum,  
Ecce Patrociniis est vobis parta duorum  
Tuta Salus; en vos respexit Virgo Beata,  
Fecit & ex merito cælesti vescier aura.  
Tu modò Posteritas, tanto pro munere grata  
Officium sacra defunctis æde parentans  
Da pia thura Patri, qui Relligionis honore  
Cœnobium, & multis structuris providus auxit;  
Nobilium donis nitet hæc Domus aucta Patronis  
Quorum sint memores omnes hæc scripta legentes.

Simile extat Carmen inter vetusta manuscripta Archivi inventum, quod hic apponitur:

*Ad Candidum Lectorem.*

Quæ sit Origo hujus Clauſtri, si nôsse laboras,  
Versibus exiguis en, Domus ipsa docet:

*Fundatio hujus Collegii.*

**C**ONdita præclare quondam felicibus annis,  
Lector, ego Beyrberg sum generosa Domus.  
Dux mihi primus erat Christus Fundator, & Auctor,  
Post alii firmam me posuere viri.  
Ad laudem Christi mihi qui sacra dona tulerunt,  
Ut sim perpetuò Sponsa parata DEI.  
A divis PETRO, & PAULO mihi Nomina sumpsi,  
Namque ratem Petri nulla procella quatit.  
Sique libet cunctos audire ab origine, Lector,  
Qui me fundarunt, accipe quæso, Viros.  
OTTO hic primus adest fautor, CONRADUS & alter,  
Tertius eximius tunc EBERHARDUS erat.  
Hi fuerant Fratres clara de stirpe vetusta  
Irgensi geniti; quod pia scripta docent.  
Insuper egregii quoque Nobilitate Barones,  
Qui jam cum Christo regna superna tenent.  
Namque suæ vitæ cursum benè quisque peregit,  
Quorum hoc in Templo mortua membra jacent,  
Me primo Artifices obscura in valle locabant;  
At mens æterni non erat illa DEI.  
Quò magis incumbunt operi, duròque labori,  
Hoc minùs ad finem ducere cæpta valent.  
Hic se mirificè lædit, nunc læditur ille,  
Nunc inter cunctos mira querela oritur.  
Fuso sparguntur passim quoque ligna cruore  
Nam manus Artificis vulnera dira capit.  
Mox volucres veniunt summo de vertice montis  
Et secum in montem ligna cruenta ferunt.  
Hoc erat indicium, quæ sit divina voluntas,  
Et mihi quis proprius debeat esse locus.

Incipiunt omnes igitur desistere cæptis,  
 Ac monte excelso mænia sacra parant.  
 Omnia, quæ canimus, forsan tibi vana videntur,  
 Ast ego non miror facta stupenda DEI.  
 Plura etenim invenies, modò mentem advertere nôris,  
 Quæ Pater in terris fecerat Omnipotens.  
 Sed redeo ad primos, quos jam narravimus ante,  
 Qui mihi splendoris causa fuere mei.  
 Mercedem his magnam, cælestia munera, Christe,  
 Mundi Salvator nunc sine fine datis.  
 Hæc tibi, quæ scires, qui sit mihi fons, & origo,  
 Dicere quæ volui, Candide Lector, erant.  
 Non uti licuit verborum Syrmate longo;  
 Suavior est brevitatis: consule plura. Vale!

Id ipsum, tanquam veritati consentaneum, novissimè fert Historico-Topographica descriptio Bavariæ cum iconibus ære excusis germanicè edita anno 1701, & serenissimo Electori à provincialibus Statibus utriusque Bojariæ dedicata. Ut adeò relatis obniti, nefas nobis meritò imputandum foret, nisi graviora, & evidentiora in contrarium propalarentur documenta.

Sequente annò 1121. Pontificio Diplomate à Callisto II. confirmata fuit fundatio, & Ecclesia una cum Collegio Ecclesiæ Lateranensi Romæ ad sanctum Laurentium aggregata, & quadriennali censu Albæ, & amictus Lateranensis ab ipso Pontifice unita. Ista verò præstatio lapsu temporis abolita præsentis sæculi studio ad supplices preces Reverendissimi Patritii Præfulis nostri, & Capituli ab Illustrissimo & Reverendissimo P. Jacobo Martini Congregationis Lateranensis Abbate Generali per renovatam aggregationem commutata fuit in Missam cantatam singulis annis in festo Assumptionis B. V. Mariæ celebrandam, prout pluribus continetur in Instrumento anno MDCCX. V. Septembris Romæ dato.

Duo adhuc restant enucleanda; imò, dissolvendum dubium Aventini, qui fol. 552. scribit *Eberhardum, & Fratrem ejus Albertum ab Curesburg multum apud Casarem pollentem cum uxore Bertha, filio Ottone in ripa Libusæ Peilberg Aurelianus templum, in agro Tridentino Divo Michaëli ædem condidisse &c.*

2dò: quo tempore & anno Fundatio absoluta, & Cænobium inhabitatum sit?

Quoad 1mum. Opinionem Aventini chronici nostri scriptor eodem sæculo, quo Aventinus floruit, eoque antiquior vivens penitus enervat, dum prorsus nullam ingerit mentionem Alberti, & Berthæ, ac fratris Eberhardi, sed ex antiquissimis documentis, tum ex propagata hominum memoria, atque constanti famâ asserit, quòd tres incredibili unanimitate fratres Otto, Eberhardus, & Conradus Iringenses Barones Ecclesiam, Collegium Beyrbergæ condiderint.

Et quamvis Aventino concederetur, circa annum MC. Albertum, & Bertham Conjugem Parentes unacum filio suo Ottone, utpote natu majore, præ cæteris duobus Fratribus Eberhardo, & Conrado, jam tunc fortè cogitasse de fundanda Ecclesia, ac Monasterio non procul ab arce Iringensi suæ ditionis exstruendo, quos pios motus effecit vel divina Providentia ludens in orbe terrarum, dum paternum Alberti pectus piis excitavit pænitentiaæ stimulis, propter quandam Henricianæ factionis contractam maculam, vel infelix postea ruina Henrici IV. Cæsaris à tot SS. Pontificibus & Conciliis excommunicatissimi, & miserrimè anno MCVI. (uti testatur R. P. Gabriel Bucelinus in Nucl. Hist. Univ. p. 3. five auct. p. 2.) obeuntis, cum antea eidem Augusto tam charus in officio, consilio, & amore fuisset, ita adauxit, ut in articulo mortis (quam post paucos annos ab infausto obitu Henrici, etiam ipsum Albertum oppetiisse nobis credibile est) suis ex Testamento reliquerit filiis hæredibus, sanctam Romanam Sedem, cui hætenus Imperator malè restiterat, esse venerandam, eique inviolabiliter servandam fidem, piisque fundationibus, ac Sanctæ vitæ actibus cælites magis, quam summos terræ Imperatores esse demerendos, ac colendos.

Id tamen nunquam probaretur, ipsum Albertum supervixisse adhuc, cum in amæna valle, & Prædio Peyrlach pro futuro Cænobii ædificio fieret Congeries lapidum, & lignorum: hujus enim nulla ab hominibus propagata traditio, nulla in vetusto Chronico mentio, nulla nostrorum scriptorum etiam levissima annotatio, condita ab Alberto & Ber-



Bertha Ecclesiae Beyrbergensis, pro testimonio se se offerunt. Verum potius probatur, ex ducto hucusque Historiae nostrae filo, Albertum, & Bertham Ottonis, Eberhardi, & Conradi fuisse Parentes. Tres autem fratres illustres post mortem suorum Parentum, ante aliquot annos fundatae, & conditae Ecclesiae in bona paterna simul, & unanimiter successisse; nec meminit Alberti, ac Berthae Pontificium Diploma, quos tamen, si fuissent Fundatores, potiori jure nominando extollere debuisset S. Pontifex Callistus II. quod rursus manifestum est signum, secutae Parentum mortis ante Foundationem Ecclesiae, & Ottonem reliquosque cum ipso Fratres haereditate Paterna fuisse potitos; cum alias neque filius Otto è potestate paterna dimissus, neque Eberhardus, & Conradus bonorum suorum faciendi dispositionem, eaque abalienandi, ullam habuissent facultatem. Manet ergo tam illustre pietatis monumentum, sanctaeque executioni mandatum opus fundatae Ecclesiae Collegiatae Beyrbergensis, tribus potissimum Fratribus Nobilissimis adscribendum esse, prout nobiscum bene informati Scriptores prudenter sanè existimant.

Ad 2dum Respondetur, circa annum Christi 1110. prima fundamenta novi Cænobii collocata fuisse in valle Beyrlach, quae altero anno ad prodigiosam ab avibus collectam fragmentorum sanguine asperorum copiam, in montem Beyrbergensem translata sunt. Aedificio tandem anno 1120. absoluto, ante delatam ad nos Confirmationis Pontificiae Bullam, piissimus Sacerdos Henricus jam fuit inauguratus Praeful Beyrbergensis Ecclesiae & Cænobii, atque ab ipsis pientissimis Fundatoribus constitutus, nequaquam verò per suffragia libera à Canonicis primum congregatis electus.

Nam luculenter attestatur Chronicon, quod primum jam Praelatum loci, caeterosque Canonicos similiter sub protectionem suam Pontifex susceperit, ubi signanter statuit, ut NB. *Deinceps neque tibi, (Ottonem, aliisque fratres suos intelligit Pontifex) neque alicui hereditum tuorum facultas sit, se in praedicti loci Advocatiam ingerere, sed juxta fratrum electionem, & liberam voluntatem advocatus ibi per DEI gratiam statuatur, id ipsum & de Praelato loci decernit statuendum.* Ut igitur NB. *Deinceps*, seu imposterum à Fundatoribus illustribus, aut in praediis eorum successoribus proprio motu, ac voluntate vel Advocatus, vel Praelatus non amplius statuatur, sed liberae Fratrum electioni relinquatur; prohibitio est, qua demonstratur factum praesens, & praecavetur futuro: prohibitio enim contrarium probat; legem fundat; & exceptio firmat regulam. Porro nisi ante emanatam Pontificiam Bullam Cænobium jam fuisset Regularibus incolis provivum, Praelatusque constitutus, Nobilissimi Fundatores suis calculis, *voluntate libera, & auctoritate propria* non amplius valuissent Praelatum loci decernere, & suis votis praeficere (prout hoc tamen certum tenet Chronicon) cum talis Praelati Constitutio directe contraria Diplomati, electioque fuisset nulla, neque Episcopus Frisingensis tunc temporis Henricus Comes de Eberstorff, utpote loci Ordinarius, eam ratihabere potuisset. Nec putandum, Illustres Fratres Conditores tanta pietate in DEUM, tantaque Religione erga sanctam Romanam Sedem affectos, recenti adeo facto Pontificiae Constitutioni temerè contraire voluisse, aut attentasse: quod omnino eos fecisse convincerentur ex Chronico: nisi cum consensu, & Approbatione Reverendissimi Domini Episcopi Frisingensis prima Praepositi, & Praelati Beyrbergensis, à Fundatoribus facta denominatio, electio, ac institutio Pontificiam confirmationem praecessisset. Rationabiliter ergo sentiendum, anno 1120. Praelatum, & Canonicos Beyrbergenses jam jam fuisse in recens Cænobium à Fundatoribus solemniter introductos ante acceptionem Pontificiae Confirmationis, anno 1121. 3. Cal. Aprilis expeditae, cum alias post acquisitam Confirmationem Pontificiam, Praelatum liberè constituendi, piissimis Baronibus fuisset adempta facultas. Diploma illud Pontificium adhuc in Archivo nostro integrè asservatur. Caeterum quo anno è vivis abierint illustres Fundatores nobis planè non constat. At mortuos in nostra Ecclesia in Abside meridionali sepulturae traditos esse superius adducta Carmina, variaque nostri Collegii monumenta planè convincunt, ut adeo non videatur quibus motus de causis, aut unde unde demum desumptis documentis scripserit Hundius, *Tertium ex Fundatoribus in Monasterio Wiltba, Ordinis Praemonstrat: in Tyrolens. Comitatu fuisse sepultum.* Nam pro expeditione hujus dubii ad ipsum modo dictum Monasterium Wilthinense fuit scriptum, nobisque desuper à Reverendissimo, & Amplissimo D.D. Gregorio Abbate anno 1717. 26. Maij pro responso insinuatum, *alicujus monumenti, vel sepulturae Nobilis cujusdam de Iringspurg nullam extare notitiam, & solum in Libro mortuorum ibi reperiri sequentia: Cum anno 1639. Chorus cum veteri altari removeretur, reperta sint viginti corpora ignota, quae cum illustres personas, & Ecclesiae nostrae Benefactores fuisse indubium sit, in speciali tumba rursus recondita sunt.*

Si ergo aliunde probaretur (quod utique per verba mox allegata ex Libro mortuorum non probatur) inter illas Illustres Personas, & Ecclesiae Wilthinensis Benefactores

fuisse etiam quendam Fundatorem nostrum, abunde supra dicta confirmarentur, videlicet, quod Nobiles Iringenses haud spernenda prædia, insignes Vineas & fundos in Tyroli possederint, ex quibus deinde Ecclesiæ Wilthinensi pia legata is reliquerit, qui corporis sui exuvias ibi poni, & loculos condi voluit. Præter Fundatores illustres, alii Iringenses sepulti sunt, Nobiles quoque de Porta, Successores in Castro Euraspurg cum uxoribus, quorum quidam varias fundationes, & prædiorum donationes ad Ecclesiam pro perpetuis Anniversariis fecerunt; sepulturæ quoque locum Nobiles Althamer cum uxoribus, & filiabus hic obtinuerunt, alique plures Nobiles monumenta sibi posuerunt, sicut ex marmoribus, & lapidibus cum suis inscriptionibus colligitur.

Ne autem quidquam Ecclesiæ conservandæ, ejusque sacratibus Incolis sustentandis deesset, sat amplios redditus, prædia, fundos, silvas, vineas, piscinas, aliæque jura perpetua structo Collegio de suis adjecerunt. Inprimis nobile prædium Purenperg cum omnibus suis pertinentibus silvis, fundis, & juribus, qui districtus duorum horarum spatium longitudine & latitudine sua fermè excedit. Huic ditioni non solum insertæ silvæ venandi jus altum privativè continent, quo etiam fruebantur ipsi Illustres Fundatores; sed etiam dictum venandi jus in Territorio Beurnensi usque ad positum Terminum, & in magna silva Monialium propagatum invenitur, ubi Beurnense Monasterium, Nobiles de Yffdorff (nunc Monasterium Westfontanum, & Nobiles de Iring) nunc Collegium Beyrbergense partim privativè, partim etiam cumulativè præventionis jure, Venationis habent facultatem, prout litteræ marginales, Terminorum descriptiones, & scripti exhibent Recessus.

His accessit totum castrum Haag cum omnibus similiter pertinentibus juribus, ac fundis, ita, ut ex his combinatis una Toparchia citra & ultra flumen Loysam bene magno spatio diffusa excreverit, quam postea Ludovicus IV. è Bojariæ Duce Imperator Augustus Cæsareis Diplomatum communivit, jusque Hoffmarchicum tum hic, tum in pago Tegerndorffensi attribuit, & asseruit Cœnobio. 2. Præcipua prædia in pago Tegerndorffensi Collegiata Ecclesiæ reliquerunt, cui altero post fundatum Cœnobium sæculo, etiam jus Parochiale accessit, ab Innocentio III. Pontifice maximo per Apostolicas confirmatum litteras. Prædia mansionaria triginta & octo, seu Huebas dederunt infra limites Parochialis Ecclesiæ in Freuen prope Nazzentum in Dominio, seu districtu Marchiæ Slavonicæ, Diœcesis Aquileiensis situatas, ut ea jure proprietatis possideret fundatum Collegium nostrum: ea postea, ut infra dicetur, fuere commutata pro Parochia Minsingana, ejusque Decimis sub Alberto Frisingensi Antistite Comite ab Hochenwerck. Intelligatur ergo tam à nostris, quam ab aliis, Parochiam hanc neutiquam ex gratia Episcoporum Frisingensium à Nostris administrari, ac possideri; & si vellent ejusmodi jus, vel administrationem revocare, jure pari tenerentur altissimi Reverendissimi & Celsissimi Episcopi ad restituenda illa prædia Slavonica, foundationis jure nobis debita. 4. Donarunt vineam, & prædium in agro Pollano, de quibus redibit copiosior mentio.

Hæc sunt, quæ à nostris piissimis, Nobilissimis, & verè Illustribus Baronibus de Iring, largissimis Fundatoribus fuere nobis consignata, ac relicta: alia enim prædia, ac jura extranea, vel frugalitate, & domestica Prælatorum experientia fuere annis succedentibus comparata, aut Serenissimorum, & Illustrissimorum Bojariæ Ducum liberalitate, aliorumque Nobilium, & piorum foundationibus acceperunt, de quibus in vitis Prælatorum plura.

Antequam autem Vitas Prælatorum in sua serie producamus, placuit Chronologium Laconicum à Reverendissimo & Amplissimo D. D. Paulo Steinherr ingeniosè inchoatum, nunc denique finitum hic antepone.

*Chronologium Laconicum Regularis Canonice Beyrbergenfis.*

stato hospes & a VDI, hoc anno  
à part V VirgInIs ego bellberga  
Deo sponsa flo.

Cunas, propaginem, incrementum paucis  
accipe:

Parens, qui omnium, & meus est Deus,  
domus ejus posita sum in terris deorsum,  
nata

nata sursum, unde omne bonum.

In valle me humiliare disposuit  
mens humana,  
posuit in monte  
divina.

Exaltatae sunt Cogitationes Dei à viis  
hominum  
Heu quantum!  
feriem accipe.

Calum

Cælum mihi Fundatores legit  
 tres germanos  
 Ottonem, Conradum, Eberhardum,  
 Sanguine Barones,  
 Religione Comites,  
 Pietate Principes,  
 Castrorum Iring, & Haag Dominos.  
 Hi pari voto, pari sumptu  
 Canonicis S. Aug. meditantur struere  
 domicilium  
 in prædio Beyrlach cis Loysam  
 duos inter montes  
 suas inter arces medio.  
 Lata stat sententia.  
 Advehitur materies,  
 comportantur lapides  
 in vallem  
 quò sponte volvuntur:  
 Fabri lignarii, cæmentarii  
 instant operi  
 cum sudore, sanguine,  
 quem dextrè aberrans ascia cælitus ducta  
 elicit ex operarii manu, brachio, pede &c.  
 fit stupor tam crebro in vulnere, quid  
 portenti?  
 in plaga quid sani?  
 Erratis Barones,  
 desistite ceptis:  
 Excubias quis locat in valle?  
 Numen in imo despici renuit,  
 suspici præcipit,  
 qui habitat in altissimis.  
 Altis infident tectis candidæ columbæ,  
 fugiunt lacunas Beyrlacenses.  
 Feruntur fursum alaudæ  
 appropinquantes superis  
 quibus collidunt.  
 In monte adoratur DEUS,  
 ubi terribilis  
 illuxit sæpe, & Gloriosus.  
 Advertite!  
 Corvi fiunt Magistri: discite,  
 crocitantés edunt oracula,  
 volantes augurantur,  
 ibi fore Dei atria,  
 ubi cruore madida congesta cernere est  
 in monte Schidia.  
 Digna profectò ales hæc  
 quæ pristinum recipiat candorem  
 mali quondam ominis  
 Noëticae modò columbæ æmulata sortem  
 auditur oraculum: mutatur locus,  
 lætis avibus exurgit moles  
 in clivo hoc,  
 quem sibi legit Deus pro requie,  
 & habitaculo,  
 pro Incolis, Deicolis  
 annuis dotatum proventibus,  
 Beyrbergæ fortitum nomen  
 à prædio Beyrlach  
 transpositâ syllabâ ultimâ  
 in montem.  
 Vel Beylberga à securi cruentante

aut

aut Beyberg, Beyburg  
 ab alpium caltrivo affinitate  
 perinde est.  
 Mons est Divi Aug. Filiis  
 in regulari observantia sacer,  
 Cæli aviculis in odæo sonorus  
 Canonicis  
 in vita, habitu, moribus candidis  
 Frequens, & Venerabilis.  
 Divi Tutelares præfident  
 duo Apostolorum  
 Principes  
 Hic Claviger Domi Promi-condus,  
 Ensifer ille atrii custos fortissimus  
 Patroni selectissimi de casa.  
 Natam sic, & dotatam,  
 ratam me habuit  
 orbis, & urbis caput visibile  
 Calixtus Secundus.  
 Hæc mihi exordia, hoc incrementum  
 per tria sæcula dedit  
 Præpositorum industria.  
 Variis casibus  
 Vicinorum Procerum violento insultu,  
 flamma bis devastante,  
 temporum varia iniquitate  
 Intercallata.  
 Omnibus tamen superior  
 (Divina obstetricante gratia)  
 prædiis, juribus, redditibus annuis, ædificiis  
 succrevi.  
 Adulta tandem Patre, ac Domino  
 Leonardo Mochingero priori sæculo ad  
 clavum  
 ex Dieffenfi B. V. M. Monasterio assumpto  
 quem annis tenuit sex ultra triginta  
 dextrè,  
 fortiter,  
 utiliter,  
 Oeconomiae Instaurator,  
 Cleri Reformator,  
 Monasterii ex parte Reparator,  
 ut plurimum Auctor  
 Omnium memoria dignissimus  
 Secundus Fundator.  
 Gemini Leonardi filii secuti sunt  
 Præfules Posteris  
 Martinus Curtius,  
 Georgius Scriba,  
 Eberhardus Mayr,  
 Christophorus Sedelmayr  
 lite indecisa  
 quis laboriosior  
 sibi austerior  
 in mei studio  
 ardentior.  
 Solertissimi  
 in structuris, vivariis, aquæductibus, villis &c.  
 mei amplificandæ,  
 ut Juvenis ab his mihimet visa sim,  
 donec Dominus Udalicus Pyrson singulis  
 palmam  
 sibi pridem amicam

U u 2

Primo

Primo scilicet in Philosophia Baccalaureo  
& Magistro  
Clarissimo in Theologia inaugurato Doctori  
in utraque Facultate publico Professori  
præripuerit.

Hic Basilicam meam ornatu sacro,  
utramque Turrim Campanili eminentiori,  
Bibliothecam raro decore, & volumine,  
Fratres virtute, & scientia,  
Juralabentia novo robore,  
atrium exterius novis è fundo ductis ædificiis  
Cinxit, formavit, exornavit.

Hujus Successor  
Reverendissimus Paulus Steinherr  
Cedro dignus antistes  
Tutelaribus Patronis  
argenteas statuas virili magnitudine  
ad aram posuit.

Hic introduxit me in cellam vinariam  
ut biberent filii mei  
de fructibus propriis vineæ,  
quam comparavit ultra montes.

Temporales redditus ubique provexit,  
Confratres mira charitate rexit,  
disciplinam regularem protexit.  
auro me vestivisset,  
si per fata licuisset,  
ut ferunt insignia,  
Insignis planè Præful  
ex utroque.

Tandem sextum ætatis meæ sæculum  
Præful Gloriosus  
Patritius  
coronavit Jubilæus Sacerdos.  
*Ecce sacerdos magnus!*  
Qui altare summum inauravit  
in quo secundas celebravit primitias  
ingenti lampade  
& sex & magnis candelabris argenteis  
illustravit,

novo Ecclesias filiales decori restituit  
innovando,

fericas, argenteas, aureas vestes  
apparavit  
gemmis non pepercit,  
ut splendorem mihi apud aspicientes  
conciliaret.

ita sexcentos per annos  
Christo fui jugata Principi  
cælibum fratrum Baronum Mater,  
quadraginta Præfulibus Antecessoribus  
desponsata Virgo,  
successoribus relicta vidua illibata,  
Regina semper formosissima  
spectabilis è monte  
vertice montium spectatissimo

Quem,  
qui primo me fundavit,  
solidavit, sublimavit,  
Incolumem tueatur,  
Integrum conservet  
Munificentissimus DEUS.

Ita precantur

BONI,  
EXTERI,  
NOBILES,  
NOSTRI,  
OMNES  
ZELO  
AVRELIANÆ  
INCENSI  
SANCTITATIS  
BENEVOLENTIAS  
EXHIBENTES  
REGVLARIBVS  
GREGIBVS  
ELECTISQVE  
RELIGIOSIS.

*Series Reverendissimorum DD. Præpositorum.*

### Henricus Primus Præpositus I.

QUAMVIS, quo anno Henricus in Præsulem fuerit inauguratus, Chronicon nostrum  
disertè non loquatur, neque ejus præclara gesta, virtutum specimina, & peculiaris  
merita denuntiet; etsi nulli dubitemus, Religiosissimos Dominos Fundatores, quem in  
Primum domus suæ noviter extructæ Patrem designarunt, non nisi in eruditione præ-  
cellentem, in vita integrum, in Regularis disciplinæ rigore Zelotem, & in temporalibus  
Oeconomum proficuum constituisse. Haud tamen obscure ex antiquis Manuscriptis con-  
jiciendum est, Henricum anno virginis partus 1121. ante obtentam Pontificiam Confir-  
mationem Callixti II. Primum Beyrbergensis collegiatae Ecclesiæ Præpositum à piissimis  
Fundatoribus fuisse jam denominatum, ac constitutum; De hoc Chronicon ita profert.  
*Tandem ædificio ed jam producto, ut incolæ quæret, Barones Generosissimi Ecclesiam divisi Petro, &  
Paulo tutelaribus dicaverunt; Domicilium unà cum Prædio Puerperg; cumque omnibus privilegiis,  
ac redditibus devotis viris, qui ad serviendum DEO juxta Canonicam professionem se se ultro obtule-  
runt, pleno (quod dicitur) jure tradiderunt, atque illis Primum Præpositum præfecerunt Henri-  
cum, doctrinâ vitæ integritate, inculpatis moribus, prudentiaque spectatum, & sibi aliquamdiu convi-  
ctu, & consuetudine domestica probatum virum, Religionis, & Canonice vitæ singularem amatorem.  
Is novum, & pullulans adhuc Monasterium doctrinâ, exemplis ita inculpatè rexit, ut brevi magnam  
tam temporariis, quam spiritalibus in rebus fecerit incrementum, exiit è misera hac ad immortalem  
vitam*

vitam anno 1184. 26. Octobris, uti colligitur ex Libro mortuorum, in Ecclesia Parochiali senex admodum sepultus. Atque hinc probabilem conjecturam historica fide dignam deducimus, Henricum istum Religiosum sacerdotem, & Capellanum fuisse in Castro Iringspurg, prout denotant illa verba NB. quod illustres Barones eum sibi aliquamdiu convictu & consuetudine domestica probatum virum, Religionis, & Canonice vitæ singularem amatorem habuerint. Aut certè hujus loci, & districtus Iringensis fuerit Parochus, quia ad Ecclesiam, quam prius ut bonus rexerat Pastor, Parochialem tantum in sua senectute etiamnum fovebat affectum, ut non in Collegiata, sed in Parochiali Ecclesia sepeliri voluerit. Adfuit cum multis aliis Prælati Henricus noster, subscripsitque dum Anno 1140. Otto magnus Frisingensis Episcopus erexit, & restauravit Monasterium Schefftlariense, ut perhibet Geboldus ad Hundium in Additionibus. Tom. 3. Metrop. Aliud nihil memoratu dignum extat, quàm Epitaphium quod illius Posteri Venerandissimo viro, Protoparenti Religiosissimo, Præfuli Primo inscripserunt sequentis tenoris:

HENRICVS  
YRINGENSIBVS BARONIBVS PARENTIS  
INSTARCHARVS  
VIRTUTE,  
ASCESI,  
RELIGIONE  
VIGILANTIA,  
PRÆPOSITVS BEVRBERGÆ  
NVLLESCVNDVS  
QVIAL. OBIIT.

Teugo I. Præpositus II.

SECUNDUM inter Præpositos Beyrbergenfes locum sibi Teugo vendicat, qui adhuc eodem anno, quò Henricus fuerat mortuus, fasces obtinuit, dignissimus profectò successor optimi Præfulis; Nam Regularem Disciplinam, quam ab Henrico suo Magistro altè imbiberat, non modò sanctè custodivit, verum etiam in aliorum sibi concreditorum cordibus largiter profudit, atque integram posteris reliquit. Inter primos recens constructi Collegii Canonicos professum fuisse Teugonem, & jam tunc, cum ad Prælaturæ dignitatem pervenit, veneranda canitie oppletum, præter chronici nostri assertionem vel ex eo constat, quòd brevibus laboribus exhaustus post pauculos, quibus regnavit, annos morte fuerit avulsus. Benè meriti Præfulis hujus emigrationis diem ab hoc sæculo, & susceptæ Prælaturæ, sicut alia laudabilia facta, bina totius Cænobii conflagratio, & fortè temporis illius varietas, atque universalis Ecclesiæ à Pseudopontificibus, aliisque hostibus causata calamitas, qua etiam afficiebatur Patria nostra, memoriæ nostræ eripuerunt. Colligitur tamen ex mortuali Libro, Teugonem fuisse mortuum 4. Majj, at annus non additur.

Genolfus I. Præpositus III.

GENOLFUM hunc tertium fuisse Præpositum constat, at quo anno Præposituram ingressus, quo egressus, neutrum est compertum. Refert Chronicon antiquum morte Teugonis relictam Prælaturam ad Genolfum fuisse delatam, qui paulò etiam post fuerat defunctus. Adèd omnia humana fragilia sunt, & brevia! quamvis verò, quoto anno tam Teugo, quàm Genolfus esse inter vivos desierint, ignoretur, ultra 14. annos tamen post mortem Henrici primi gubernacula tenuisse, ex eo deducitur, quòd Eberhardus eorum Successor ad finem hujus secundi post millesimum sæculi regnare cæpisse dicatur.

Eberhardus I. Præpositus IV.

SUCCESSIT recto ordine Eberhardus hujus nominis primus, qui vergente ad finem secundo post millesimum annum sæculo, Prælaturam Canonica Electione iniit. Constat ex antiquis Diplomatis, & Epistolis, virum eum fuisse Religionis observantissimum, ad hæc rei familiaris studiosissimum. Providæ ejus virtuti, ac industriæ præter cætera beneficia Beyrbergenfè Collegium incorporationem plenariam Tegerndorffensis, & aliarum

Ecclesiarum, atque secundam reliquorum jurium confirmationem acceptam referre debet, quam ab Innocentio tertio S. Pontifice Canonici Ordinis Lateranensis decore, ac lumine illustrissimo anno 1212. impetravit, cujus specialis gratiæ, Pontificiæque munificentiae testes Litteras in Archivo nostro inviolatas adhuc videre est. In iis S. Pontifex superlativo dilectionis gradu, & honorifico sanè titulo *dominicæ messis Cooperatorem, Filium dilectissimum* Eberhardum appellando fuit profecutus. Patet insuper ex iis antiquissimis Canonicorum Regularium Communitates, Capitula nominandi modus, quem hodieum conservant; quidquid contrà quorundam indoctorum, vel doctorum, at minùs benevolorum ringatur invidia, qui sibi tantum semper decedere autumant, quantum justî honoris, & antiquissimæ Prærogativæ aliis accedere conspiciunt. Sunt qui non verecundantur, si nostros Regulares ex inveterato odio, vel despectûs causa cum Hundio, & Geboldo, aliisque Augustinianos Monachos, Conventuales Augustinianos &c. minùs peritè compellendo nitantur deprimere, cum tamen summa orbis Capita per sancta vivæ vocis oracula, & scripta Diplomata Canonicos Regulares longè honoratioribus afficiant titulis, prout ex nominatis Lit. Apost. Innocentii tertii ad Eberhardum nostrum datis evidenter constat. Quo anno dignissimus Præsul è vivis abjerit non exprimit chronicon, sed statim ad temporis illius historiam transgreditur.

### Bertholdus I. Præpositus V.

**D**Efuncto Eberhardo Bertholdus fuit subrogatus Antecessoris non degener successor, vir inprimis Religiosus, qui susceptam provinciam pro religionis dignitate, & Canonicorum suorum commodo strenuè gessit, rei domesticæ procurator insignis, quam absque dubio auxisset copiosius, nisi prædonum quorundam perversitas remoram objecisset. Primi fuerunt, qui vineam in agrò Pölsano pridem Fundatorum liberalitate Collegio Beyrbergensi propriam per vim fraudemque esse suam protervè evincere voluerunt. Viam huic liti stravère conducti vineæ cultores, quorum si non ex industria perfidia admittà, interveniens saltem negligentia hujus seminarium fuit causæ. At Bertholdus hanc vineam magnis contra invalores sumptibus vindicavit, & pænè abalienatam viâ prætorii juris recuperavit, prædonesque ejecit anno recuperatæ salutis 1254. Secundi è numero persequentium erant Advocati, qui Protectorum magnum sanè titulum proferebant ore, manu verò ipsimet Cænobiorum bona tum fraude, tum violentiâ sui juris facere per sæpe tentarunt, ut patet ex secuturis. Ab his Bertholdus noster multis controversiis, varieque infestatus, præsertim ab Ottone à Berd Equite aurato, qui erat Advocatus quorundam prædiorum in Guntershausen, ad Collegium tunc spectantium. Ab isto igitur Advocati officium (quod quidem jure, utpote malè fungentis adimere poterat) pacis cum Nobilibus servandæ studio Bertholdus sub certis conditionibus, & pactâ pecunia redemit, sicque propria Ecclesiæ bona, ac jura coëmit, atque rursus Advocati munus in Berum à Kobsperg, hæredem Ottonis Decurionis à Sandelhausen, transfudit eodem mox anno 1261. Dum ergo non mediocres faceret impensas, ut propriæ Ecclesiæ prædia, & fundos hinc inde è rapacium manibus eriperet, salva & integra servaret, repararetque, optimus Præsul in propriis retinendis semper occupatus, de novis incrementis faciendis cogitare non poterat, licèt etiam illud Poëtæ neutiquam ignoraverit.

Non minor est virtus, quàm acquirere, parta tueri.

Abiit ad Antecessores suos venerabili ætate gravis, plenus dierum, & laudis, quam suis sibi vigiliis, & laboribus ultra triginta annos in Prælatura exantlatis, præcipuè verò reportatis ab Adversariis triumphis parturiit, Athleta strenuus & indefessus.

### Eberhardus II. Præpositus VI.

**B**ertholdo Eberhardus secundus successit, vir ætate, virtutibus, & Regulari observantia gravis, brevem tamen egisse in dignitate sua vitam chronicon memorat.

### Fridericus I. Præpositus VII.

**E**berhardum, seu ut alii scribunt, Everardum vita functum secutus est Fridericus, qui (nescitur quo fato) vix acceptam gubernationem uno alterove anno tenuit, fatali mortis ictu præventus, emigravit ad superos.

Ber-

## Bernardus I. Præpositus VIII.

**F**Riderico præmatura morte è vivis sublato Bernardus ad fasces fuit subrogatus Beyrbergenfes, quos tamen, DEO ita disponente, & omnia humana suaviter, & fortiter gubernante, paucis post annis cum immarcessibili in cælis flore, & stolâ gloriæ commutavit. Modesto planè elogio hos tres Prælatos laudat Chronista antiquior, quòd ita brevi intervallo invicem successerint Canonica electionis jure, ut eorum voluntati egregiæ & laudi invidisse Mors præmatura videri possit. Decem tamen annos à mortuo Bertholdo circa annum salutis nostræ 1262. in dignitate compleverunt, nam anno 1272. Henricus II. Clavum jam tenuit, ut convincitur.

## Henricus II. Præpositus IX.

**A**Nno 1272. subsecutus est Henricus II. sacra ædis Antistes planè eximius, virtute Religionis in Spiritualibus, sedulitate in œconomicis, prudentia in negotiis nulli Prædecessorum fuorum secundus, duo præcipua præstitit: primum erat, quòd vineam in agro Polfano per Bertholdum non ita pridem viâ juris recuperatam, ac ab iniquis possessoribus vindicatam, nunc autem fatali hominum nequitia denuò devastatam, ad meliorem iterum frugem reduxerit. Secundum, grave Advocati jus, quod super quatuor prædia Zorneting, Grasbrun, & Oberbrunn malè, ac in subditorum perniciem usurpaverat, ab Udalrico de Wildeneck Collegii nostri Advocato certâ pecuniæ oblata summa redemit primis statim Præfulatus sui temporibus, anno scilicet 1272. At non solum bona agere laudabile est, sed & mala modestè ferre gloriosum; hoc præstitit utrumque Henricus, quando pridie Festi S. Albani die 20. Junii anno 1292. Collegium Beyrbergenfe ingentem ex incendio cladem accepit, patienter sustulit. Cùm autem omnem impenderet operam, ut pro restaurando templo, reficiendoque Collegio lapides, ligna, aliæque ædificationi necessaria præpararetur materies, haud diu post incineratum Cœnobium, laboribus suis providus Præful immortalis fuit.

## Leutholdus I. Præpositus X.

**H**ENRICO sufficitur Leutholdus insigni pietate, ac prudentia probatus vir, atque posteriorum memoria dignus, hic præ cæteris negotiis in id incumberebat maximè, ut è cineribus, ac rudibus totum Collegium cum sacra æde ad novam reduceret formam, reædificaretque incendio destructa, quæ etiam feliciter evicit, dum multorum Patronorum auxilio, præcipuè illustrissimorum, ac piissimorum Bojariæ Ducum beneficentiâ sussultus, totum ædificium Regulari Ordine, & serie distentum ad fastigium erexit, fastoque sine absolvit labores, & curas ædificantium. Beatam aded sortem, & quietem tantæ sedulitati Præfulis proterva mundi fallacia invidebat, atque in hoc uno miserabilem reddidit Leutholdum; quòd jugum fere intolerabile Advocati portare fuerit coactus; transtulit is Advocatiam ex speciali affectu à Patre Udalrico de Wildeneck in filium Ludovicum Successorem, at infelici prorsus eventu: nam à quo vicissim beneficia, gratiæque animi contestationes merito expectaret Leutholdus, iniquissimè vexatus, molestias, variâsque injurias immeritus retulit; ut quis huic Cœnobio fatale esse existimet, pro beneficiis molestias, injuriâsque ab ipsis, qui jura aliâs, ac bona Cœnobii debebant defendere, Advocatis reportare, aut etiam à vicinis perniciosâ sustinere litigia, prout optimè animadvertit Historiographus noster in Vita hujus Præfulis. Vide ergo cui fidas, tam cara quippe quàm rara fides est. Valedixit Leutholdus sæculo anno 1300. postquam septem annos, & aliquot menses in dignitate onerosa insumpisset.

## Conradus Glaner I. Præpositus XI.

**P**OST Leutholdum humanis rebus exemptum Gubernacula Canonice Benemontanæ ad Conradum cognomento Glaner fuere delata, virum doctum, gravem, circumspectum, & multâ rerum experienciâ præditum. Is multipliciter benefecit, inprimis, insignem Bibliothecam erigendo, quam compluribus codicibus, & utilissimis manuscriptis solertissimè instruxit, ne scrutari scientiarum abdita volentibus librorum deesset copia, & facultas. Ardens adeo studiorum, & litterarum desiderium brevi Canoniam istam in Athenæum scientiarum variarum convertit, doctos viros accivit, juniores erudit, Bibliothecam verò tantâ librorum & authorum copia efflorere fecerat, ut à Conradi hujus primi tempore usque ad successionem Conradi III. intra 12. ann. spatium ad tria milia voluminum & selectissimorum manuscriptorum numerus excreverit. Bene egit se-

cundò, quòd Ludovicum de Wildeneck, qui Antecessorem suum Leutholdum indignis modis infestatum, probrosè adèd, & injuriosè tractabat, non solum ab officio Advocati, verùm etiam ipso Advocati jure Reverendissimi Episcopi Friesingensis auxilio, aliorum Prælatorum interpositione, & quorundam Nobilium favore amovit, exiitque. Tantæ molis, erat Beneficarium gratuitò assumptum, indignum & iniquum Advocatum suo privare officio.

Contigit ista abdicatio Wildeneckeri anno hujus sæculi 1312. in Seshaupten ad lacum Vermium. In locum verò remoti subrogatus fuit nobilis & strenuus Dominus Otto à Porta, cui jus Advocati eo ipso adhuc anno ex gratioso Conradi consensu, & unanimi Canonicorum Capitularium voto fuit collatum. Benefecit tertio, Villam in Buechberg, & prædium in Bingharting utrumque præfecturæ Wolfertshufanæ anno Christi 1313. Collegio Beyrbergensi quoad Dominium directum asserendo. Minus benè autem fecisse videtur Conradus, quòd primus exstiterit, qui suis Religiosis Canonicis quoddam peculium singulare, & privatum Obligii Nomine tenere in præjudicium Religiosæ paupertatis permiserit, eumque in finem duo prædia Capitulo dicaverit, vitâ prius Apostolicâ communi (ubi nulli aliquid proprium) secundum Regulam S. P. N. Aug. piè observata. Attamen isthæc peculii proprii permissio commodam patitur interpretationem, ut vel nullum in hoc factò piaculum, vel tantum haud fecisse convincatur, uti pluribus ostenditur in Chronico, quòd totum asserre planè non vacat; omnia tamen Historiographo volenti ostendi possent. Rebus Collegii pulchrè stabilitis magnus hic Præsul è vivis abiit ingenti apud suos relicto sui desiderio anno 1318. 1. Aprilis.

### Conradus II. Præpositus XII.

Conrado priori successit alter Monachio oriundus communi omnium suffragio ad Præposituram evectus, quam decennialibus laboribus providè tenuit. At sana non abstulit, sed rimam, quam Antecessor aperuit, dilatavit, dum aliud prædium duobus à Conrado Antecessore concessis, adjecit. Cæterum opes non minuit, sed adauxit, facta tecta omnia conservavit. Prædium Bischofsried prope Lacum Vermium Wolfertshufanæ præfecturæ, & Holzhusanæ Parochiæ Collegio suo proprium fecit emptione anno 1326. In morbum dein post biennium incidit, quocum diutius conflictatus quarto nonas Aprilis diem clausit ultimum anno 1328.

### Joannes Administrator.

Quamvis Juniores Scriptorum Joannem inter Prælatos electos computarint, verissimè tamen demonstratur, eum fuisse Administratorem, non Præsulem. Pluribus deducere veritatem hanc, hic non vacat.

### Getolfus, seu Genolfus II. Præpositus XIII.

Conradi secundi Præsulis Successor Regulari serie XII. eodem anno, quo suscepit, susceptam morte deseruit Præpositi dignitatem 1329. 3. Maji.

### Conradus III. Præpositus XIV.

Genolfo successit Canonica Electione Conradus hoc nomine tertius, cognomento Glaner, Conradi primi consanguineus. Celebrata fuerat Conradi hujus in Præsulem Beyrbergensem electio anno 1330. Ast ad magna natus experimentum fortis, & constantis animi subire citius, quàm expectabat, coactus fuit, dum in introitu sui Præsulatus magnam persensit calamitatem, & afflictionem virilibus deplorandam lacrymis, Collegii scilicet nostri majori ex parte conflagrationem, quam incuria negligentis coqui ignem malè, ac improvidè incinerantis excitavit. Quàm acerbè tulerit primo statim sui regiminis anno flammam adèd nocivam, is rectius perpendet, qui doctus æquè librorum amator & æstimator exstiterit: insignis enim Bibliotheca à Prædecessoribus erecta, & maximè adaucta, nunc verò libris & doctissimis manuscriptis ita locupletata, ut trium millium numerum libri, & codices excederent, velocissimo igne panè tota fuit absumpta, paucis Manuscriptis salvatis, quia vigilantiam hominum prævenit celerrima flammæ debacchantis rabies. Restant etiamnum aliqua M. S. Volumina SS. P. P. & descripti codices ab incendio erepti, quos quidem multis in locis non amplius legibiles, antiquitatis tamen gratia,



gratiâ, pro grata Præfulum, studia solerter foventium, memoriâ Bibliotheca nostra insigni librorum thesauro restaurata conservat. Præter Bibliothecam supellectilis, & aliorum utensilium, majorem verò scriptorum quorundam in Archivo asservatorum jacturam totum pati debuit Collegium.

Prostrato ab inimica flamma Collegio, animus tamen stetit erectus Præfulis Conradi, ut sedato incendio non acquiesceret, sed continuò ad reparanda damna, murorum, & tectorum, incumberet. Cujus piis laboribus imploratum Numen ita benedixit, ut intra breves annos dirutum Collegium ad novam resuscitaverit formam. Interea fervente opere sedulitas Præfulis ab Augusto Imperatore Ludovico IV. Bojariæ simul Duce, ad supplices preces jura Toparchica plenissimo titulo impetravit. Tenor Privilegiorum in etiamnum asservatis Litteris est, *ut jus territoriale Beyrbergensi Cænobio, ejusque subditis tribuatur. Ab omnibus, quibuscunque inviolatum relinquatur, itaque conservetur, ut nulli Judicum, Præfectorum Provincialium, & Audicorum ministrorum sive Cesareorum, sive Ducalium, sive aliorum secularium quoruncunque in Beyrbergensi, & Tegerndorffensi Territorio assultus facere, subditos judicare, captos judicio sistere, & quomodolibet violentas ulli manus injicere liceat, nisi voluntario homicidæ, Virginum defloratori per manifestum stuprum &c. Dat. Monachii Die Veneris post Pascha anno Christi Nati 1332.* Indulgentias etiam, & Spiritualia Privilegia à Sede Apostolica, tunc Avenione in Gallia residente, anno 1335. acquisivit, quas Albertus Comes de Hohenberg, & Haigerlohe Episcopus Frisingensis anno 1355. V. Idus Mensis Decembris postea approbavit, prout fert Instrumentum publicum desuper erectum. Anno 1337. eximium prædium in Sindelstorf Weilhaimensis Præfecturæ, anno autem 1340. aliud in Faistenberg Beyrbergensis jam Toparchiæ, providâ comparavit diligentiam. Fatis tandem concessit Conradus in ipsa Dominica *Letare* anno Dei hominis 1349. 22. Martii. Multa posthac insinuat Chronicon de aliis temporis gestis, quæ hic adducere non patiuntur angustia.

#### Udalricus Vector Præpositus XV.

**H**ic professione Canonicus Beyrbergæ, Patriâ Monacensis, Conrado è vivis sublato suffectus quidem fuit, at, quia non intravit per ostium legitimæ Electionis, sed per tectum Simonia aliundè ascendit, nonâ post introitum septimanâ exivit è vita inglorius, formidinis, & debitæ cautelæ posteris exemplum, ut secuturi nòrint, dignitatem dolo, favore, vel ambitione partam neutiquam fore diuturnam.

#### Baltherus Præpositus XVI.

**B**altherus Udalrici Successor declaratus, quadriennio tantum præfuit; administratione laudabiliter gesta, in bona pace obiit anno 1353. 19. Septembris.

#### Conradus IV. Saxo. Præpositus XVII.

**C**onradus Quartus, Saxo dictus, rebus, præclare gestis facile primus, unus ex Præpositis hujus loci præstantissimus effulsit, Prudentiâ, dexteritate, felicitate, ac Regiminis diuturnitate paucis secundus. Epitaphium, quod in diruta Ecclesia Collegiata, parieti incisum videre erat, Beyrbergæ natum prodidit. Grassante ingentis pestis fævitie anno 1349. ætatis suæ 22. Presbyter sæcularis ob Cleri inopiam maturius consecratus, dein huic Cænobio per Professionem Canonicam se suâque omnia dedit. Sublato è vivis Balthero omnium illic suffragiis Præpositus electus, & inauguratus anno 1353. exigentibus pluribus ejus meritis, nam excellentes ingenii dotes, minimè vulgaris peritia, modesta insuper in virili ætate gravitas, tali dignitate virum omninò dignum fecerunt, cui Beyrbergensis Ecclesiæ gubernatio committeretur. Hic, cum pingendi scribendique arte excelleret, libros complures manu propria exaravit, quibus venustissimas icones solo calamo expressas, variisque coloribus pictas inseruit, iisque Bibliothecam mirè exornavit. In cujus rei testimonium adhuc asservantur ejusmodi scripti codices cum depictis figuris, ut calamo pingendi ars, & scribendi peritia concertent, utri palma debeat. Alia quoque egregia præstitit, inprimis cum Reverendissimo, & Illustrissimo Principe Alberto Frisingensi tunc Episcopo altero mox suæ Prælationis anno permutationis contractum iniiit, vi cujus redditus quidam annui in Marchia Sclavonica Beyrbergensi Collegio proprii, atefato deinceps Alberto Episcopo, ejusque successoribus fuerunt asserti; in vicem autem Collegio Beyrbergensi Ecclesia Parochialis Minsingana cum pleno jure, decimis, proventibusque omnibus stabiliter fuit incorporata. Prædia autem, mansiones seu Huebæ in Marchia dicta erant numero triginta octo,

quas piissimi Fundatores dotis gratia fundatæ à se Ecclesiæ & Collegio contulerunt; acta est hæc permutatio anno 1354. die Purificationis Beatæ Virginis Mariæ, sequenti verò anno IV. Idus Decembris litteris utraque parte extraditis fuit ratihabita, prout permutationis Documenta authentica in Archivo docent. Hæc permutatio majoris industriæ causa fuit, tantùmque in Conrado effecit, ut Parochiæ præfatæ occasione plura prædia in Minsingensi pago sita, nec non particulares quasdam decimas numerato, & præsentis ære Cænobio adduxerit. 1. Prædiolum à tergo Ecclesiæ Parochialis, 2. ab Henrico Minsinger secus viam anno 1355. 3. Villa (cui à decimis nomen) à Joanne Freunthesperger junctis quinque attinentibus decimarum domunculis anno 1363. 4. Prædium à Conrado de Thor ibidem anno 1372. prout litteris fusiùs continetur. Ut verò omnes hujus sacræ ædis immunitates, & privilegia essent tuta, litteras Pontificias à Gregorio XI. qui relictæ Avenionensi sede tunc cum maximo totius Christiani orbis applausu Romam reversus fuerat, obtinuit, quibus privilegia, indulgentiæ, libertates, exemptiones, fidelium oblationes, contractus, omnésque possessiones Apostolicæ Confirmationis Diplomate sunt communita. Datum Romæ apud S. Petrum V. Nonas Martii, Pontificatus Greg. anno 7. id est, anno 1378. Mortuo dein Gregorio ab Urbano VI. Pontifice missus Cardinalis Pileus Legatus ad Germaniæ Principes, dum Ratisbonæ aliquamdiu subsisteret, ad preces Conradi Præfulis nostri Pontificio Nomine, & Apostolica Autoritate speciales Confirmationis litteras de facta permutatione Parochiæ Minsingane elargitus est. Providè Confirmationem permutationis hujus à Pontificio Legato procuravit Conradus anno Domini 1380. 16. Novembris; sciebat enim facilè à successoribus Episcopis præpotentibus ejusmodi contractus, permutationes, & incorporationes cassari posse, rursumque cum ingenti detrimento Regularibus surripi id, quod Antecessores vel pia largitate, aut justo interveniente (etiam oneroso) contractu concesserunt, nisi Apostolicæ sedis autoritas tales contractus, & incorporationes (ut ajunt) ad mensam Confirmationis litteris roboraret, ac perpetuo munimine solidaret. Dum foris inter Præfules magnates; & Proceres magna auspicabatur & Principum gratias in commodum suæ Ecclesiæ inclinabat, domi utilitatem, necessitatèque Collegii curavit, ædificia quædam collapsa pristino decori restituit, ruinosa refecit, atque sui Præfulatus tempore singula bis novo tecto à cæli injuriis vindicavit. Evenit aliquando tanta Loysaci fluvii eluvies, ut non solum duos pontes, quibus infra, & supra, cis, & ultra continens jungitur, everterit, verùm etiam ipsam pro secandis asseribus positam in fluvio structuram loco moverit, destruxerit, & secum arripuerit. Prata quoque flumini affinia præcipiti, & noxio aquarum decursu omnia penitus suffocata oblimavit. At in cunctis seu bonis, sive malis eventibus nunquam non providus Præful, quontocumque damnis reparandis se se accinxit: non modicos locavit sumptus pro exstruendo novo molendino ferrario & refarciendo pollinario. Ruptos pontes mox subsidente aqua refici curavit, tandem morbo, quocum diutiùs luctatus est, per plures jam annos confectus in senectute bona naturæ concessit, & anno 1398. adstantibus Canonicis, & discessum sui Præfulis optimè de Collegio meriti inter lacrymas, & suspiria amarè plangentibus, beatam conclusit vitam. Præfuit singulari cum laude doctrinæ, prudentiæ, pietatis & discretionis annis 45. ubique in vita sua virtutum insignium, relinquens exempla, Patriæ, Ecclesiæ, & Canonicorum suorum eximius amator, qui nihil utriusque incremento habuit antiquius, integris viribus ad utriusque profectum semper intentus novi in dies accessus impiger & studiosus, semel occupati defensor & conservator indefessus, invictus. Mortuum corpus sepultum fuit ad lævam, qua itur in templum sub porticu quadrangulari cum hoc Epitaphio.

Hanc sepulturam Domini, paritèrque figuram  
 Conradi Nati de Beurberg sic nominati  
 Præpositi grati, Saxonis hic tumulati;  
 Respice sincerè, sibi dic, Domine miserere!  
 Maufeoli foveam sibi condidit aptiùs istam,  
 Transactis annis semel M. ter C. quoque junctis  
 Hinc nonagenis quatuor bis tunc nominatis.

Aliud in laudem egregii hujus Præfulis extat monumentum sequentibus versibus comprehensum.

**E**Cce! sub hoc Saxo Beyrbergæ Saxo quiescit,  
 Quo nullus poterit fortior esse lapis.  
 Sacratum nomen quærentibus indicat omen;  
 Conveniunt factis Nomina quippe suis.

Tres

Tres jam Conrados Magnos Beyrberga recenset;  
 Quartus, qui sequitur, degener esse nequit;  
 Casa dedit levis in Beyrberg cunabula Nato:  
 Nam virtus Patriâ gaudet ubique suâ.  
 Augustos juvenes angusta urbs Pella fovebat;  
 Alcidi cunas obvia terra dedit.  
 Crevit cum puero pietas, dum creverat ætas;  
 Grandior at, Musis castus alumnus erat.  
 Beyrbergæ Aonicos enifus ad ardua montes  
 Pleno Castalias fonte bibebat aquas.  
 Ergo brevi doctus sacratum tempore mysta,  
 Christo devotas ut benè pascat oves.  
 Ast ut in aprico comes est sua corporis umbra,  
 Sic virtus vanæ præmia laudis habet.  
 Dum fugit humanos Conradus laudis honores,  
 En! sequitur magis hæc, quò magis ille fugit.  
 Vix professus enim mundana & vana relinquit;  
 Canonicum sequitur Relligiosus honor.  
 Virtus causa fuit, quod Præful is omnibus esset,  
 Cui plus doctæ inter Sydera lucis erat.  
 Ex gestis Magnum magnis, ex ungue Leonem  
 Nosces Conradum: Præfule digna cape.  
 Gratia Pontificum Conrado magna precanti  
 In precibus comes, in munere larga fuit.  
 Romanæ hinc Bullæ sacro Diplomate firmant,  
 Quæ dedit Augusti Cæsaris ampla manus.  
 Quidquid & insignis pietas splendore sereno  
 Bojæ fundavit, dona beata, Domûs.  
 Quidquid Fruxini largitus Episcopus unquam,  
 Semper montanis ædibus esto sacrum.  
 Quidquid & Illustres Generosa stirpe Barones  
 Ædibus erectis contribuissent ferunt.  
 Qualia jura manent æterno tempore firma,  
 Non edet hæc ætas, néve rubigo teret.  
 Conrados alios vexavit Mulciber igne,  
 Ecce tria in quartum nunc elementa ruunt.  
 Conradum nam forte probat Neptunus iniquâ;  
 Ménsne sub affusa dura maneret aqua?  
 Omnia subvertit, Loyfæque repagula rupit,  
 Destruxit pontes, littora, prata, molas.  
 Ad hæc Præful ait: præstat componere fluctus,  
 Et siccis oculis damna referre DEO.  
 Ocyus ergo malis studuit succurrere rebus;  
 Construxit pontes, littora, prata, molas.  
 Sic Præful domuit sævum pelagi Domitorem;  
 Loyfa id testatur: fortior ergo Deo est.  
 Flatibus Æoliis, sacra tecta inverterat æther,  
 Hærebat paries, fulcra negante solo.  
 Hoc opus, hic labor! ut quis jam labentia tecta,  
 Vallaque restauret deteriora Domûs.  
 Sed pius Antistes labentia cuncta resarcit,  
 Vindicat & noxas ætheris, atque Jovis.  
 Stant firma ex solidis Saxis Domûs omnia: nonne  
 Præfulis infracti Saxeæ cura fuit?  
 Præful Olympiades bis quinque peregit, & unam,  
 Nulli inter primos sicque secundus erat.  
 Tandem Saxo ruit meritorum pondere fractus,  
 Atque brevi tumulto jusserat ossa tegi.  
 Ast benè Posteritas, Præful venerande, locavit  
 Sub Saxo exuvias, ad pia vota, tuas.  
 Erexitque tibi laudis monumenta perennis,  
 Qualia præduro marmore sculpta tenent.

Sic Nomen Beyrberga tuum, laudesque loquetur,  
Nec tua Lethæo destruet acta lacu.  
Si taceant homines, Conradum faxa sonabunt,  
Laus erit & Nomen faxea, Saxo, tuum.

### Bertholdus II. Præpositus XVIII.

**I**N sede per Conradi Saxonis obitum vacante successit Bertholdus, hoc nomine secundus, circa divinarum rerum cultum atque familiarium curam sollicitus ac circumspicatus Antistes, quam dignitatem per annos 14. laudabiliter tenuit, sed anno 1412. cum vita dimisit. Ita disertè habet Chronicon, aliique scriptores nostri unanimiter consentiunt.

### Bernherus I. Bozenhauser Præpositus XIX.

**H**ic in vestigio ad Præposituram secutus est Bertholdum II. eam etiam annis octo insigni cum laude moderatus fuit; dum alia benè gesta hujus Antistitis tacentur, anno 1420. 2. Novembris mortuus multum laudatur, quod dignus longiore vita spartæ suæ cum laude præfederit.

### Bernherus II. Stöckl Præpositus XX.

**E**odem statim anno, quo Reverendissimus Bernherus I. vitalem deseruit auram, Canonicè electus Bernherus II. Cognomento Stöckl Præposituram suscepit. Ast nescio quo fato, quibusve motivis inductus sexto administrationis suæ anno nempe 1426. dignitatem posuit. Vixit post resignationem in Religiosa solitudine 15. annis, & post duos Prælatos anno 1441. 24. Junii inter homines esse desiit.

### Christianus, Præpositus XXI.

**M**irare Candide lector, stupendam hujus sæculi metamorphosim! quod enim alii fumis ambierunt, ac etiamnum ambiunt votis ad impetrandum cupidissimi, hoc abjecerunt, tum viventes Canonice nostræ Prælati, ac si ii, quibus præcipiendi, & administrandi competit jus, vilissimi essent, & miserrimi. Reverendissimi Bernheri Stöckl pium exemplum secutus est Christianus, qui abrenunciata dignitatem Canonice quidem Electione obtinuit, ast eandem quinquennio Prælationis suæ anno nondum exacto, à se abdicavit anno. 1431. Ejus mors, quando obtigerit, non innotescit.

### Petrus Stier. Præpositus XXII.

**P**ost resignationem Reverendissimi Christiani in Præsulem Beyrbergensem fuit electus Petrus Stier anno 1431. & hic jam tertius continua serie honorem sibi delatum Capitulo restituit anno 1440. raro profectò exemplo. Mirabiles aded varietates, & honorum cessiones ultroneæ viginti annis perdurârunt. Unde erravit hic scriptor Bojariæ in Metrop. Geboldus, quod putaverit, Petrum istum eodem statim anno suæ Electionis scilicet anno 1431. Prælaturam sibi delatam Capitulo restituisse. Errorem hunc clarissimè expugnat Electio Henrici Bozenhauser anno 1440. facta. Quis igitur tunc intermedius fuisset Præpositus, vel Administrator novennali intervallo? Quod si Henricum mox successisse dicas, tunc eum 35. annis præfuisse convinceris, quod iterum contra expressam antiqui Chronici nostri Historiam asseritur, ipsiusque Geboldi calamum erroris nota configit, dum scribit nobiscum, Henricum viginti quinque annis feliciter rexisse Beyrbergam. Reverendissimi Petri hujus industria, & vigilantia à serenissimis Bojariæ Principibus Ernesto & Wilhelmo omnia Privilegia, & immunitates ab Antecessoribus præcipuè Ludovico Imperatore, Henrico & Ottone concessa, denuò fuerunt confirmata.

### Henricus III. Bozenhauser, Præpositus XXIII.

**F**actâ trinâ Præposituræ resignatione anno 1440. summa rei ad Henricum Bozenhauser devoluta est. Hunc nobilia decora, præclara merita, ingenii capacitas, & litterarum studia, tum rerum gerendarum singularis experientia meritissimo jure Canonice Capitularem suffragiis ad Prælaturam evexerunt. Præpositus cum applausu, & gratulatione omnium firmatus brevî in spiritualibus Zelum, in æconomicis industriam, ac officio convenientem vigilantiam pro communi Ecclesiæ commissæ bono explicuit; Antecessorum Præsu-

Præfulum adeò studiosus erat Æmulator, ut eorum acta suis gestis imitaretur, imitando allequeretur, & assequendo confirmaret. Inprimis singularem adhibuit curam, ut divinum promoveret cultum, pro quo, ut fideles ferventiùs attraheret, ad Concilium Basileense supplices dedit litteras, ut Ecclesiæ suæ speciales quasdam impetraret Indulgentias, quas certis diebus festivis pia Ecclesiæ Collegiatam visitantium devotio lucrari valeret. Eas etiam à Cardinale, dicti Concilii Legato de Latere, feliciter obtinuit anno 1441. 9. Jan. prout fufius explicant Litteræ. Spiritualium sollicitudinem Præfulis, vigilantia in temporalibus exceperit, quam felix sanè dexteritas comitata fuit. Cum enim Henricus noster perpiceret, à piissimis Fundatoribus Beyrbergense Cænobium districtu quidem venatorio, sylvisque unà cum venandi jure in iis provisum esse, ast in proximioribus locis prope vicum inferiorem Hernhausen usque ad sylvam amaram prope Königsdorf vulgò Saurenholz vocatam; tali venandi jure penitus carere, indigentiam hujus serenissimis Principibus Bojariæ fecit innotescere, tantùmque ad supplices instantias impetravit, ut, quod efflagitabat, ea obtinuerit conditione, ut pro familia sereniss. Principum singulis annis anniversarius celebretur, prout testantur Ducalis Privilegii Litteræ, & antiquum chronicon in sequentia enarrat verba.

*Henrico Bozenhausen Prælaturam gerente, Cænobium Beyrbergense venatoriis citra, & ultra Leusacum locis auctum est, quæ Illustrissimi Principes Bojariæ Albertus, Joannes, & Sigismundus conventui donarunt, hac conditione, ut quamdiu hæc Canonicis Beyrbergensibus rata maneant, ad Anniversarium sacrum pro salute animarum suarum singulis annis in secunda quadragesima septimana absque omni longiori dilatione faciendum vicissim obligentur. Si verò aliquando contingat, ut hæc posterorum avortitâ, aut ut revocentur, tunc Canonici quoque ad Anniversarium sacrum prædictis Principibus celebrandum nullo jure teneantur.* Cauta sunt hæc in antiquo Diplomate, quod in Archivis Cænobii diligenter custoditur. Colligas tamen velim, quisquis hæc legeris, non omnia venandi jura nostra ab isthac concessione Principum provenisse, ac dependere, sed tantùm illa, quæ ab inferiori vico Hernhausen usque ad Königsdorf, citra Leusacum verò usque ad terminos sylvarum Monialium se se extendunt; alia quippe in sylvis cubuli, prope Faistenberg, Hochenleuten, Röttenberg, Schelen, aliis in pratis palustribus ferinis usque ad lacum Vermium porro ultra Leusacum penes Aurach supra usque ad limites districtus Benedicto Burani Monasterii, infra autem usque ad terminos Eurspurgensis Castri à tempore fundatæ Ecclesiæ Collegio nostro competunt, qualis venandi potestas jure hæreditario ab Illustribus Fundatoribus Iringensibus possessa, postmodum dotis gratia erecto à se Cænobio plenè fuit devoluta, & donata, prout hucusque pacifice, quietè, sine interruptione ac molestia possessa à nobis fuerat, ac etiamnum dicto modo possidetur à multis retro sæculis. Sicut verò hanc Principum donationem Henrico Præfulei vigilantissimo adscribere debet Collegium Beyrbergense, ita illius dexteritati & industriæ in acceptis referre tenetur renovationem invictissimi Imperatoris Ludovici Diplomatum, & Ottonis Regis piissimo affectu concessarum Litterarum, ac immunitatum Privilegiorum que &c. quæ omnia ab Alberto Palatino Rheni, Duce Bojariæ, & Comite Vohburgense anno 1458. & rursus à Joanne, & Sigismundo comitibus Palatinis, Bojariæ utriusque Ducibus anno 1460. simul confirmata sunt. Ducales Litteras Archivum nostrum exhibet.

Dum verò Henricus strenuam impendit operam acquirendis, tuendis, & confirmandis juribus, sollicitus æquè fuit pro domesticis ritè coordinandis, ac exteris commodiùs disponendis: unde non solum primo adhuc anno suæ Prælaturæ 1441. pro aliis bonis, ac prædiis in Pasing & Aich Præfecturæ Starnbergensis, aliisque prædia in Oberhof, & Osterhof, certasque decimas permutationis contractu obtinuit à Joanne Butreich de Pasing. Dein coëmit liberum prædium anterioris Hoffstett anno 1457. Minsingæ insuper alias quasdam decimas adduxit anno 1458. Præterea præclaram curiam, Sedlhoff vulgò nuncupatum, in Hechenrain anno 1459. prout Litteris desuper erectis, ac in Archivo servatis magis hæc patefcunt; aliaque multa comparavit suæ sponsæ Collegiatæ Ecclesiæ, de qua benè multùm meritis, & piè defunctus, in ea sepulchri locum, & laborum requiem etiam obtinuit anno 1466. 13. Martii. postquam 25. annos integros hujus mirabilis, ac variabilis sæculi constanti regimine, parique sedulitate superaverat.

#### Castulus Kall, Præpositus XXIV.

**E**Ximius hic Præful Antecessoris benè meriti casum restituit, multisque specialibus prærogativis, atque Bojariæ Principum favoribus omninò insignibus, Ecclesiam sibi commissam ampliorem reddidit; Dignus planè meliori tempore, & magis pacifica vicinitate.

*Tonus III. Cann. Regg. Origines.*

Zz

te.

te. Erat enim animi satis de se mitis, atque pacati, nulli inferentis ullam molestiam, aut injuriam; verum ubi ab aliis nefarie impetitus, ad propulsandam expensis nullis parcebat, & juris æquitatis tenacissimus, velut murum contra quemque invasorem sese fortissimè opponebat. Quare cum Nobiles quidam Ecclesiasticis Cœnobiis bonis avidius inhiarent; immunitates Ecclesiæ, & à magnis Principibus concessa privilegia, forum sæculare concernentia, pessundare contenderent; Castulus noster leonis instar profiliit, infestis sibi magnanimus occurrit, ac in aciem apertam juris progressus, haud absque exiguis sumptibus commissæ Ecclesiæ bona, juraque strenuè tutatus est usque ad ipsam animam, quam post regimen viginti trium annorum Conditorij suo Victor gloriosus reddidit anno 1489. Verum ne tanti viri apud Posterios intermoriatur memoria, memoranda hæc referimus. Controversiæ illæ, quas adversus Nobiles quosdam Collegiatae Ecclesiæ jura infestantes impigrè obivit Præsuli maximè propugnanti ansam dedere, id genus malevolorum molestias, atque litigia futuris temporibus præcavendi, ac in præsentiarum proscindendi. Ea propter summum Pontificem Paulum II. humilimè imploravit, & Apostolicum Ecclesiæ sibi concreditæ immunitatum, jurium, ac bonorum munimen petiit, impetravitque Pontificium Diploma, quo omnia Beyrbergensis Ecclesiæ ac Cœnobii privilegia, immunitates, gratiæ bonaque tam spiritualia, quam temporalia ab aliis Pontificibus, & Principibus concessa de novo fuere confirmata, ac roborata. Litteræ Pontificiæ etiamnum integræ asservantur in Archivo. Isthac nihilominus obstante Confirmatione Apostolica, & Communitione Pontificia lites promovebat apertis juribus, ac bona Ecclesiastica invadebat protervia eorum, qui Nobilitati plus, quam Ecclesiæ, & Ecclesiasticis tribuendam esse existimârunt. Ut aded vigilantissimus Præsulum Ecclesiæ ipsius Patronis, Cœnobii Advocatis, ac Tutoribus forenses lites subire, pro Ecclesia ipse patrocinari, pro Collegio Advocatiam gerere, suæque sponsæ tutelam in se suscipere cogeretur, quam strenuè gessit, triumphumque reportavit de inimicis. Litibus compositis, afflicto Cœnobio suppetias tulit ipsa Sanctissima Misericordiæ Mater, dum piissimi Bojaræ Principis Alberti Animum serenissima gratia ita inflexit, ut facellum S. Henrici in fronte Vermilacus situm cum redditibus, proventibus, & fundis annexis Cœnobio Beyrbergensi tradiderit, ac pleno jure incorporaverit, anno Partûs Virginici 1480. prout Litteræ Translationis fusiùs edoent. Colitur autem effigies Beatissimæ Mariæ Virginis dolorosæ in nominato facello, quæ multis prodigiis, insignibusque beneficiis clara, atque ab aliquot retrò sæculis famosa, vicino populorum concursu, ac devotione præcipua frequentatur. Maximè verò nundinarum instar vicinæ Parochiæ tribus feriis Sabathinis post Pascha confluunt, atque institutis Processionibus singularem opem ab amantissima Deipara contra æreas tempestates, & pro conservatione frugum terræ ardentissimè efflagitant. Hanc ædem B. Eremicola Henricus nomine, qui ibidem eremum suam habebat, ac devotissimè Christo, & dolorosæ ejus Parenti vixerat, circa annum 1100. construxit, cujus corpus post mortem in dicta æde sepulturæ locum accepit. Cum autem illius pietatis fama ex quibusdam miraculis inclaresceret, præcipuè verò dolorosæ Matris effigies insignia accedentibus beneficia præstaret, & in annos fidelium devotio magis accresceret, Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus Fridericus Ecclesiæ Augustensis Episcopus, templum unà cum cæmeterio renovavit anno 1234. consecravitque solenni ritu. In tribus etiam erectis Altaribus SS. Isidori, Oswaldi, Nicolai, Servatii, & S. Catharinæ Virginis & Martyris, Reliquiæ copiosè ibidem reconditæ sunt. Omnibus etiam Christi fidelibus prædictam Basilicam ob peccatorum suorum absolutionem devotè visitantibus, nec non & aliis sacris temporibus, & in magnis Festivitatibus Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, in Festivitatibus Beatæ Mariæ, in Natalitiis omnium Apostolorum, & omni Sabatho per circulum totius anni à viginti quatuor Archiepiscopis, & Episcopis speciales Indulgentiæ donatæ sunt, quæ etiam ab Episcopo Augustano fuere confirmatæ, prout fusiùs desuper erectæ Litteræ, & instrumenta publica etiamnum nobis ad manus exhibent. Sub Præposito vigilantissimo Georgio Scriba tandem rursus Basilica hæc innovata, novisque altaribus inauratis restaurata fuit, sub Regimine verò Reverendissimi Eberhardi Præpositi monumentum lapide incisum, supra locum sepulchralem B. Henrici positum fuit, prout etiamnum videre est, & nominatus B. Eremicola Henricus præfatæ Ecclesiæ nomen tribuit, & inter alios Bavarie sanctos & Beatos Patronos colitur, attestante R. P. Radero in Bavaria beata. Ast relinquendus est hic author in additionibus, quod hic loci duo fuerint Henrici Eremicolæ, unus ad Lacum Vermianum, alter Beyrbergæ, nam unum tantum fuisse evidenter demonstratur, & fortè error inde promanarit, quod primus Collegii nostri Præpositus Henricus similitudinem nominis præsetulerit. Dein prædictus author malè autumat, Ecclesiam istam sancti Henrici Imperatoris esse, & nominari, nam vetustissimæ Litteræ demonstrant, à suo Fundatore Fratre quodam ibidem Anachoreta, nomine Henrico, fuisse

se constructam, postea à Friderico Episcopo Augustano consecratam, dedicatam, & à suo Fundatore Eremicola nomen adeptam fuisse; ut liquido nunc omnia constant. Præterea malam accepisse informationem convincitur Raderus, cum non Beyrbergæ cineres alicujus Henrici per anni partes ab accolis religiosè visantur, sed solum tribus post Paschatis ferias Sabathis à confluyente populo præacta Ecclesia Beatæ dolorosæ Virginis vulgò S. Henrici ad Lacum Vermianum frequenti devotione colatur Pluribus haud opus est, aut ista perstringere, aut demonstrare, cum ad præsentem Historiam non pertineant, satis est tamen, laudem comprehendisse optimi Præfulis Castuli.

### Joannes I. Præpositus XXV.

Joannes Alchinger loco nobili natus, & clarus, naturæ dotibus illustris anno 1458. adolescens hic solemniter Canonicum professus, Presbyter, & Ecclesiastes facundus, quapropter Parochiæ Minsingensi Curio datus est. Accessit subinde, quod magni ponderis Advocati favor, ac benevolentia, quâ sibi visus erat Alchingerus extra fortis iniquæ aleam omninò tutus, quia Advocati intimus amicus, qui vicissim eum commendatum ubique fovere, deprædicare, & superiore dignissimum loco evulgare non intermisit. Res pro voto ad nutum etiam cecidit; nam Alchingerus post obitum Reverendissimi Domini Castuli Kall, studio sui fautoris Caspari ad fasces assumitur, Præpositus salutatur Beyrbergensis. Antequam is ad fasces subrogaretur, optata fruebatur pace Collegium Beyrbergense, & sedulitate Præpositorum antecedentium Cultrice magnum fumebat incrementum, ut omnibus necessariis instructum, satisque copiosum, ac florens videretur, atque inter circumjecta suæ Professionis Collegia nequiquam postremum passim existimaretur. Quin abs dubio majoribus in dies accedentibus Reddituum augmentis excrevisset, nisi in discordias ac perniciosissimas controversias inter Alchingerum, & Casparum nobilem à Porta, Equitem auratum & Euraspurgensis Castri Dominum Advocatum incidisset, quæ omnium Calamitatum, quas & multas, & graves Cœnobium hoc fuit passum, maximæ extiterè causæ. Unde ceu validis ventis obruta Canonica flores suos tam pulchrè pullulantes amisit, & revirescentia ejus folia deciderunt. Viam litigiis straverunt Cupiditas limitis ampliandi, augendique Domini districtum in Casparo à Porta, pertinacia tuendi, nihilque dissimulandi, quæ juribus Ecclesiæ forent contraria; ex altera parte omnia petita pro votis impetrandi occasionem reputabat Casparus ab eo, quo tam familiariter jam pridem usus, quemque summo beneficio ad ipsam evexisset Prælaturam, autoritate, quâ apud Canonicos Electores multum pollebat, in Beyrbergensi solio solidasset. Unde modò jus piscandi in Leuchaco fluvio longè ultra præscriptos sibi terminos arrogare, nunc prata, pasqua, silvas, campos, & agros ob vicinitatem dominorum, tanquam sibi propria, suæque jurisdictioni competentia vindicare, Tegerndorfensis Toparchiæ subditos nostros ad sternendam viam, præter omne jus & consuetudinem cogere, aut nolentes à publicæ viæ usu violenter prohibere, quin in tantum exarsit odium, ut colonos nostros arceret, ne Decimas, aliòsque census annuos subditi redderent Collegiatae Ecclesiæ, atque ob id temerario planè ausu et in inflicto pænis eos revocare cepit. Alchingerus Præpositus econtra, ne iniquè oppugnatus causam suam segnè videretur defendere, atque in retundendis violentiis esset inferior, Caspari mandato obtemperantes, si quando in festis diebus comparuissent, tanquam excommunicatos Ecclesiæ spoliatores publicè proclamavit, sacrisque abesse iussit, non semel etiam iis præsentibus, & Ecclesiam exire detrectantibus sacra non peragi, sed Ecclesiasticis Ceremoniis abstinere præcepit. Interea dum majora cæptis attentaret Casparus, necessitate adigebatur Præful pro aris defendendis & focis publicum iudicium interpellare, unde ex utraque parte certatum fuerit, patet ex Litteris Pontificiis ab Alexandro VI. anno 1497. 8. Cal. Februarii datis, per quas omni seposita appellatione Reverendissimo Frisingensi, Decano Beatæ Mariæ Virginis Monachii, & Jacobo Rudolphi Canonico Frisingensi delegata fuit in spiritualibus Apostolica potestas cognoscendi, judicandique utriusque litigantis causam. Discussis rationibus amicabilem pax inter litigantes fuit primùm tentata, sed incassum. Sententia proin à Pontificiis Delegatis arbitris contra Casparum à Porta pro Præfulis nostri iustitia fuerat prolata: nec minùs etiam æquitatis à Consilio aulico Monachii fuit decisum postea. His tamen lis non fuerat abscissa, quia Casparus exulcerati animi vulnus lethale ferens, & implacabili odio excæcatus ad ipsam Cameram imperialem provocavit, Appellationemque suam Spiram pertraxit, novam ibi litigii contestationem deponere Præfulem cœgit. Quantum autem pecuniarum sit hinc inde consumptum lite pendente, quantumque in munera, & jurisconsultorum pretia, Patronorum, Advocatorum, Notariorum, & Scribarum mercedes utrinque

fuerit effusum, non facile est explicatu. Illud certe constat, maximum æs alienum fuisse conflatum, divenditis & oppignoratis prædiis, utrumque agentem Principalem se suosque propemodum perdidisse, dum quilibet perdendæ causæ, juræque tuendo præcavebat, ne oleum & operam perdidisse videretur. Hæc inter Serenissimus Bojaræ Dux Albertus optimus Princeps, & in Collegium nostrum Beyrbergenfem præcipua pietate affectus, gravissimè ferebat, hujusmodi pertinacibus litibus rem familiarem & Ecclesiæ bona pessimè disperdi: proin maxima planè clementia litis dirimendæ curam in se suscipere per ducales Consiliarios varios transactionis modos proponere gratiosissimè dignatus est. Sicut verò Præpositus noster Serenissimæ voluntati obtemperatum se promptissimè promiserat, ita Casparus pertinaciter respuerat, publicam sui juris & Domini violentiam, nobilitatisque infamiam causatus.

Quare ob animi pervicaciam Casparus à Porta magnam Principis indignationem incurrit, ac primùm Wolfrathusium in arcem, postea verò Dietfurtum sub publica sponfione in custodiam relegatus fuit. Quibus tamen nihil mitior factus, contra expressam Principis voluntatem, & interdictum Forenfem urgebat actionem, quamdiu obolum habebat, ad incitas verò redactus ob inopiam etiam alieni æris, Causam suam in Camera Cæsarea intermittere, & pro se cæpta relinquere coactus fuit. Sic pertinax superbia, & nobilis pertinacia sapere, at serò fuit edocta. Sed nec hinc substitit devictus animus, ad machinamenta Præfuli innocenti struenda se se convertit. Staupitium ergo Eremitarum Sancti Augustini Provinciam Monachii apud communes quadam autoritate conspicuum, ad quædam audenda facilè promptum, quem sibi Casparus devinxerat, subornat, ut sub palliato missi à Principe Legati titulo Frater iste tonsus (sic enim ex merito eum nominat Chronicon) Præfulem nostrum mediastinorum more in propria Prælatura aggressus, eum carceri mancipare non sit veritus. Proh! quanta petulantia Fratris in Patrem, Eremitæ in Clericum, mendicabuli in Prælaturam Ecclesiasticam, & inter illustrissimos Bojaræ Status dignitate fulgentem! brevè tamen detectâ fraude è custodia ereptus fuit venerandissimus, ac innocens Præful, qui de tanta sibi illata injuria graviter conquestus, tandem effecit, ut Casparus à Porta Advocati autoritate exutus fuerit, in Parentis verò locum (quia liberam ex aliena nobili familia Advocatum statuendi electionem ex Pontificio Diplomate habebant Beyrbergenfes Canonici) ad instantiam Alberti Ducis filius Eberhardus à Porta Episcopi Frisingenfis Consiliarius, ac Naumburgenfis Toparchiæ Præfectus subrogatus fuit. Paucis post annis Prælatura deposita, ætate gravis utpote Jubilæus professus Canonicus, magnòque patientiæ merito cumulatus Joannes Alchingerus ad cælestem, quam tempore Regiminis sui obtinere nunquam poterat, tranquillitatem abiit anno 1514. 13. Decembris variæ fortunæ lus. Alia egregiè gesta adhuc exstant de hoc Præposito, cum enim nobiles Eberhardus, Conradus, & Ludovicus de Hornstein anno 1277. jus Patronatûs ad Ecclesiam S. Joannis in Machtolfingen pleno jure ab ipsis possessum ex singulari devotione sub Henrico secundo Præposito nobis tradidissent, postea verò in dubium vocaretur à Celsissimo Consistorio Augustano vigilantia Joannis Alchingeri Præfulis nostri exhibitis Authenticis Instrumentis remonstravit, novàsque Investituras 1496. recepit, quousque continuavit sine perturbatione possessio. Atque hæc paulò fufius adducere oportuit, ut intelligerentur Historiæ Annotationes Geboldi ad Hundium.

### Udalricus Eysenhofer, Administrator.

Cessante Prælatura Joannis Alchingeri anno 1502. ne in totum perditum iret Beyrbergenfis Collegii status, cum ingens æs alienum conflatum gravaret, & Oeconomia penitus deformata esset, tempestivè & Parentis instar volebat hisce occurrere malis Serenissimus Dux Albertus; quare ocyus Udalricum Eysenhofer Beyrbergam ablegavit, ut Administratoris munus ibi exerceret. Hunc Canonici reverenter vel ex eo libenter susceperunt (potuissent enim eum rejicere, & contra ipsum justè excipere) quòd ab ipso optimè prospectu Principe fuisset missus. Nota insuper erat autoritas nobilis familiæ Eysenhoferianæ, cum Germanus Frater Udalrici Boicam Aulam supremus moderaretur Magister, à quo haud exigui sperari possent favores in Canoniam refundendi, cui præffet ejusdem profapiæ nobile Germen, & Fraterno sanguine spectatus Antistes. Erat quidem Udalricus iste venusta facie, nobili forma, reliquisque corporis dotibus benè conspicuus, Majorum fuorum ob res præclarè gestas laudibus, ac Fratris tum meritis, tum autoritate reverendus, verùm ingenio à pueris ita tardo, ac cerebro rudi, atque ad literas usque adedò indocili, ut nulla spes suppeteret, ex eo Mercurium exsculpendi. Hinc cum ad res nobilitati congruas gerendas profus judicaretur ineptus, ad Monasterium Beyhartingenfem fuit amandatus, ut ibidem fa-

crum



crum facere saltem addisceret. Non legitur, ipsum Canonicam Professionem ibidem emis-  
 sisse, quamvis fortè sacrum habitum tulerit. Sacris initiatus post aliquot annos Fratris  
 Germani Commendatione Collegii nostri Præsul & Administrator inauguratus est. Ast  
 contra Serenissimi Principis intentionem tam spiritualia, quàm temporalia pessimè admi-  
 nistraverat. Æs alienum dissolvit nullum, sed brevi, quo præfuit tempore, nova insuper  
 debita contraxit, ducentos aureos sub nomine annuæ pensionis sibi exsolvendæ petiit,  
 & accepit. Domum Landspergæ Collegio propriam, ac perutilem levi pretio, pecora  
 ex stabulis, pisces è vivariis vendidit, ac eorum pretia in proprium convertit usum, hoc  
 uno malè contentus, quòd omnibus proventibus solus non potiretur, & Canonicos re-  
 bus sacris vacantes, pastoralibusque officiis fungentes alere teneretur. Quare ut ab hoc  
 se se onere liberaret, per suum Fratrem apud Serenissimum Principem integris  
 institit viribus, ut Cænobium hoc in Parochiam sibi concedendam, cæteris  
 Canonicis dimissis, converteretur, sicque in Commendam sibi datæ Canoniciæ  
 totius redditibus annuis ipse frui unus valeret. Cui tam impio, quàm subdolo consilio  
 in tempore Canonici ope præfecti Wolfertshufani D. Prezel obviârunt, dum reddituum,  
 decimarum, prædiorum, fundorum, ac possessionum Catalogum Serenissimo Duci ob-  
 tulère, unde prudentissimus Princeps sat edoctus fuerat, nondum eò rem hujus Canoniciæ  
 devenisse, nec adeò collapsum esse statum, ut erigi, & ab interitu vindicari non posset,  
 si zelo religionis, œconomiciæ studio, & rei gerendæ experientia præstantior constitueretur  
 Prælatus, per hunc ipsum Administratorem bona Collegii decoqui, pessumdari, sa-  
 cra profanæque misceri, omnia everti. Condoluit ad hæc optimus Princeps, obligatio-  
 nis suæ esse ratus, malo afferendi remedium, Udalicum ab Administrationis officio re-  
 moveri, & in ordinem redigi mandavit, cum nondum biennium, plenè administrasset.  
 Post paucos annos, cum hinc Beyhartingam discessisset, morbo correptus, eo ingra-  
 vescente, valetudinis curandæ causa Monachium profectus, ibidem tandem mor-  
 tuus, atque rursus, uti Testamento reliquerat, Beyhartingam fuit relatus, ubi in facello à se,  
 suæque familia exstructo, sepulturæ locum obtinuit.

### Joannes II. Taferner. Præpositus XXVI.

**A** Moto Udalrico Administratore, unanimi Capituli consensu, & Serenissimi Principis  
 voto in Prælatum fuit postulatus Joannes Taferner in celeberrimo Canonicorum Re-  
 gularium Collegio Pollingano tunc dignissimus Decanus, quem virtus in asceticis, pu-  
 dentia in familiaribus, aliæque prerogativæ ubique fecere commendatum, celebrémque.  
 Contigit ejus Electio, seu Canonica postulatio die lunæ ante festum Divi Matthæi anno  
 reparati hominis 1503. quàm egregiè vigilantissimus Præsul spartæ suæ præfedit, do-  
 cumenta relicta ad insignem laudem ostendunt. Inprimis prædia hypothecata, & op-  
 pignorata datâ forte redemit, æs alienum ab Antecessoribus conflatum dissolvit. Rem  
 domesticam ubique adauxit novis villis, fundis, & vivariis amplificavit, prædium infe-  
 rioris Hoffstött cum sylvis, agris, pratis, & omnibus attinentibus eo ipso comparavit  
 anno, quo Præpositura fuit insignitus. Eodem pariter vivaria in Tegerndorff emundari,  
 latiusque effodi curavit. Altero verò anno in recens coempto fundo Hoffstettensis præ-  
 dii novum vivarium magnis expensis fodi jussit. Anno 1508. duas insignes villas in Ge-  
 retsried cum omnibus fundis, ac Domum Carpentarii cum horreo & annexis agris &  
 pratis in Tegerndorff emit. Ut honesto usui Canonicorum suorum, tum etiam hospi-  
 tum confuleret, argentea pocula deforis inaurata procuravit. Ut de commodiore habi-  
 tatione Suis prospiceret, Collegio exstruendo animum adjecit, magnamque materialium  
 Saxorum, lapidum costilium, calcis, lignorumque copiam apparavit, haud dubiè pro-  
 positum suum executurus, nisi inopina mors obicem posuisset, quæ ei contigit errore &  
 imprudentia Pharmacopolæ cujusdam Monacensis. Paraverat is medicinam juxta Medi-  
 ci præscriptum, ac domo exiverat, revertenti Præpositi nuncio stupidus, atque igna-  
 rus minister, domi relictus, ex plurimis, quæ simul stabant, pharmacis inconvenientif-  
 simum atque alii cuidam præparatum, perferendum ad Taffererum tradit: nuncius  
 cum pharmaco citato cursu recedit. Pharmacopola post multum in tabernam reversus  
 ministri sui errorem deprehendit: è vestigio quemdam mittit, qui nuncium subsequatur,  
 ac verum ægro remedium afferat; verùm priusquam pervenit, Præsul potionem, quam  
 nuncius attulerat, exhaust, atque exinde de die in diem pejus habens, atque de haustu  
 conquerens charus utilisque Prælatus inter manus lacrymasque Fratrum suorum animam  
 efflavit in die S. Vincentii Martyris anno 1509. Ejus corpus post funebria ritè perso-  
 luta, in medio Collegiatae ædis sacrae conditum fuit, marmórque superimpositum cum  
 Epitaphio his verbis insculpto:

Anno MDIX. obiit Venerandus Dominus  
 Joannes Taferner Præpositus hujus Monasterii  
 in die Vincentii Martyris cujus anima  
 requiescat in pace!

### Udalricus II. Welsch, Præpositus XXVII.

Mortuo Tafernero, omnium votis petitus, ac in Præpositum Canonicè electus fuit Udalricus Welsch, gratulantibus confratribus sibi tam benignum Præfulem, & plaudentibus subditis gratiosum Dominum, nam omnibus, teste Chronico, non exigua spes & prudentiæ, & humanitatis de jure concepta fuit, ut nihil in ejus munere posset desiderari, sed omnibus numeris perfecta, quibusque fuerit probatissima, ac optimo Præfule Tafernero perquam grata, nec rarò coram aliis deprædicata. Ast ô fallaces hominum spes! brevi enim in virum alterum, & deteriorem illicò mutatus secundum commune: *honores mutant mores*. Qui antea demissus & placitus fuerat, nunc veluti non Canonicis, sed sibi ipsi Prælaturam gereret, omnia pro voluntate sua, & assentatorum arbitrio agebat. Vergebat hoc modo in interitum res familiaris, quæ paulò antè per Præfule defuncti industriam restituta perpulchrè reslorescere ceperat. Congestam ab Antecessore haud spernendam pecuniæ summam, pro extruendo novo Collegio, hic decoxit, & nova insuper debita contraxit. Complures lapidum cumulos, ligna pro futuro ædificio comportata prorsus divendit. Vacillantem disciplinam Canonicam utcunque sustentabat Dominus Joannes Milecker Decanus vir ætate gravis, ingenio simplex, vita moribusque pius, integer, scelerisque purus: hic rei domesticæ consulturus, non intermisit aberrantem Præfulem tam suo quàm communi Capituli nomine admonere, rogareque, ut ad frugem rediret, labescentem Collegii statum, dum facultas adhuc suppeteret, relevaret, & malè captis desisteret. At tantum profecit suis adhortationibus, ut Welschius de industria in omnibus Conventui contraireret, deteriora committeret, eaque institueret, quæ aliàs non egisset, quæque Decano, & Capitulo suo magis displicitura credidisset, sicut patuit in sequenti factò. Casparus à Porta Euraspurgi Dominus fossam per fundos nostros ducere jam pridem cupiebat, qua aquam è Leufaco ad usum molendini eductam derivaret, rursusque in flumen per alium ductum dirigeret: at, quia id sine evidenti damno nostrorum agrorum & subditorum permitti non poterat, idè nec ab Alchingero, nec à Tafernero ullo modo obtinere valuit, usque dum ad Welschium auctoritas administrationis devolvebatur. Hic præter consilium, & voluntatem Decani, & reliquorum ex Capitulo, ad quos spectabat, propria auctoritate, & beneplacito fossam etiam navigabilem in fundo nostro cum publico subditorum detrimento fieri consensit & indulgit. Multa alia etiam in communem jacturam redundantia privato egit consilio. Ob tanta demerita procul dubio Prælatura fuisset motus, nisi è Numinis vindicta hisce malis tempestiva mors occurrisset, quæ Udalricum in medio cursu pessimæ administrationis ætate nondum quadragenarium è vivis abripuit anno 1515. 15. Maji. Unum benefecit initio suæ Prælaturæ, quod Prædium Oberlechen ad Collegium emerit an. 1510.

### Joannes III. Mileker Præpositus XXVIII.

Canonicæ Electionis jure successit R. D. Joannes Mileker Mildorfio ad Oenum inferioris Bojarie oriundus, qui Decanatu prius singulari cum laude functus est, annis quidem aliquantò provectior, utpote jam sexagenario major; gratiæ tamen & naturæ dotibus sicut cæteros omnes præcessit, ita in Oeconomia nulli posterior fuit. Is licet ob suas virtutes jam pridem Præpositi dignitate fuisset dignus, dignissimus tamen modò extitit, qui ad sublimiores promoveretur honores, ut ei recompensarentur injuriæ, quas bonæ adhortationes à perverso Prælato eidem conciliaverant. Senilibus susceptam humeris Canonicam mox restaurare pristinoque decori restituere laboravit, reverà pius, humilis, castus, & sobrius fuit Pater, ab incunte ætate pacis, & fraternæ charitatis Amator præcipuus, in omni vita sua simplex & apertus, in affectibus refrænandis nihil sibi indulgens, recti, verique studiosus. Canonicæ bona ampliavit, statumque Regularem non modicò erexit. Tantum gratiæ promeritus est apud Serenissimum Ducem Guilielmum, ut eum una & altera vice post venationem in vicinis principalibus sylvis Beyrbergæ divertentem pernoctantemque hospitio exceperit. Dum omnibus Spiritualibus, & æconomicis incrementis plurimum intendebat piissimus Præful, invalescente ejus ægritudine ultima SS. Sacramentis munitus fatali paruit necessitati in profesto Sancti Narcissi Episcopi, virtutibus, meritis, & senio gravis anno 1527. demortui corpus post funebria justè persoluta sepulchro Castuli Kall Præpositi illatum fuit, quod erat ante aram Salutiferæ Crucis  
 in

in medio templi supra Chorum. Cujus memoriam hujusmodi Elogio Epitaphii instar in tabella parietis lateri appensa insigniri jussit Leonardus illius successor, quod placet hic notare.

Spectatæ vitæ & Religionis  
 Joanni Milekero Müldorphio,  
 Canonicali Sacerdoti,  
 Venerabili Decano,  
 Reverendo Prælato  
 Beulburgenfi, seni optimo, & pientissimo,  
 ac Patri benè meritissimo  
 Conventus Canoniorum Beulburgenfium  
 gratitudinis ergò fieri curabat.  
 Obiit à fervata humanitate  
 supra sesqui millesimum  
 vigesimo septimo anno  
 In profesto S. Narcissi Episcopi.

Ejus curâ, & vigilantia inferius Hoffstett Collegio nostro adnatum est anno 1521. item alterum prædiolum in Bolzwang anno priori, de quibus videre est Litteras in Archiv.

### Leonardus Mochinger Præpositus XXIX.

ANNO 1527. vigesimo die Mensis Novembris in liberum compromissum omnes & singuli Electores Canonici consenserunt, atque in Compromissarios elegerunt Christophorum Tangler Decretorum Doctorem in spiritualibus Vicarium Generalem Frisingensem, D. Joannem Vendt Pollingenfem, & Dominum Joannem Duzinger Bernriedenfem Præpositos. Hi Compromisso à singulis accepto D. Leonardum Mochinger Landtspergentem Decanatu apud Dieffenses annis sex & dimidio singulari cum testificatione laudis perfunctum, Beyrbergenfem Præpositum legitime & Canonicè elegerunt, sicut optabat serenissimus Dux Guiliemus. Postulationem hanc ratihabuit Reverendissimus & serenissimus D.D. Philippus Episcopus Frisingensis undecima die Mensis Decembris eodem anno. Leonardus igitur ut vigilantissimi Præfulis partes adimpleret Regularem Disciplinam ante omnia promovere studuit, mox animum adjecit altero Prælaturæ suæ anno 1528. reedificando Collegio. Hinc 400. ingentis molis truncos ædificiis idoneos à stirpe refecari curavit, lateres quoque & lapides comparavit, Prælaturam inprimis ea parte, qua Ecclesiam attingit extruxit, & ita demum universa totius Collegii ædificia in eam formam ædificata redegit, quam etiamnum retinet. Templum etiam in augustiorem formam restituit, ac ingenti porticu concameravit, altaria nova erexit, parietes incrustationibus gypsòque perpolivit, Bibliothecam etiam extruxit, in villa nostra pleraque ædificavit, granaria superimposuit, atque omnia ferè tecta alia refarcivit. Vivaria duo in Tegerndorf & Hoffstött perpurgata altiori aggere non parvis sumptibus munivit. Ad vineam in Schlemau repastinandam, reparandamque magnam pecuniæ summam expendit. Interea dum erigendæ Canonice totus incumbit vigilantissimus Præful, tantæ authoritatis & æstimationis Principibus, & Magnatibus esse cepit, ut serenissimi Ducis operâ approbante Reverendissimo, & serenissimo D. D. Henrico Frisingensi Administratore insignis Ecclesie Understorfensis Administrationem suscipere coactus fuerit, dum unanimi consensu Regulare Capitulum solenni Postulatione eum expetierunt, prout Literæ tam Postulationis hujus, quam Authoritate ordinaria factæ Confirmationis anno 1544. satis, superque testantur. Eam provinciam maxima cum laude, & omnium gratulatione per aliquot annos gessit, ac juxta regimen hujus Beyrbergenfis Canonice optimè instituit, nec sine maximis tum spiritualibus tum temporalibus explevit. Ut integram Præfulis laudem, & gesta in compendio referamus, audiatur laudatissimus Præful Paulus Steinherr, qui in Chronico suo sequens Encomium concinnavit, minimè silentio obtegendum, Leonardum nempe non solum disciplinæ Regularis Restauratorem magnificum, atque conservandæ ejusdem Zelotem eximium extitisse, sed & in utraque sparta spirituali scilicet & domestica seu æconomica mirabilem præfulfisse, prout varii, iique difficillimi casus, quos imperterrito, & invicto animo subiit, ad oculum sanè demonstrant. Scribere fermè formido, & erubescò; Collegium, quod ingressus est, aded corruptum, putridum, & ruinosum erat, ut vix aliquis locus ab imbris tutus, decedentes namque pluvie Fratres è Choro, Hospites à conclavibus, & mensis abegerant; id postea splendidum, tectum, firmum totum reddidit, ampliavit, dilatavit. Ingentes profus sumptus in structuras totius Collegii, in Ecclesie ornatus sacros fecit; considerabiles

planè summas Principibus Bavariae in exactionibus tum ordinariis, tum extraordinariis expendit; non solum creditoribus sorte reddita annuos abolevit census, oppignorata redemit, sed etiam debita ex integro persolvit. Si perpendantur alius reliquae impensae pro extruendo Ingolstadiensi Convictu, conservandoque ibidem studiosis Religiosis domicilio, pro annuo necessario ad suorum sustentationem, & extraneorum hospitalitatem vino, pro aquae ductibus per canales terrae suffossos & monte proximo adducendis, pro reparandis vivariis, pro erigendis officinis, coquendis lateribus, sustentandis operariis & domestico famulatio &c. miram profectò industriam Praesulis ultra annuos Collegii hujus redditus extensam perspiciet, qui istos tunc valde tenues sciverit. At haec angusta nimis Augusto nostro, qui rem Beyrbergensem tot de novo coemptis curiis, praediis, villis, aedibus, fundis, elocatis pecuniis quoque adaugere studuit; horum brevem Catalogum affigere operae pretium visum est.

1. Bartenkirchii Comitatus Wertenfelsensis Frisingensis ditionis ad alpes in superiori Bavaria siti paratas pecunias 1160. florenos locavit, ut annuam ferrent pensionem.
2. Ibidem Hospitium cum attinentiis, & uno benè patente, ac fertili prato coëmit, hoc jure vitalitio etiamnum possidet familia Fux.
3. Geltingae Praefecturae Wolfertshufanae partem curiae nobis nunc Lechen) ac aliam ibi domum Collegio proprias fecit, certo dato pretio. Rursus
4. Domum cum fundis in Hoffstött.
5. Prope Collegium domum rusticam.
6. Machtelfingae praefecturae Weilheimensis domum praedialem;
7. Geroltsriedensem curiam cum fundis omnibus illi annexis praefecturae Wolfertshufanae.
8. Curiam Graswinckel Praefecturae Tölzenensis.
9. Alteram curiam Pichel ibidem.
10. Domum cerevisiarum in oppido Wolfertshufano sitam.
11. Cauponam praeclearam in Mayfach cum suis attinentiis, fundis, ac juribus, inter quae jus pistorium domui annexum reperitur.
12. Duas huebas in Attenkam, quarum una est feudalis.
13. Praedium in Puchsee.
14. Curiam amplam in Hohenleuthen.
15. Praedium in Mamendorff Praefecturae Dachaviensis.
16. Praedium in Aich Praefecturae Landspergensis.
17. Praedium in Holzkirchen Praefecturae Starnbergensis.
18. Widenhausen Praefecturae Dachaviensis.

Atque praediorum, curiarum, domorum, & fundorum recensitorum pretium secundum mediam aestimationem ultra viginti millia florenorum facile excurrit. Alia duo supersunt de hoc praeclearissimo Praesule nequaquam reticenda; unum est, quod à Reverendo D. Abbate Matthia Monasterii Benedicto-Burani lis mota esset, cujus juris esset Parochia Holzhusana ad umbilicum Lacus Würmacensis sita, Reverendissimus Dominus Leonardus viâ juris sub Ordinario Domino Frisingensi hinc inde acriter agitata, palmam tulerit, causa pro Collegio Beyrbergensi definitivè decisa. A quo tempore litibus compositis inter utrumque vicina amicitia, & amica charitas hucusque vigit, vigitque.

Alterum est, quod exorto inter communitatem Geltingensem ex una, & subditos nostros inferioris Hernhausen, ex altera parte, coram praefecto Wolfertshufano in causa pasuorum litigio, post latam in prima, ut ajunt, instantia favorabilem pro Geltingensibus sententiam, facta à Leonardo appellatione jus, pasuendi justae possessionis subditis nostris adjudicatum sit, retracta Praefecti, & Judicis Wolfertshufani decisione. Utriusque praeclearae victoriae aliorumque gestorum integri Actus nobis ad manus sunt. Unius pro coronide omni exceptione majoris, videlicet Reverendissimi Domini Martini Curtii dignissimi Successoris testimonium appono, pia verba formalia tanti testis adducens. *Quilibet, ait is, mentis compos facile conjecerit, quanta diligentiae, & circumspectionis non satis laudandus D. Leonardus tam in temporalibus bonis procurandis, quam in divinis ordinandis fuerit, ut proin Successores ejus in ipso imitando uberrimè habeant, quod agant. Fateor ego ipse quantumvis admittar omnem tam in sacra, quam profana republica movere lapidem, viro isti comparabilem me efficere quidpiam posse diffido.* Haec ille. Cum autem ultra triginta quinque annos, & dimidium regulare regimen religiosissimè traduxisset suum piissimus Praesul; atque septuagesimum septimum jam ageret annum, variis confectus laboribus, veneranda canitie gravis, meritisque onustus ad aeternam requiem, ad caelestia praemia, ad promissam gloriam evolavit 7. Julii anno 1563. Corporis demortui exuviae locum sepulturae meritisimum obtinere

nuère in Ecclesia Collegiata, quam præcipuè hinc inde reparavit, ampliavit, tam fedulo curavit, tam sanctè ornavit, tam præclarè dotavit; ut alterum quasi Fundatorem Leonardum Mochingum appellare nostrum non erubescamus. Super tumulum dignissimi, præstantissimi, & de Collegio nostro meritissimi Præfulis celebris illius ævi Laureatus Poëta Casparus Bruschius subjectum inscripsit Epitaphium:

Conditus hinc Otto est, Eberhardus, & inclytus Heros  
 Auctoris frater Conradus stirpe vetusta  
 Irgensi geniti, celebres virtute Barones,  
 Qui Fundatores istius nobilis ædis  
 Dicuntur, Patrèsque pii, facilèsque fuisse.  
 Hanc Leonardus ego Mochingus ubique refeci,  
 Atque illustravi, structuris pluribus, amplam  
 Effecique magis, magis atque habitantibus aptam.  
 Tu mihi (quisquis ades) bona fata precare Viator.

Aliud porro Carmen in egregias laudes Præfulis nostri ab Anonymo quodam ex Nostri decantatum, Historiæ nostræ hinc inferendum appono:

MOCHINGUS jacet hinc; fuerit quis? quærere cessã;  
 Beyrbergæ Præful, gloria, forma, decus.  
 Relligionis honos, sanctæ virtutis imago,  
 Principibus charus, nobilibusque fuit.  
 Udenfis Rector, Beyrbergæ Conditor alter,  
 Charus, præclarus, Præful ubique pius.  
 Gratia, vis animi, candor fuit unus in omnes:  
 Hinc facillè Fratres flexit amore suos.  
 Quis Leonarde, stupet, si sacras extruis ædes?  
 Qui plùs exemplis ædificare soles.  
 Jam meritas referent laudes per sæcla nepotes:  
 Sic pia MOCHINGI fama perennis erit.  
 Nos illi tumulum hunc; ipse immortalia gestis,  
 Et Saxis posuit nam monumenta sibi.

Multa quidem scripsit Geboldus in Annot. ad Hund. in vita hujus Præfulis Leonardi de statu nostri Collegii, ast quia pleraque falsa, & contra authentica reperta instrumenta militant, fufius cit. Auctorem in moderna Chronica nostra satis superque refutatam hinc transimus, cum aliàs constet, eum plura ex variis schedulis aliqua decerpisse, non perpendendo, an corrasa, & narrata fuerint vera, rationique historicæ, aliisque documentis occultis consentanea, sicut ad oculum ostendemus cuilibet, cui nos adire placuerit.

### Martinus I. Curtius Præpositus XXX

REverendissimo Domino Leonardo è vivis sublato 11. Augusti Canonicè electus Prælaturæ dignitatem obtinuit Venerandissimus, ac Religiosissimus Dom. Martinus Curtius de Riegsee oriundus Decanus longè dignissimus, meritissimus planè Antecessore Patre genuinus Filius. Electioni aderant D. Michael Wagner SS. Theologiæ Doctor Frising. Cath. Ecclesiæ Canonicus, Reverendissimi & Illustrissimi D. D. Mauritii Episcopi Frisingensis Commissarius, & præsidens, nec non D. Ludovicus Monasterii Benedicto-Burani Abbas, & D. Franciscus Præpositus Collegiatae Ecclesiæ in Bernriedt unacum deputatis Ducalibus Ministris. Electus Præful experientiam rerum agendarum & dexteritatem suspiciendam mox dedit, ea enim præfulsit laude, ut ex Successoribus hucusque secundum non habuerit: dignus quippe respiciebatur à Provinciæ Bavariæ Ordinibus, ut inter Deputatos (sic nominantur) Statuum Provincialium locum, & munus obtinuerit. Ad ardua ab Alberto Principe negotia adhibitus, demandatam sibi provinciam strenuè, & summa cum laude obivit. Agebatur jam tunc magna animorum contentione de jurisdictione Ecclesiastica & immunitate Cleri, quam Serenissimus Dux Albertus ad se pertinere contendebat, reluctans vel maximè Reverendissimis Episcopis per ditiones Boicas locorum Ordinariis. De litigii hujus compositione sudarunt Ducalia Concilia, Ordinum Provincialium Senatus, laborarunt haud minoribus impensis Episcopalia Consistoria tum Romæ coram summis Pontificibus, tum coram Nunciis Apostolicis in Germaniam ablegatis. Quo in negotio tum temporis jam variè applicatus Martinus, suam etiam operam cum aliis Præfulibus Provincialibus adèd dexterè contulerat, ut postea

Tom. III. *Cann. Regg. Origines.*

B b b

sub

sub publicis Comitibus, & Episcopalibus Legationibus lis tota amicabili finita fuerit compositione. Varias structuras nondum ad ultimum finem deductas reliquit D. Leonardus, quas Martinus penitus absolvit. Inter illa turris majoris Basilicæ primum sibi locum vendicat; cum enim ab irato cælo anno 1560. fulmine petita fuisset, eam Leonardus copioso lapide magnis impensis ex ipso fundo super planum eduxit, successor verò Martinus contignationibus sublimem Campanili texit. Inferiorem quadratum ambitum à Leonardo fornice firmo concameratum ipse coloribus per totum vivis, figuris è sacra Historia decerptis, per omnes parietes variè depictis ac subiectis Carminibus exornavit, fenestris quoque pellucidis illuminavit, ac pavimento lapideo complanavit. Domum Monacensem ad habitationem commodissimam, qui negotiorum causa Monachium venirent, Suis comparavit, ac ad meliorem usum apparavit. Prædia haud levi pretio coëmit. imo præclaram curiam Staltach Parochiæ Ifidorffensis 2do Decimas quasdam in Icking, & Wallstatt. Duas quoque domos in Geltingen & ad S. Henricum emit, varios etiam permutationum contractus ad utilitatem nostri Collegii cum vicinis iniit, de quibus extant Literæ. Post hæc præclare gesta, dum longè majora meditabatur, in morbum, præcordia afficientem, incidit, quare SS. Sacramentis munitus, defixis oculis in Christi Crucifixi imaginem, quam manibus mortualibus adhuc tenebat, piissimam animam inter singultus, & lacrymas precésque suorum Confratrum DEO reddidit anno Æræ Christianæ 1582. Decimo Mensis Julii, cum nondum 19. annos in suo Regimine exegisset. Funus dignissimi Præfulis hujus majori apparatu in Ecclesia Collegiata curatum est, & decantatis Exequiis, ibidem sepulchralem requiem accepit. Inveniuntur etiam inter alia scripta de Reverendissimo D. Martino Curtio versus quidam ejus Cenotaphio affixi, quos antiquam illius temporis poësin sapientes, hic placet apponere.

Hic jacet Antistes; non quære ad funera testes;  
 Nam testatur humus: quod fuit ille, fumus.  
 In Prælaturâ vixit satis, & sibi durâ,  
 Præfule digna egit: nunc caput urna tegit,  
 Martinus Nomen fuit illi *KURZIUS* omen:  
 Mundi quippe levis gloria, vita brevis.  
 Sic mors germanis, sacris luditque profanis;  
 Dic: ubi tutus eris, si mala fata geris?  
 Qui fuerat Præsul, nunc ecce vagatur ut exul.  
 Sors Patri est Patriæ mors comes una viæ.  
 Digna Cedro, lauro, quæ gessit, habentur & auro,  
 Plus tulit, ampla egit, qui videt, ista legit.  
 Huic monumenta damus, funus lacrymisque rigamus:  
 Dant laudem Proceres, da pia thura, preces.

*Requiescat † in pace!*

**A**Lia adhuc referenda veniunt, quæ, cum ad eximiam, planèque specialem laudem Reverendissimi Præfulis Martini sint, nostrumque Collegium de Regulari disciplina, morum probitate, & ingenti fama apud Principes planè commendârunt, reticenda esse idèd nullatenus existimo, quia alibi malè gestorum veritatem aperui. Inprimis Martino optimè regnante è Collegio nostro Casparus Schray-Vogl postulatus Administrator, postea à serenissimo & Reverendissimo D. D. Ernesto Episcopo Frisingensi confirmatus Prælatus extitit Canonice Dietranizellensis. Rursus ad literas petitorias serenissimi Ducis Alberti Joannes Stökl Dieffensibus Canonice per multos annos Decanus constitutus, id munus laudabilissimè rexit. Similiter jussu serenissimi Ducis Alberti ad preces Præpositi Canonice Regularium ad sanctum Magnum ultra pontem Ratisbonæ ex Canonice nostris unus pro Decano constituendo illuc ablegatus est. Nec minus in vicinum Cænobium Schlechdorfense Charitatis nostræ dimanavit, cum & huic ad instantiam serenissimi Ducis Wilhelmi ad quævis officia spiritualia, & œconomica idoneus Sacerdos Canonicus à Martino in subsidium missus fuerit. Constat insuper ex publicis literis adèd Pastoralem curam Martinum, suosque Canonicos tunc impendisse, ut ex commissis sibi oviculis *ne una quidem hæretica pravitate infecta, sed potiùs erga Catholicam Religionem, & sanctissima Sacramenta omnes unanimiter fuere affecta, talésque gesserint animos, cujusmodi Ecclesia Romana Mater omnium fidelissima requirebat*, prout fusiùs continent literæ. Extat etiam in egregias Martini laudes funebris Oratio, in qua Præfulem summè à virtutibus commendat Orator. Tandem sequens Chronologicum Viri laudes comprehendit.

ZELATORI, PROPAGATORI  
RELIGIONIS CANONICÆ,  
VIRTUTE, PRVDENTIA, DIGNITATE CONSPICVO,  
PATRIÆ PATRI, ANTISTITI SVO  
BEVRBERÆ EREXERVNT POSTERI,  
ITAVIVIT IN FVNERE SAPIENS.

Georgius Scriba Præpositus XXXI.

Martino Curtio laudabilissimâ vitâ functo pastoralis Regiminis Sarcinæ humeros subiecit Georgius Scriba, qui anno redempti hominis 1582. die Martis post festum Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ fuit 21. mensis Augusti, communi Canonorum Calculo, ac voto in Antistitem fuerat electus. Humiliquidem loco natus, in pago Vischn ad Ambronem lacum sito, Rustica habuit cunabula; at puerum ipsa natura magis planè dotibus ad magna genitum prodidit. A tenera quippe ætate Musis locavit operam præclara ingenii indoles, quæ magis enituit in juvene, dum mira capacitas, discendi ardor, & industria in eadem sede morabantur. Dignum se ea propter reddidit, ut à Reverendissimo D. Leonardo in Sacrum Contubernium fusciperetur. Expleto Tyrocinio ætate, virtute, & scientia ita increvit, ut susceptis sacris Ordinibus, litata prima DEO hostia, mox Parochi Beyrbergensis munus subire coactus sit, quod aliquamdiu facundus aded Ecclesiastes pius juxta, ac indefessus animarum Curator exercuit, donec factis sublato R. D. Petro Decano, in hujus locum ac honorem unanimi consensu fuerit subrogatus. Demandatam sibi provinciam integro decennio cum plausu, & ita gessit strenuè, ut mortuo Martino Præfule dubium relinqueretur nullum, quin Georgius Scriba brevè scribendus foret successor. Tantam dignitatem rara viri virtus promeruit, nam sicut in rebus agendis sagacitate, in œconomicis experientia, & solertia, in attentatis successus prosperitate, ita in spiritualibus & divinis nulli Prædecessorum cessit. Hinc audiit in pauperes effusus Pater, in exorando DEO assiduus, in transgressores vindex metuendus, sibi met Cato rigidus & severus. Religiosæ perfectionis in dies majoris indispicendæ sectator indefessus, pro cuius studio quotidiana secum instituit examina, eaque à suis Canonicis pari fervore fieri voluit. Quàm studiosus divini cultûs Amplificator fuerit, luculentissima testantur monumenta. In atrio, seu vestibulo Collegii effulget sacellum S. Crucis è fundo opere lateritio extructum. Id ipsum loquitur templum ad divum Henricum Eremicolam sanctissimæ Mariæ Virgini dolorosæ sacrum, in fronte Lacûs Wurmacensis positum, quod sumptibus non modicis instauravit, instauratum excoluit, excultum spectabile, & celebre accolis, & peregrinis reddidit. Fatebantur id pariter in Collegiata Ecclesia trina Altaria sanctæ Crucis, divo Sebastiano, Deiparæque sacrata, sicut ipsa quoque sacra supellex ex auro, argento & serico confecta, in vestimentis, imaginibus, vasis pretiosa. Organum noviter erectum Præfulis sui laudem non reticet. Pocula, calices, & alia utensilia inscripto Georgii nomine suum edocent Principem, imò calamus inter duos asteriscos medium gentilitii sui Sigilli occupans, egregia facinora posteritati prodit. Ob tantas virtutes, & res præclare gestas, iteratis vicibus ad Infulam celeberrimæ Collegiatae Ecclesiæ Rhorensis Diæceseos Ratisbonensis à Canonicis Regularibus ibidem fuit evocatus, ac in Præpositum solenniter postulatus. Parere autem identidem recusavit, veluti suo de se humili sensu indignus, duplicique Dignitati, ac distitis aded Provinciis administrandis impar. Nec adduci potuit ullis precibus, ut prioris Sponsæ suæ tenuitate rejecta, ditiores quæreret. Verùm magnos adhibuit conatus, ut non solum ab Antecessore suo relictas pecunias benè custodiret, sed & augetet, nec nisi in maximam ac evidentem utilitatem Collegii expenderet. Aded tenax fuit acquisitis opibus retinendis, magisque accumulandis, quantum alii non nunquam profusi, justoque liberaliores extitere dissipandis. In uno hoc pusillanimis parvusque extitit, magnus cæteroquin Præful, quod Castrum Euraspergensè, quod venale 40000. florenorum Bojcorum tunc prostabat, non compararit, cum tamen medium pretium, velut æs otiosum, in arca custodierit, quo uno lites omnes fuissent abscissæ, quas ferè continuas, & non raro fatales sustinere coactum est nostrum Collegium; aded bona, hæreditatem Fundatorum nostrorum totam acquirendi, occasione è manibus lapsa, à Ludovico de Porta ultimo ejus possessore Castrum Iringense Serenissimus Dux Wilhelmus pacto pretio fusesepit, quod postea anno 1616. Christophoro Udalrico ab Elsenhaimb in nobile feudum, ob insignia ejus in Domum Bojcam merita, concessum est. Tandem verò antiquam Castrum certa summa soluta proprium sibi fecerat Serenissimus Princeps anno Christi 1626. qui pristino destructo, Principalibus planè sumptibus novum erexit, complevitque anno 1630. Ne tamen in

rebus Collegii segnis fuisse credatur, præter dicta hæc adverto. Inprimis 1585. Niderhaimium soluto pretio ad Collegium nostrum devolutum est ipsius industria, quod Feudo prius Nobilibus de Porta subditum modò liberum est. 2do quartam partem Curia in Kreit Königsdorfii. 3tio Molendinum in Milldal cum suis attinentiis. 4to agrestem domum ad S. Henricum supra nigrum rivulum. 5to hiebam in Gelting cum suis fundis comparavit. Extant etiamnum præclara monumenta hujus Præfulis, tum in Archivo, tum in Bibliotheca, quam multis Codicibus, ac impressis libris, magno etiam pretio comparatis, instruxit. Tandem cumulo virtutum merito, egregiis factis, & laudabilissima Administratione peracta insignis, cælo sanè maturus Antistes felicissimè clausit sæculum à DEO homine nato decimum quintum. Diem ultimum clausit etiam cum sæculo, dum anno Christi 1600. in festo Circumcisi Numinis 1. Januarii mortem talem, qualis vita ejus fuit, suavissimam, & pacatissimam in Domino oppetiit, seu magis, orantibus, & piè plorantibus circumfusis Confratribus piissimè obdormivit. Requiem, ac sepulturæ locum cum suis Antecessoribus in Ecclesia nactus fuit, cujus lapidi sepulchrali posteritas Religiosa Beyrbergæ sequens Epitaphium incidi fecit.

GEORGIVS SCRIBA PRÆPOSITVS  
RELLIGIONE, SCIENTIA, HONORIBVS, CORPORE  
MAGNVS,  
INSCRIPTVS PARVO SAXO  
LATET.

Calendis Januarii.

Aliud quoque Carmen post funera factum ad perpetuas laudes Reverendissimi Georgii Scribæ extat, quod, quia breve, Lectori apponitur.

Magnus hic Antistes pro Numine plurima scripsit:  
Cælestes titulos nunc sine fine legit.  
In Libro Vitæ meritis sua nomina scripsit;  
Non mireris: nam Nomine SCRIBA fuit.

### Vitus Nuzinger Præpositus XXXII.

Felicissimè conclusum est XV. post Deum hominem sæculum verè gloriosum in tribus postremis Præpositis, suam Provinciam tam bellè administrantibus; res Beyrbergæ concinnè stabant; intus cum Canonica Disciplina scientiæ, ac virtutes, foris centenis fructibus bona reflorebant temporalia. Cùm ecce! sequens infaustum exortum omine vel ideo dixeris, quod aureum amiserit Beyrberga Præfulem, & inutilem acceperit, istud enim fatum, seu fatale infortunium huic accidit Canonice, post mortem Georgii Scribæ viâ Scrutinii in festo Conversionis S. Pauli 25. Januarii 1600. Prælaturam ingressus est Vitus Nuzinger, cùm prius loci hujus fuisset Parochus. Regimen suum ita instituit, ut magnæ primitus haberetur spei, erat quippe vir comis & mansuetus, in Fratres liberalis, ex Weindorff prope Murnau mundo natus: assumpto postea habitu, & emissa Professione Canonica sub Martino Curtio, atque studiis quæ Philosophicis, quæ Theologicis octo circiter annos in florentissima Universitate Ingolstadiensis magnis Collegii nostri sumptibus enutritus, ad curam animarum adhibitus fuit. Sed altero regiminis sui anno animum mutavit, mores Antecessorum penitus exuit, sui que statûs oblitus prodigus esse cæpit, atque ob mania affectum Dignitate amotus fuit, ut malæ administrationi tempestivè occurreretur, cùm præfuisset duobus annis, & tribus mensibus. Brevi tamen tempore, quo præfuit, bona quædam præstitit non prætereunda. 1. Templum Marianum ad S. Henricum à Georgio Prædecessore restauratum exornavit aris, & inauranda summa quingentos aureos insumpsit. 2. Supellectilem mensalem argenteis poculis auxit. 3. Crucem argenteam auro obduci curavit, in qua insignis particula sancti Ligni inclusa videtur. 4. Bibliothecam frequenti codice ditavit, librorum amator, & litterarum: ex primis etenim Ingolstadiensis Convictûs Religiosis illuc studiorum gratiâ confluentibus, ex hoc Monasterio primus fuit. 5. Granarium in atrio non longè à caupona opere lateritiò è fundo erexit. 6. Curiam in Hoffam Weilhaimensis Præfecturæ emit. Vixit post exauctorationem suam 30. annos, & factâ anno 1632. Suecica irruptione in Bojariam, captoque nostro Collegio à militibus vagis comprehensus, & miserabiliter excarnificatus interiit. De cujus morte, & Martyrio plura continet Chronicon, quæ hic referre longum esset.

Joan-



## Joannes IV. Santioanser Præpositus XXXIII.

**J**oannes Santioanser Patriâ Santioans villa solitaria Parochiæ Sindlstorfensis, in Præfectura Weilhaimensi, humanioribus literis Monachii eruditus, Canonicam professus est vitam, sacerdos inunctus Parochiæ Tegerndorfensi aliquamdiu præfuit, dein die 13. Maji anno 1603. via Compromissi electus est in Præpositum; eodem mox anno à Serenissimo & Reverendissimo Archi-Episcopo Coloniensi & Frisingensi Episcopo, Ernesto Baviaræ Duce confirmatus fuit 13. Junii. Varia de Præsule isto acta, gestaque referuntur, plurimum sanè negotii frequens casus, & lis cum vicinis etiam potentibus faceſſebat, in tantum, ut diebus Præposituræ suæ variè exagitatus paucos numerârit albô lapillô dignos. Vir erat cæteroquin religione, & famâ clarus: magnus studiorum amator, hinc Canonicos Ingolstadii quinquennio in altioribus literis erudiendos curavit, villam exteriorē vetustate fatiscentem reparavit novumque horreum adjecit. Ciborium seu thecam argenteam benè magnam, in qua Eucharistia reconditur, & asservatur, argenteam insuper statuam, inauratamque S. Patris Augustini non levi pretio comparavit. Duo quoque altaria nova in Ecclesia Collegiata S. Mariæ Virgini, & Beatissimo Patri Augustino erexit, in cujus sacello ipsemet humari voluit 1615. 15. Aprilis piissimè mortuus. Quem optimè meritum de Collegio nostro Præsulem marmor sepulchrale etiamnum exhibet.

## Balthasar Schropp Præpositus XXXIV.

**M**ortuo Joanne, Præposituram iniiit via Compromissi (scrutinio in vanum tentato) die 14. Maji anno 1615. Balthasar Schropp, cui Egolſinga, pagus patriæ, Professio Canonica Beyrbergæ, literarum studium Ingolstadii, Curionis conditio Minsingæ fuit, antequam in Præpositum eligeretur, quem egit quadriennio. Fascibus exutus anno 1619. non multò post mærore, & contracto ex immoderata vita morbo, obiit anno 1623. 22. Aprilis. Unum cedro dignum post se reliquit suæ præſidentiae vestigium, Refectorium scilicet hujus Cænobii non mediocri sumptu, nec minori artificio adornatum introeuntibus raro, & jucundo spectaculo ob luminis copiam, conclavis splendorem, artis sculpturæ enitentis elegantiam.

## Eberhardus III. Mayr Præpositus XXXV.

**B**althasari vices via Inspirationis divinæ, seu communi Canonicorum calculo fortitus Eberhardus Mayr 16. Novembris anno 1619. prius laudatissimus Decanus. Erat is ex pago Bâyl Nobilium de Berndorf sede oriundus, emissa Professione Canonica, & post egregia literarum studia susceptis S. Ordinibus ob eximias virtutes brevi Decanatus officio præesse jussus est, quod etiam triennii spatio tanta moderatione, & virtutum testificatione laudabilissimè gessit, ut in dignitate sublimiori collocari sit meritus, cum nondum 29. annum ætatis exegisset. Vir planè ad magna natus, Religiosissimus, & rei familiaris studiosissimus, cujus ampliandæ semper in vigiliis fuit, votisque: verum iis involutus erat temporibus, quibus potior cura conservandi acquisita, quam accumulandi nova œconomum urgebat. Singularia præstitit; primò post biennium inſiti Magistratûs æs alienum forte reddita redemit. 2. E monte vicino versus occasum situato è tribus scatebris per tubos ligneos terræ suffosſos in diversa Collegii loca summo commodo aquam deduxit, ut ampliori vena proflueret. 3. Magno bono sat amplum cis Loyſam spatium eradicatis radicibus, excisis fruticibus, complanatis iniquitatibus, ductisque circum circa profundis fossis navale fecit, sepimento secretum, & conclusum prope collem, cui ab ovi similitudine nomen. 4. Villam propinquiorem ruinofam solo æquavit, novamque extruxit opere lateritio. 5. Duo vivaria in Krembs & Berg effodi, & aggerare cingi fecit. 6. Prædium in Seshaubten emptione Collegio adjecit; cum Serenissimo Principe Alberto Duce Baviaræ, bannum ferinum bona utilitate ad certum tempus permutavit, sicut etiam ea via pro Prædiis Beyrlach, & Buechſee tres villas in Villenspuech acquisivit, cujus utriusque permutationis instrumenta publica extant. Summum templum per V. sæcula à primæva foundatione vetustum, & more pristino obscurum, venustum, Regulare & pellucidum reddere non modicis expensis voluit, tectoria parietibus, & basibus subtractis effictis undequaque varii generis figuris, & ideis affabre induxit. At dum plus justo substructiones truncarentur, columnæ nimis crassæ præſcinderentur, anguli obscuro, luminis inducendi majoris gratiâ, removerentur, ut templum veluti novum, & absolutissimum renitere videretur, ecce! nocte intempeſta, Canonicis è matutinis laudibus jam egressis, tota moles concidit, summo duntaxat Altari illæso, & incolu-

mi sub dio ultra tectum prominenti, Reverendissimo Domino Eberhardo interea sumptus, operariis sudorem, opificibus industriam suam in vanum deplorantibus. Contigit hæc ruina idibus Novembris anno 1628. Resumptis denuò animis, ad novam structuram necessarius congeritur apparatus, urgetur opus in tantum, ut, cum nulli parceretur sumptui, nulli arti ac industriæ, Basilica nova, veluti Phænix è suo cinere renata fuerit. Tanti Coronidem ædificii imposuit ann. 1630. Dum Ecclesia Collegialis erigitur, en! nescio quo fato Parochialis in Tegerndorff corruit, ut palma in restaurandis divinis ædibus industriæ maneret Præfulis Eberhardi, qui illud templum S. Michaëli dicatum, è fundo splendidius exædificavit. Solennissima verò Dedicatio diutius dilata (furore Martis eam retardante) tandem ab ipso Reverendissimo & Celsissimo D. D. Vito Adamo Episcopo & S. R. I. Principe Frisingensi anno 1635. 4. Augusti celebrata fuit. Facta anno 1632. in Boariam calamitosa Sueci irruptio, qua una ingressa est penates nostros exundans omnium ærumnarum copia, ipsissima mortis imago, Canonicos omnes dispersit, ipsum Dominum Eberhardum cum Cœnobii ministris ædibus exesse, per sylvarum latebras errare, vitamque difficulter tueri oportuit, relictis deprædationi, vastationique tam nostris, quam subditorum bonis favientis Bellonæ furiis. At milite vix, relicta ingenti clade digresso, incolis accolisque ad lares proprios remeantibus, è vestigio secuta est epidemialis lues, quæ identidem Patrem cum filiis domo propulit, cumque Reverendissimus Eberhardus Charybdim vitare voluisset, fugiendo ad Lacum Lupinum cum suis Canonicis, incidit ipse in Scyllam: nam ibidem anno 1634. 9. Octobris, venâ prius sectâ, postliminio pharmaco sumpto, è vivis ad plures abiit, incertum an morbo, dolore potius, quam mænore aliunde suborto enectus ætatis suæ 44. Plura iniqua, quam æqua Præposituræ suæ tempore expertus est, quam 15. annis laudabilissimè rexit. Cadaver meritissimi Præfulis in Ecclesia majori, quam adeò splendide ac sumptuosè exstruxerat, sepulturæ mandatum est, cui aliquo temporis intervallo Reverendissimus Paulus, cum Historiam nostram prosequeretur, sequens Epitaphium Chronologicum adscripsit:

Pendentes agimus vitas in littore mortis,  
 Tam prope mors vitæ, quam prope margo mari est.  
 Est commune mori cunctorum, sicut oriri:  
 Calce retro juvenes, mors ferit ante fenes.  
 Nusquam mortis ab insidiis Eberharde, nec unquam  
 rVtVs es, cXCVblas tV tibi pone DoMI.

### Simon Bauhofer Præpositus XXXVI.

**M**ense Octobri, elatò Reverendissimò Eberhardò, sequenti ocyùs anno 15. Jan. 1635. Prædecessoris locum obtinuit Canonice electionis jure Simon Bauhofer, tunc Curio Minsinganus. Hic Hechendorffii, non procul à Murnau natus, à puero litteris Musica, & moribus hic institutus, habitum S. Ordinis indutus, exacto Tyrociniò etiam professus est. Ingolstadium exinde missus datâ aliquantisper, sexennio circiter, studiis sublimioribus operâ, domum revocatus, Presbyterio initiatus est, vir ad omnia natus, prudentia, eruditione, Religione eximius per omnia munia, tanquam succedaneos gradus, ad ipsum usque Præposituræ fastigium evolavit; domi prius Oeconomus in paucis solers, & accuratus, Decanus dein Religiosæ observantiæ tenax, & discretus, Minsingensis tandem Parochus, difficillimis temporibus vigilans, & indefessus, dignus idcirco, qui ad clavum in tanta necessitate Collegii nostri Martis, & Mortis injuriis fatiscantis promoveretur. Quantæ fuerit in spiritualibus observantiæ, exinde patet, quòd in matutinis vigiliis ferè quotidianus, exercitiis spiritualibus, & orationi tum in templo, tum alibi adeò frequens, ardens, & compositus vacaverit, ut suos sibi incognitos observatores in stuporem rapuerit, imò confuderit veluti non imitandus. Hinc studium amplificandi cultûs divini, stimulus procurandæ, & promovendæ proximi salutis, implantandæ Archifraternitatis S. S. Rosarii, Psalterii perpetui, variarum obtinendarum à Sede Apostolica indulgentiarum, aliorumque ad salvandas animas sacrorum subsidiorum. Ex eodem fonte scaturiit amor in subditos, cura paterna in Con-Canonicos, quibus in necessariis nunquam defuit, juxta Regulam timore, & amore præpotens, tam sibi austerus & rigidus extitit, quam aliis benignus, in cibo porro, potuque tantæ erat temperantiæ, ut omnibus admirationi esset, otiositatis cæteroquin tam in se, quam aliis hostis plusquam Vatinianus: in juribus Ecclesiæ sibi commissæ tutandis contra invasores murus aheneus, boni rectique tenax, verbo: ut scribit Reverendissimus Præful, ipsissima perfecti Præfulis forma & idea. Scientiarum tantus amator, quantus eruditorum æstimator, quotquot professione habuit subditos, & filios, tot misit Anglipolim experiundi gratia, quo ex sub-  
 jecto

jecto sculpi possit Mercurius, ex quibus quidam magno Collegii nostri bono ad Philosophiæ, & Theologiæ lauream pervenerunt. Irruente postmodum Suecico milite fugit Reverendissimus Simon ad Alpes Baviaræ vicinas cum plerisque suis Canonicis; at brevi fugatis hostibus domum reversus & universali paci reddita Germania, animum convertit suum ad structuras, inprimis ad eas, quas bellicus furor extra hanc Toparchiam in variis provinciis, seu Præfecturis evertit, vastavit, vel incineravit, ut redditus annui iterum fierent integri, proventus repararentur pristini. Exteris restauratis, ad domum propriam descendit, ut ea, quæ ruinæ proxima, aut non perfecta conspexit, meliori formæ, usufque redderet. Præcipuè in recens à suo Antecessore exstructa Basilica, magnis sumptibus, duobus, uno majori, altero minori, & ad quotidianum usum organis utrumque Chorum illustravit, sedilia, aras, sculptura, picturæque præclaras cum exedra similis formæ & artis fieri fecit. Duas insignes arcas sacræ suppellectili reponendæ aptissimas, in superiori, & inferiori Choro collocavit, Paramentis, & sacris ornatibus instruxit. Ad majorem Eucharistici Numinis Hierothecam argenteam, auro gemmisque illustrem, argentea thuribula, & urceolos comparavit expensis non vulgaribus. Ecclesiam Parochialem Beyrbergæ, nec non Beatæ Virginis Minsingæ è fundo ad ipsum usque fastigium opere lateritio cum simili fornice elegantis formæ ædificavit, ibidem anno 1650. Domum curialem flammis penitus exustam, è rudibus erexit. Primariam hospitem mansionem integræ contignatione jucundissimam reddidit. Bibliothecæ locum sat amplum & pellucidum apparavit, forulisque pro reponendis libris concinnè distinxit. Hæc & alia, quæ prolixitatis vitandæ gratiâ prætereuntur, intra 18. Regiminis sui annos, tempora profecto difficillima ob geminam Sueci in Boariam immanem irruptionem, exactiones prope quotidianas, pactum cum victore milite ab incendio liberandi Collegium, solutumque Redemptionis pretium, rei domesticæ confusionem, suam suorumque fugam, & similes Casus gravissimos tentavit, egit, & consummavit, donec tandem sexagenario major die 6. Novembris anno Verbi incarnati 1653. in Domino, cui semper vixit, piissimè obdormivit. In templi majoris meditullio pro merito suo sepultus est, apposito ad tumbam hoc Chronologico.

HIC SIMON DELITET.

Aliud adhuc Carmen extat in laudem dignissimi, & vigilantissimi Præfulis, quod ei Reverendissimus Paulus, gratissimum animum testificandi gratiâ occinuit, quòd à Præfule in sacram Religionem nostram susceptus fuerit. Quod, cum paucis strophis comprehendatur, placuit apponere.

Cujus hæc captet sub urnâ  
 Umbra? Scrutaris meritò viator  
 Sic solum lustras rutilò quod ære  
 turget opimò.

Hoc latet Simon tumulo, cothurnis  
 Qui stetit sublimibus, inter omnes,  
 Qui sacrum clavum tenuère fani  
 Præful in æde.

Norma virtutum, speculùmque vitæ,  
 Singulis lucens sine labe tersum,  
 Numinis cultor, jaculansque flammæ  
 Furnus amoris.

Integræ vitæ, scelerisque puro  
 Qui monenti Relligiosus aurem  
 Præbuit, vixit Pater, & Patronus  
 Dulcis amicus.

Improbo fulmen, miseris asylum  
 Indigo nummata manus, famenti  
 Panis, infirmo Medicus, quid ultra?  
 Omnibus OMNIS. *Anagr. ex Simon.*

Sic tholi, structura frequens, vel uno  
 Ore Simonem celebrant Parentem,  
 Qui dedit nudis tegumen, novæque  
 Condidit, auxit.

Semper hinc vernos sine nube soles  
 Manibus Simonis ab axe poscis  
 Hospes, accedat tua lux perennis,  
 DICIS O LIMPO.

### Christophorus Sedelmayr Præpositus XXXVII.

**A**NNO DEI hominis 1654. 20. Januarii, Reverendissimum Simonem ad clavum secutus est Christophorus de Sechering Præfecturæ Weilhaimensis, natus, qui post Canonicum habitum assumptum, laudabiliter varia obivit munia in Collegio, dein aliquamdiu Curionem Minfanganum magno suorum Parochianorum solatio, nec minori encomio egit, usque dum via Compromissi, provectæ jam ætatis, nempe Sexagenarius assumptus esset. Vir erat venerandæ Canitie, proceræ staturæ corporis, magnæque authoritatis, at majoris virtutis. Tantam mansuetudinem, ac comitatem, & in moribus modestiam prætulit, ut ab omnibus suis Canonicis Gratosus Pater amaretur; facundus cæteroquin Ecclesiastes, suos verbo, & opere cohortatus est. Duobus præcipuè præstitis gloriosus erat Præful, imo, quod æs alienum notabile, inter breves temporis, quo præfuit, angustias, forte reddita totum redemerit. 2do quod cursum anno priore sub Prædecessore captum tum Philosophicum, tum speculativè Theologicum ad septem circiter annos sustentârît, quem Joannes Udalricus Pyrson SS. Theologiæ Doctor, hujusque Cænobii tunc temporis dignissimus Decanus, inter publicas disceptationes impressasque sapius Theses, quarum ultimæ de DEO uno & trino, Reverendissimo, & Illustrissimo Cathedrali Capitulo Frisingensi dedicatæ sunt, felicissimè absolvit. Cum autem Vigilantissimus Antistes aliquando villam exterioriorem visitandi ergo, accedere vellet, in Colle prope pontem super vivarii eluvione structum, cum lubrica nonnihil esset via, graviter prolapsus est, quem casum postea apoplexia secuta est, quæ meritissimum Præfulem altiora cogitantem die 17. Julii 1659. è vivis ad æternitatem abripuit, cum quinquennium, sex menses minùs tres dies præfuisset, in communi Cæmeterico Canonicorum, prope Ecclesiam, in inferiori ambitu sepultus: supra tumulum ejus sequens chronologicum lapis sepulchralis continet.

CHRISTOPHORVS SEDELMAYR  
 ORE, HONORE, ÆTATE PRÆSTANS  
 OBIIT.

17. Julii.

### Udalricus III. Pyrson Præpositus XXXVIII.

**R**EVERENDISSIMO Domino Christophoro, ad immortales digressio, in Magistratu successor fuit die 20. Augusti, via Compromissi Canonicè electus Reverendissimus Dominus Joannes Udalricus Pyrson Monacensis, Decanus, Archiconfraternitatis SS. Rosarii Præses, SS. Theologiæ Doctor, & Professor actualis. Hic sicut sibi, Canonice Beyrbergensi, Ordini Apostolico Canonico suis scientiis, studiis, & elucubrationibus Theoricis plurimum honoris contulit, atque decoris: ita electus Præpositus rei familiari & domesticæ, tam sacræ quàm profanæ, sua praxi ingens dedit incrementum. Etenim primo suæ Præposituræ anno, Ecclesiæ majoris turrim duabus contignationibus lateritio opere sublimavit, novum Campanile superimposuit, atque nova Campana majori oneravit præalto tecto festilibus tabularum laminis contexit. In Ecclesia binas aras, & cathedram auro vestivit, summumque altare integrè absolvit. Sacrarium paramentis holosericis ditavit. Bibliothecam pretioso apparatu variorum librorum ac voluminum locupletavit adeò, ut non solum multitudine, sed etiam Authorum celebritate, & raritate eam mirè spectabilem celebrèmq; reddiderit. Palmare autem, & principale omnibus supereminens videtur, quod exterioris atrii faciem totam immutârît: stabant enim ibi nonnullæ irregulares absque ordine structuræ, equile, officinæ, granaria: hæc singula de se ruinæ proxima, solo æquavit, & unum perpendiculariter in forma triangulari atrium stringens superinduxit, hoc ordine seu dispositione architectonica, ut fundum seu partem infimam Sibi, officinæ, mediam seu contignationem secundam, conclavia, & hospitem mansiones, supremam frumenti reconditoria amplissima vendicarent, ut in primo resideret commoditas, in medio majestas, in summo amplitudo. Primum locum Aula obtinet, quæ in medio hospitem mansionum sita, à Meridie, & Aquilone per specularia subtiliora copiosissimo admisso Lumine splendet, artificiosa excellentissimi Pictoris Caspari de Ort manu super-

superbit, inventoris ingenio, & raro acumine insolescit, quod naturam circuli, id est, mundum quadratum, curioso oculo, emuncto cerebro dilucidè exhibet. Extant insuper praeclara opera, varii industriæ ac ingenii partus in Bibliotheca nostra, quibus eam digna Posterorum memoria insigniter decoravit. Præter Cursus, Theologicum, & Philosophicum, integra adsunt volumina variarum Concionum, Exhortationum capitularium Religiosa ascesi refertarum. Variæ adhuc Orationes, tempore studiorum ab eo habitæ; Annus Marianus ad singulos menses comparatas devotiones, & cultus diversarum virtutum in Honorem Beatissimæ Virginis Mariæ continens, Ephemerides nostri Collegii, Apostolici Ordinis nostri demonstrationes, originis, habitus, Privilegiorum, & Prærogativarum deductiones, Novitiatus, solidè ac dilucidè viam perfectionis Religiosæ Novelis ostendens, aliæque Opuscula à Doctore nostro elaborata etiamnum asservantur. Caput laudis esto, quod Udalricus Præsul, cum anno 1669. à serenissimo Electore Ferdinando Maria universalis Statuum Bavaricorum indicta Monachii celebrarentur Comitia, inter specialiter Deputatos, qui intimis interessent Consilii Provincialibus, præcipuis Prælatorum Calculis electus, & cum Abbate Schyrensi præ cæteris connumeratus fuerit. Eodem anno inter subditos, & Collegium nostrum gravi exorta lite, dum ii omnes & singuli potestatem lignandi, jusque independens sibi vendicabant, Capitulum verò nostrum universim negabat, post diurnam Causæ exagitationem in Dicastrio Aulico anno 1672. 7. Martii ex definitiva sententia palmam tulit integram Reverendissimus Udalricus, qui tandem scientia virtute, honore, & meritis onustus, in ipso Festo SS. Petri & Pauli, Ecclesiæ Collegiatæ Patronorum, quorum in terris augendæ gloriæ tam strenuè laboravit, anno 1674. circa horam octavam placidissimè obdormivit.

### Paulus Stainherr Præpositus XXXIX.

Consummato insignis doctrinæ, & laudabilissimæ vitæ cursu Reverendissimum Dominum Udalricum sequenti mense 17. Julii Festo S. Alexii viâ Scrutinii Canonice in Præpositura secutus est Paulus Stainherr. Is anno 1631. Beyrbergæ mundo natus, progressu ætatis & temporis in celebri Palladis officina Monachii primis artium liberalium fundamentis admòdum fuit imbutus, tandem vocante Numine Canonicam Religionem amplexus, & peracto Tyrocinio professus est anno 1651. Mox ad altiora Philosophiæ scilicet, postea Theologiæ speculativæ studia promotus, mira ingenii felicitate adèd excelluit, ut in utraque arena nulli facile fuerit secundus. Studiis nondum absolutis anno 1656. fervens ad aram Mysta stetit. Propugnatis dein ex universa Theologia Thefibus, Zelofus in Archifraternitate SS. Rosarii B. V. M. Præses, anno verò Virginis Matris 1659. meritissimus inter Confratres electus, ac constitutus est Decanus, quo in Officio, quia priùs fuisse abunde didicit, etiam benignè præesse non ignoravit; quandoquidem Consilium S. P. Augustini secutus, magis semper amari, quàm timeri appetiit, quod etiam adeptus, dum omnia, imò se ipsum adèd voluit communem, ut inter Tyrones Magister, inter Discipulos Philosophiæ, & Theologiæ Professor, virtutis simul, ac scientiæ suæ eos participes effecerit. Demum in Præpositum electus non potestate dominante, sed charitate serviente se felicem existimabat; nam in sublimi mansit demissus, in libertate custoditus, inter sæculares Religiosus. Adèd omnibus omnia factus, Musis musicus, Palladi studiosus, Choro Canonicus, foro Regularis, subditis benignus Dominus, Confratribus Gratosus Pater, quibuscum communi habitu, & mensa contentus, nec splendidis vestibibus, nec privatis, ac lautis conviviis, nec sumptuosis itineribus paupertatem violare unquam est solitus. Quin potius eam tam rigidè observavit, ut Canonicos suos magis ultra necessitatem novis vestimentis cooperiri voluerit, ipse verò non nisi inveteratis, & fatis attritis uti non erubuit. Quantus disciplinæ Regularis fuerit amator, & sollicitus Promotor, testatur libellus spiritualis pro quotidianis Sacris Meditationibus conscriptus, quem ingenio, labore, eruditione, ac Religione plenum inter alia Præposituræ negotia collectum sub titulo *Viativi Augustiniani* prælo subiici curavit. Ut suum divini cultûs Zelum, & erga sanctos Patronos desponsatæ sibi Ecclesiæ pietatem posteris testatam faceret, argenteas statuas virili magnitudine conspicuas sanctorum Petri, & Pauli, argenteam insuper Crucifixi effigiem confici curavit. 2. Magnum argenteum calicem penitus inauratum, nec minori arte, quàm pretio elaboratum, & pictis iconibus condecoratum, quæ vitro liquato vivis coloribus sunt impressæ, singularis inventionis, ac pulchritudinis opus ex parsimonialibus sumptibus suæ Sponsæ ad aram obtulit. 3tio Integrum ornatum sericum, Casulam nempe, dalmaticas, pluviale, antipendium non levi comparavit pretio. 4to Tenerrimi in B. V. M. amoris splendidum reliquit monumentum, dum in sacello ad Lacum Vermianum S. Henrici, Collegio incorporato, tria altaria nova erexit. B. Matris dolorosæ sta-

Tomus III. *Cann. Regg. Origines.*

D d d

tuan

tuam ferica veste, ac duobus argenteis calicibus inauratis decoravit. In æconomicis tanta dexteritate erat præditus, ut in majori villa domum cum stabulis tam equorum, quàm pecorum à fundamentis opere lateritio, superiorem partem è ligno ad fastigium deduxerit. Dein amæno loco Reconditorium recens ædificavit, cujus fundamentum fat amplum, & frigidum in se continet Cellarium magna ex parte duro lapide excisum, nempe à solo Domino Stainherr inventum, ubi cum maximo commodo æstivales cerevisiæ asservantur. Vineam quoque Novalem in Tyroli prope Pollanum multis millibus florenorum emptionis contractu comparavit. Bona etiam utilitate Cœnobii villam Kematn nuncupatam, hora circiter Monachio distantem, Serenissimo Electori Maximiliano Emanueli permutavit, in cujus fundis ob amantatem loci jam pridem à Serenissimo Electore Ferdinando Maria Palatium ædificatum est, nunc verò à Serenissimo Maximiliano Regiis planè ædificiis, & structuris auctum, raris & variis hortis excultum, sumptuosis canalibus, atque ductibus perennibus, & caducis ad animorum, & oculorum lenocinium adedè splendide exornatum est, ut jure Nympharum Domicilium appellari mereatur Nymphenburg. Pro pretio villæ prædictæ æquando duo prædia in Dorffen prope Wolfertshufium Ecclesiæ nostræ concessa sunt unacum potestate plena pro auctario vendendi subditis, & Cauponis nostris Cerevisias. Permutationis, & perpetuæ hujus concessionis propria Altesati Serenissimi Principis manu firmatæ Testes litteras exhibet Archivum. Nec taceatur (quæ laudum omnium summa est) magnam paratæ pecuniæ summam ab industrio Præsule relictam eam ob intentionem, ut suus Successor satis accommodam, & benè splendidam pro Canonicis habitationem novam è fundamentis excitare, & ad optatum finem perducere posset. Quod quidem abs dubio ipsemet aggressus fuisset, nisi podagrâ, aliisque morbis impedimentum sensisset, quibus natura cæteroquin solida humoribus intus vacua, exterius nullum refocillationis liquorem admittens die 26. Novembris anno 1696. piissimam animam ad egressum adegit. Corpus sepulchro illatum fuit in medio Ecclesiæ ante aram summam, ejusque tumulo sequens Epitaphium inscriptum

QUOS VIGIL INTER ERAM, SOLUS CEDO INDE, TACENDO  
SIC

PASSIM ALIOS VARIE LUDERE VITA SOLET.

Aliud porro Chronologicum Præsuli Venerandissimo ad ejus Tumbam apposuit Religiosa Posteritas, quod hic reticendum neutiquam videtur.

PALLAS SILET  
VIRTUS IACET  
CHORVS TACET  
LACHRIMATUR BEVRBERGA  
IN FVNERE SPONSI  
PAVLI STEINHERR ANTISTITIS.

Patritius Bärtl Præpositus XL.

Monachium Bojaræ Metropolis anno 1635. die 28. Octobr. Joanni Christophoro Bärtl à Prænobilibus clarisque Parentibus nato (Pater enim nobilis in aula magni Maximiliani Baviaræ Ducis & Electoris Equitum officio fungebatur) prima cunabula dedit, quem ætate succrescentem per celebres Musæ ibidem primis elementis, excolebant, ac cum tanta sollicitudine educabant, ut humanioribus eximia cum laude absolutis, mundialia poëmata pertæsus anno 1653. Apostolicam vivendi formam imitaturus sacro Ordini Canonico in Beyrbergensi Collegio nostro adscribi petierit, ac pro meritis benignè impetraverit. Exacto Tyrocinio sacra professio Joanni Christophoro Nomen Patritii sacratori omine contulit. Religiosa dein disciplina Philosophicis ac Theologicis scientiis sub clarissimo Doctore Udalrico Pyrson tunc Decano venerandissimo apprime imbutus, anno 1660. 18. Aprilis Neomyta ad aram stetit, ac postea Ecclesiasticam Cathedram ascendere jussus, in paræciis Tegerndorfensi, & Bergensi Pastoris vigilantissimi vices quâ verbo, quâ exemplo ultra 7. annos obiit. Oeconomix dein ad motus diuturno usu expertum æquè, ac sagacem se esse promum condum ostendit, frugalitate superioribus, liberalitate Confratribus, benevolentia sanè omnibus ita amabilis, ut anno 1675. Canonicis votis in Decanum electus, ac constitutus fuerit, quo in munere cum laudabilissimè ultra 21. annos, quasi senuisset, simulque per plures Archi-Confraternitatem B. V. de Rosario

rio rexisset, anno 1697. die 8. Januarii demum omnium suffragiis ad Prælaturam evectus fuit jam 62. annorum senex: nec mirum, adeò venerandum Caput non minus ornatum, quàm oneratum fuisse, sensus quippe integri, vires adhuc robustæ, prudentia perspecta, & statûs collegialis notitia optimum Præfulis regimen persuasere. Altero mox post electionem die solenni ritu in præsentia Commissariorum tum Electoralium, tum Frisingensium Episcopaliurum investituram in spiritualibus accepit, atque administrationem sibi commissam piè, ac ferventer in humeros suscepit. Ut suum erga res sacras palam faceret affectum, altero Regiminis anno varia inchoavit, & successu temporis perfecta reliquit. Inprimis tres integros ornatus (ut vocant) sericos, unumque manu, & acu Semiramia affabre textum, ac optimo auro gravem, plures casulas, & sacra paramenta multis florenorum millibus comparavit; in Collegiata sibi que desponsata Ecclesia duo nova altaria erigi, & summum in augustiorem formam redigi curavit. Ecclesiam Parœciale in Tegerndorff nova Parietum incrustatione, opere vermiculato, & tribus novis altaribus, Ecclesias S. Viti in Hernhausen, & Forenses S. Crucis simili decore innovavit, arasque novas erexit. Sex argenteis candelabris eximiæ magnitudinis, & splendida argentea lampade summum in Ecclesia Collegiata altare illuminavit. Ingenti calice aurato gemmis pretiosis interstincto, aliisque argenteis inauratis sponfam suam adeò ditavit, ut ultra humilitatem suam cumulata magis quàm dotata videretur. In rebus œconomicis tantum non remittebat iadustriæ, ut in villa exteriori magnam reparationem perquam necessariam non assumeret, quare aliqua à fundamentis ad fastigium deduxit, & aquam ad equile sumptuoso opere per tubos ligneos terræ suffoslos aliunde per multa camporum, & agrorum jugera è monte advexit. Reconditorium frumenti è fundamentis erexit. A primis insuper annis in ita Prælaturæ impensas ingentes fecerat pro comparandis Saxis futuro, quod auspiciabatur, ædificio totius Collegii idoneis. Interea dura advenere tempora, quod Mars ab anno 1703. belli sedem in Patria fixerat, variisque irruptionis quaque versum, Collegium quoque nostrum pavore invaserat. Metu postea abscedente, ut tranquillitas, & ab hoste immunitas emerfit, felicitas Patritii velut è tristissimis nubibus jucundissimum emicuit sydus, nam sicut Primus hujus nominis Præpositus, ita & sacerdotii Primus post Henricum Primum ex Prælatibus nostris Jubilæus anno 1710. 15. Junii Sanctissimæ Trinitati (cujus festum opportunè incidit) secundas primitias obtulit. Eodem anno 5. Septembris Româ obtinuit reunionem Collegii nostri cum Congregatione Lateranensi, quam à primæva quidem fundatione habuit, successu tamen temporis intermisit. Eam Instrumento publico in forma aggregationis tam in spiritualibus, quàm in temporalibus dilargitus est Reverendissimus, & Illustrissimus Dominus Jacobus Martini Lucensis Congregationis Canonorum Regularium Lateranensium Abbas Generalis. Felici fanè Præfuli huic nihil vel ætatis ad venerationem, vel dignitatis ad gloriam defuisset, si inutilibus subinde expensis pepercisset magis, sumptuosisque itineribus abstinuisset, & relictam ab Antecessore pecuniam melius custodisset, aut lapidibus jam congestis in ædificium Collegii, aut pro prædiis, aliisque fundis emendis, sicut alii providentia nunquam satis deprædicanda egerunt, sacratius applicasset. Unum tamen (quod non taceatur) prædium prope Partenkirchen soluto pretio comparaverat. Unde exhausto arario fatalia hujus sæculi tempora intemperiem haud levem Regimini ejus obduxerunt, cui ut se se subduceret, consultò Prælatura cessit, anno 1712. quietiore posthac vita æternæ prælusurus, ut se disponeret ad reddendam villicationis suæ rationem supremo Numini. At cum longiorem vitæ telam auspicaretur ex ultronea sanitate vulnerum, quibus per plures annos sine ullo remedio afflictabatur in pede dextro, sinistra humorum confluentium forte circa præcordia compræhensus, aliquoties etiam in speciem apoplexiæ vitalibus spiritibus subitò desertus, tandem omne alimentum recusante stomacho, viribusque deficiens, omnibus Sanctissimis Sacramentis ad luctam ultimam munitus hora 6. ingruente nocte placidè in Domino quievit die 24. Novembris anno 1713. Corpus ejus ad dextrum latus Reverendissimi Pauli in Ecclesia sepulturæ traditum est 26. Novembris. Cujus tumulo sequens Epitaphium inscribimus:

PATRITIVS BERTL  
 SENIO VENERABILIS  
 PROFESSIONE, SACERDOTIO, JUBILÆVS  
 GRATIA PRÆSVL  
 BEVRBERGÆ,  
 IN PACE ELECTVS,  
 IN BELLO ERECTVS,  
 HIC IACET.  
 ABIECTA PRÆLATVRA  
 LIBER ABIIIT.

D d d 2

Cajetanus

## Cajetanus Perner Præpositus XLI.

**A**Nno 1712. die 11. Aprilis via Compromissi conditionati electus, cui Deus pro fausto regimine uberem largiri dignetur gratiam, ut Collegium præprimis in spiritualibus, tum & temporalibus fumat incrementum ad majorem DEI gloriam, B. V. Mariæ, & Sanctissimi P. N. Augustini honorem.

## BEYRONENSE.

**S**Ive communiter Beyrense dictum, idem congenita vetustate suâ communiter *Alt-Beyren* nuncupari solitum Canonorum Regularium Ordinis S. Augustini Collegium, fecus fluenta protuberantis Danubii, in superiori Sueviâ sub limite Diœcesis Constantiensis, in præcelso monte vel olim contuendum. Primitus cœpit decurrente sæculo post partum Virginis octavo, Authore non notato pientissimè fundatum, quod ipsum tamen Cœnobium in genuino primæ institutionis suæ vigore salvum & integrum constitit usque ad initia novæ foundationis Buronensis, itidem paulò post recensendæ infra, sub cuius initium Canonici Beyronenses seu Beyrenses priore isto domicilio suo in totum derelicto, cum quisvis rebus ac facultatibus suis latantes immigrârunt eidem novæ Canonix Buronensi infra dicendæ. Restant etiamnum, at nuda solùm Præpositorum aliquot prisicis sæculis in veteri Beyrensi Collegio isto residentium nomina, quæ sunt: *Bertholdus à Wolmattingen* anno 957. *Wunibaldus ab Heirlingen* 1015. *Marquardus à Transberg* 1028. *Raboldus sub annum* 1039. *Eberhardus à Liechtenegg* anno 1059. &c. &c.

## BEZDICENSE.

**I**Ta vulgari nomine suo dicta, dives admodum olim in regno Bohemiæ Parochia cum quisvis attinentiis suis à Carolo IV. Romanorum Imperatore, eoque Rege Bohemiæ sub annum circiter 1350. comprovinciali ac vicino Pragenli (quod Carloviense dicitur, itidem recensendum infra (Monasterio in ampliorem dotem Regiâ munificentia superaddita, & sic in novam Regularem Præposituram constituta, talis constantissimè decrevit, quo usque sæculo proximè sequenti Religio Orthodoxa inter Bohemos gravissimè periclitata, imò & fortissimè debellata, tantum non omninò defecit. Gab. Bucelinus part. 4. fol. 11. Bezdicense Cœnobium istud inter ea quidem reponit Monasteria, quæ dictus Ordo Canonico-Augustinianus in eodem Bohemiæ regno vel invitus, & amaro corde tristis amisit.

Verum de ultimioe statu illius juvat hic edere, quæ de moderno statu Regularis quondam Canonix hujus mihi penitiùs inquirenti gratiosè respondit Reverendissimus Perillustris ac Amplissimus Dominus Dom. Joannes Wenceslaus inclytæ memoriæ Abbas Carloviensis &c. per proprias de dato Neo-Pragæ 1691. die 17. Octobr. gratiosè directas, quæ inter alia sic habent: *Quod concernit Bezdicense Monasterium in sat alto monte (cui vix in Bohemia par est, aut invenitur) situatum, omnino distinctum est à Parochiali Ecclesia nobis à Carolo IV. Rom. Imperatore clementissimè donata, & fuerunt olim in eo Patres Eremitæ Augustiniani, nunc verò per commutationem aliquam possident Monastæ Benedictini, & residet ibi Prior aliquis cum uno vel altero socio. Parochialis autem Ecclesia est in pede montis in Archidiœcesi Pragenli. Appellabatur ille olim Curatus loci Præpositus; quia nimirum penes se habebat unum vel alterum ex nostris Canonicis, sicuti & Procurator & Tutor aliorum Parochorum, quos sub se habebat, modò dicimus tales Vicarios Forenses, & exinde scriptores historici appellant locum istum Cœnobium Bezdicense, est autem pro nunc simplex tantum Parochia.*

## BIBURGENSE.

**S**EU Biburgum Baviaræ Inferioris oppidum sub limite Diœcesis Ratisbonensis comprehensum, etiamnum ætate nostra Monasterium (hodie Societati JESU subditum & incorporatum) aliquod habet, atque istud (testificante Hundio in Metropoli Salisburgenfi tom. 2. fol. 280.) quoad Religiosum statum suum usque hæctenus tertia jam vice mutatum, de quo proin loco citato sic legitur. *Biburgum olim Canonorum Regularium, deir Benedictinorum, postea Duci Baviaræ traditum à Summo Pontifice, ut ejus redditus in pios usus converteret &c. ubi notandum, cum loco citato in progressu historiæ nulla amplius de Regularibus Canonicis fiat mentio, tales jam longè priùs antequam Ascetæ Benedictini sub annum 1141. fuerunt introducti, tempore antiquissimo & Authore non notato fuisse fundatos, seu Biburgi collocatos, quamvis postmodum qualicumque demum forte rursum possessione suâ dejecti sint.*

BIL-



## BILDENREUTTA

**T**aliter intitulatum jam pridem injuriâ temporum ac bellorum fataliter exinanitum, primitus verò pro sacris Virginibus Regulam Canonico - Augustinianam professis à Ludovico hujus nominis quarto, in Viciniâ Imperialis Civitatis Norinbergensis circa annum 1340. liberalissimè conditum, atque istud sub Diœcesano limite Eustadiensi collocatum secundùm initia sua recensetur à Joanne Adelzreutero in Annalibus Bavariæ part. 2. lib. 3. num. 51. in hæc verba descriptum. *Bildenreuttenensis Cœnobii incunabula primùm locum obtinent plena documentis egregiæ pietatis. Quinas ex Imperatricis Gyneceo Virgines Silva Norinbergensis & solitudinis amor cæperat, si servando pudori illis necessaria subsidia reperissent. Cæsar probato illarum studio curæ sibi fore pollicitus est, ne quid ipsis ad necessitatem, tutelamque deesset. Aream circumscripsero, rem evenisse memorant, quæ indicio esset bonis avibus, & probante Numine pio operi manum admoventi. Volucres cantu nostris avibus insolito Cæsarem, omnia lustrantem, ad proceram quercum traxere. Addunt prodigio Annales Crucis trophæum, quæ summitati arboris imminens Cæsari fuerit pro divine mentis interprete. Eum protinus in genua provolutum adorasse DEUM cæptis propitium, impactâque in ominosam quercum securi initium fecisse cædendæ Sylvæ eximio modestiæ, & pietatis exemplo. Nomen à Crucis imagine & quercu excisa loco datum Bildenreutta. Sumptum in opus Cæsar præbuit, & Reipublicæ Norinbergensis optimates; quorum tamen posterius avitam Religionem Orthodoxam nimitum quantum exosi, post Civitatem Norinbergicam pariter mutata Religione penitus immutatam, dum in fordibus erant fordescentes adhuc ampliùs, Religioso Claustrò isto penitus everso; Parthenias Domicellas violenter ejecerunt, ad spectantibus quotquot supererant, censibus & redditibus ad fiscum attractis.*

## BILLICKHEIM.

**T**aliter à Populo terræ communi vocabulo suo nuncupari solitum, antiquatum Ordinis Canonico - Augustiniani Cœnobium in Forensi territorio Reipublicæ Norinbergicæ, sub Diœcesano tamen limite Eustadiensi comprehensum, infeliciter introducta Lutheri doctrinâ, jam dudum periit, omni etiam illius memoriâ terris sublatâ. De quo tamen eodem Cœnobio brevis saltem memoria quædam superat apud Wolfgang: Lazium de Migrat. gent. lib. 7. fol. 326. sic legenda, *ad annum 1125. referuntur initia Cœnobii Billinckheim.*

## BILREBECKENSE.

**S**eu apud Kranzium in Metrop. lib. 8. cap. 45. *Monasterium Bilrebeck*, de tempore verò & Authore primæ Foundationis haud ampliùs investigandum, ab initio Sui Regulare quidem fuit, postmodum verò lapsu temporis Sæcularium evasit Canonicorum Collegium, intra fines Diœcesis Monasteriensis in Westphalia prioribus sæculis extitit perinclytum. Laudatur admodum tum ab eodem Kranzio, tum à citato Beyrlinckio Wilhelmus ex Baronibus de Holte S. R. J. Princeps & Episcopus Monasteriensis numero tricessimus, anno circiter Dominicæ Incarnationis 1230. in Pastoralis munere Præclarus *Fratribus isthic loci degentibus sub regulari observantia commanentibus de lautiore victu prospexisse.*

## BIRCHLINGENSE,

**S**eu Monasterium B. Mariæ Virginis in Birchling appellatum Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini de Ven. Congregatione Windesimensi superiori ætate apud Sicambros perinclytum, nostris verò temporibus vix ampliùs de nomine suo notum, utpote omni memoria illius jam dudum à Regionariis heterodoxis penitus sublatâ. Abrahamus Bzovius in Annal. Eccles. fol. m. 145. primam antiquati Cœnobii hujus foundationem refert ad annum 1455. in hæc verba notatam. *Temporibus istis in Diœcesi Herbipolensi in quodam loco, qui Birchlingen dicitur, in solitudine quædam Imago Divæ Mariæ semper Virginis in quadam arbore posita multis cæpit coruscare miraculis, ad quam maximus populi concursus factus est, & multæ fidelium impense, ex quibus successu temporis Monasterium Canonicorum Regularium de Reformatione Windesimensi fuit investitum, atque ditatum.*

## BISUNTINAM

**M**etropolitanam Provinciale Romanum inter Ecclesias Ordinis S. Augustini refert, de quâ Petrus Damiani in Epistola ad Hugonem Archi - Episcopum Bisuntinum, quæ legitur, inter ejus Epistolas lib. 3. Epist. 8. scribit; vidisse in eadem Ecclesiâ alterum Claustrum, quod dextrum tenebat locum, ubi candidus Clericorum Cætus tanquam Chorus nitebat Angelicus, qui velut in Cœlestis Athenæ Gymnasiis sacrarum Scripturarum erudit.

diebantur Elogiis, & veræ Philosophiæ incumbabant studiis, seseque sub Regularibus exercebant quotidie disciplinis. Subdit ibidem, nec istud excedit, quia præter illas duas alias noviter Canonias uno simul eodemque tempore construit, unam scilicet cum Ecclesiâ S. Mariæ Magdalenæ, alteram verò, si rectè teneo, cum Ecclesiâ S. Laurentii. Cum autem duas Regulariter viventium ab eodem Hugone restitutas B. Petrus Damianus his verbis narret: Alteram, cujus nomen retinetur, B. Pauli nunc Abbatialem intra eandem civitatem fuisse ex dictæ Ecclesiæ S. Pauli fundatione & restitutione per Reverendum Adm. Patrem Dominum Joannem Nandinum, modernum illius Priorem collecta & ad me nuper transmissa probabile forsan videbitur. Sciendum enim est, præter Cathedralis & alias à B. Petro Damiano memoratas quasdam alias Canoniarum Regularium Ecclesias præcipuas fuisse olim in Diocesi Bisuntina, & nunc etiam reperiri, quarum non nullæ Abbatiali, aliæ Prioratûs titulò sunt decoratæ. Hæc ille loco citato.

Ex quibus omnibus demum concludere pronum est, Ecclesiam Metropolitanam isthanc anno 1062. quo tempore S. Petrus Damiani Legati Apostolici munere fungebatur, verè fuisse Regularium. Quo autem tempore Regularitas fuerit introducta, insinuat Franciscus Chiffletius S. J. à Joanne Bollandò in Act. SSorum Tom. 2. fol. 414. in Annotat: in hæc verba allegatus: *in Bisuntinis Ritualibus Ecclesiarum omnium Clericos, seu Canonicos, dictos persæpè invenias Fratres: quod nomen idè illis attributum puto, quòd in prima sua institutione Regulares fuerint, & vitæ communi addicti.*

Item S. Stephani Basilicam ceptam erigi ab Hilario V. Episcopo, promotam à Panchario VI. absolutam à Frominio X. Episcopo, atque in ea Regularium Canoniarum Collegium constitutum, multis privilegiis à Damaso & Siricio Pontificibus in eam obtentis. Vixit autem hic Frominius, qui Regulares Canonicos induxisse refertur, anno circiter 390. & colitur ad diem 10. Maij. Pro decore Ordinis Canonici res gestas aliquorum ejus Ecclesiæ Episcoporum, quantum ex probatis Historicis colligere licuit, hic subiicio.

S. GERMANUS Vir Apostolicus, signis & prodigiis inclutus, post B. Desiderii (de quo præter nomen in Historicis reperire nil potui) ad caelos transitum Bisuntinensis Ecclesiæ XII. Pontifex electus, eam suo sanguine purpuravit. Ante Episcopatum autem, dum adhuc Presbyter (Canonicus in Claustro Bisuntino regulariter) viveret, tanta Sanctitate emicuit, ut in Missarum Solemniis inter manus Ministerium Angelicum appareret. Pontificali autem fastigio sublimatus, pro Christi nomine ingenti calamitatum turbine actus, semel atque iterum & septies usque examinatus atque dijudicatus est. Fecit tamen interim vasa plurima sacrata, sacris Altaribus apta: Ministeria quoque sacra solerti industriâ fancivit: denique suâ prædicatione multos ad credulitatem & Baptismum Christi convertit. Hujus S. Pontificis immediatus successor erat

S. ANTIDIUS nobili germine editus, & Bisuntinæ Ecclesiæ primùm Regularis Canonicus, indè eximiæ sanctitatis ergò XIII. hujus sedis Archi-Episcopus in eo munere tum alia permulta gessit admiratione digna, tum verò semel atque iterum Dominici Corporis è sacra pixide absentiam prophetico spiritu cognovit. Sacerdos communicaturus infirmum, ex nimia festinantia de Viatico in Vase non prospexerat, cui obviam B. Antidius revelante Spiritu S. mox edixit, vacuum se pergere, quod aperto vasculo sic reperiuntur est, stupente inscio Sacerdote. Alia vice alius quidam Sacerdos dum iret ad communicandum quemdam, receperat in Vase hostiam non consecratam loco corporis Christi, defectum hunc ita suum velaturus, sed ecce! dum pergit obvius ei similiter fuit B. Antistes, igne fervido charitatis accensus dicens ei: Eucharistiam non habes, imò respondit Sacerdos, in vase habeo. Tunc Antidius, qui spiritu vivendo, spiritu pariter ambulabat, subjunxit, scio, quòd non portas Christi Corpus verum, sed solummodò panem purum. Unde Sacerdos in se confusus verum annuit Pontifici, cui proinde multus honor & reverentia accessit in populo, quem omnes gloriosum & admirabilem divinumque Virum prædicabant.

S. PROTADIUS, ejusdem sedis Episcopus, Vir, in quo emicuit cælestis Conversationis gloria, & cui inerat, in cibis abstinentia, in potu sobrietas, in vigiliis assiduitas, & in oratione sedulitas: agebat in terris vitam Angelicam, à cujus ore laus Dei non recedebat. Clarus adhuc fuit spiritu futura præfagiendi, & potens in refellendis hæreticorum maximè Simoniacorum erroribus. Obiit die 18. Febr. anno redempti Orbis 626. in & post vitam miraculis illustris. Corpus terræ mandat in Ecclesia Bisuntina D. Petri. Cujus præsentissimam opem Bisuntini tum in aliis multis, tum maximè in imbris vel laxandis vel continendis experiuntur. Sacras ejus Reliquias prius capsæ lignæ inclu-

fas,

fas, Cives Vefontini loculo argenteo inferi, & in locum honoratiorem transferri, consentientibus Capellanis S. Petri anno 1614. 9. Februarii, fecerunt. Scripsit Librum Sacrorum Rituum, qui hodièque in Ecclesiæ S. Joannis ibidem, sed interpolatus à Recentioribus asservatur. Ex tabulis Ecclesiæ Bisuntinæ apud Joannem Chiffletium L. 2. Vefontionis fol. m. 129. & seq. ubi prætereà pro regularitate hujus Metropolitanæ probandâ in vita hujus S. Protadii addit sequentia: *Imò in Bisuntinis Ritualibus Ecclesiarum omnium Clericos seu Canonicos dictos persæpè invenies Fratres, quod nomen idè illis attributum puto, quòd in prima sua institutione Regulares fuerint, & vitæ communi addicti.*

S. CLAUDIUS Archi-Episcopus Vefontionensis seu Bisuntinus, illustrissimâ Comitum Salinensium familia oriundus, annum ætatis agens vigesimum primum sæculari contempta militiâ Clero adscriptus, & Bisuntinæ Ecclesiæ Canonicus Regularis effectus est, quod vitæ institutum raro sanctitatis exemplo juxta & eruditionis laude excoluit, ut nullum temporis inter Burgundiones ipsò doctior haberetur. Anno duodecimo Regularis Professionis suæ Protadio Episcopo Bisuntino defuncto ipse in locum ipsius voce de cælo lapsa susceptus fuit: quo in munere constitutus, illud inprimis, ut omnibus omnia fieret, curavit: Horis Canonicis diu noctûque interfuit, ipsemet ad Clerum & populum verba fecit, eradicavit vitia, virtutesque inferuit: crebrius Provinciam suam vifitavit sacram verbi doctrinam seminando, & ut verbo uno plura concludantur, ait Auctor vitæ illius apud Joannem Jacobum Chiffletium Part. 2. Vefont. fol. mihi 144. *per omnia fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Porro contemplationi adèd addictus erat, ut vix ad corporalem refectiorem sumendam adigi potuerit. Cum verò amore Divino totus æstuans, pertæsusque Archi-Episcopalis curæ sibi ipsi vacare cuperet, Angeli monitu anno Episcopatus sui septimo ad S. Eugendi Monasterium se recipiens inibi Monachum induit. In quo cum annos quinque exegisset, defuncto Abbate Injurioso, uno omnium Monachorum ore ipse in Abbatem electus est; quo in munere admirandus prorsus fuit, numerum Religiosorum plurimum auxit, cujus famâ allecti illustres genere eò non pauci confluerunt, sæculumque ejurârunt, tantâ omnium sub tanto Magistro in profectu Spiritûs contentione, tantâ perfectissimæ vitæ exactione, ut non hominum, sed Angelorum in humanis corporibus degentium Convictus videretur. Decessit ætate decrepitâ fere centenarius die 6. Junii anno Christi 696. Magnus Bisuntinorum Patronus à morte cooptatus, cujus nomen universæ Gallorum genti sanctissimum, innumeris ferè deinceps hominibus pro reverentiâ impositum, & memoria sacrosancta perseverat. Sacrum corpus autem, ait vitæ scriptor, usque in præsens in Ecclesiâ S. Eugendi cunctis adventantibus incorruptum & integrum monstratur innumeris prodigiis usque ad hæc tempora coruscans. Reliquit haud pauca celebris ingenii monumenta, Lucubrationes in sacram scripturam eleganti stylo conscriptas, quæ etiamnum, referente Gabriele Bucelino in Menologio Benedictino die 6. MSS. in Jurenfi Benedictinorum Cœnobio adservantur. Item Sermones ad populum & Clerum. Ex Joanne Jacobo Chiffletio loc. cit. Gabriele Bucelino loc. cit. & Constantino Ghinio in Natalibus SS. Canonicorum 6. Junii.

S. DONATUS itidem hic loci Archi-Episcopus, de quo pro probandâ hujus Ecclesiæ Regularitate sæpè nominatus Chiffletius Vefont. p. 2. fol. 152. hæc scripsit: *Donatus inter Canonicos commorans Monachale schema indutus, sic erat inter illos quasi Monachus unus, Canonici implens officium, Monachi non amittens propositum.* Huic proximè in Sede Archi-Episcopali successit

S. MIGETIUS Vir sempiternâ memoriâ dignus in Ecclesia Chrysopolitana (inter Canonicos ibi regulariter viventes Canonicus ipse) educatus, & sub S. Donati Archi-Præfulis disciplinâ ad omnem virtutem eductus, ei ad superos translato consentientibus omnium suffragiis subrogatus est. Commendatur singulariter, quòd incruentum Missæ Sacrificium æterno DEO quotidie offerret, quòd largus in egenos, quòd in diurnis nocturnisque precibus assiduus, quòd nunc hujus nunc illius sancti proposito sibi, quòd imitaretur, præclaro aliquo facinore, eum se diem perdidisse putaret, quo aliquos in virtute non fecisset profectus. Officia Ecclesiastica permulta, veluti quinque Archi-Diaconos cum majori Archi-Diacono, qui vices Archi-Episcopi supplerent, instituit, justis in eam rem collatis redivis: novo & Ecclesiam censu & vasis auxit. Claustrum quoque (majoris S. Joannis Basilicæ) columnis & testudinibus ædificavit, ab ostio Ecclesiæ, quod ducit ad Palatium, per partem illam, quæ Conventus dicitur, & per partem Dormitorii usque ad Refectorium. Inter alia autem pietatis officia mos illi erat assiduus, nocturnæ quieti præmittere preces, & Divis Cælitibus sese commendare, ani-

múmque à curis sæcularibus absolutum sanctâ contemplatione relaxare. Per visum ergò quadam nocte soporatus ad Principalem Ecclesiam est ductus, ubi magnam Abbatum multitudinem, quorum major pars videbatur esse Sacerdotum, contemplabatur, intèrque eos unum, quem familiarem in Romano itinere comitem habebat, ex eo itaque sciscitatus, quæ tanta esset multitudo? Audiit, hos omnes mundam vitam finivisse in B. Joannis Evangelistæ servitio, quos idem B. Joannes cum Levita Stephano ad altare prædictæ Ecclesiæ cum ineffabili cantûs melodiâ deducebat, & sacris peractis officiis omnes ab ejus manibus vivificum munus percipiebant. Ipse verò divinâ revelatione edoctus, inibi locorum eum carnis resolutionem manere, gratiisque Deo inter lacrymas actis, paulò post præfenti Cleri & Abbatum multitudine, sacro Oleo, Corporisque & Sanguinis Domini viatico munitus, spiritum in manus Domini contradidit, depositus in Ecclesia S. Pauli. Ita ferè Chiffletius ex Monument. Ecclesiæ Bisuntinæ. Huic Sancto Viro in Regimine Ecclesiæ successit primo Ternatius, deinde

**FELIX**, de quo Chiffletius loc. cit. hæc habet: *Felix infelicissimus moribus, & patrimonii Christi decoctor improbissimus, Canonicorum Collegium, virtutum Scholam, & Officinam pietatis in vitiorum omnium & Luxûs Academiam convertit. Tanta quippe ipsius vel incuria vel pravo exemplo irrepfit in Canonicos morum licentia, ut non modò sub eo ex Regularibus & vitæ communi addictis, in proprietarios, sed etiam è castis in obscenos, ex piis in Sacrilegos, è pacificis in seditiosos, ex Clericis demùm in Milites evaserint. Et infrà, ob hanc verò ortam morum in Clero dissolutionem factum puto, ut Canonici nonnulli melioris mentis ad S. Pauli Monasterium vitæ strictioris ergò se conferrent. Post hunc denique Episcopatus devolutus est ad*

**TETRADIUM**, cujus temporibus, ut est apud Coævum scriptorem Chiffletium fol. 169. *Fratrum misera conversatio incorrecta duravit, usquequo DEUS super his dignatus est nunc providere. Destinavit enim quendam Juvenem Albonem nomine Chrysolitanae Ecclesiæ Canonicum &c. &c. Hic est*

**B. ALBO** Canonicus Chrysolitanae Ecclesiæ, genere nobilis, sed fide & Religione multò nobilior, tantâ abstinentiâ, labore & vigiliis corpus suum attrivit, ut gravissima & ferè continua ægritudine languens Conventum sequi vix posset. Eo tempore cum sub duobus ejus Prædecessoribus Felice & Tetradio Canonici ferè omnem disciplinam Regularem eò usque vel à primâ fundatione retentam abjicerent, Albo illorum non consentiens ludibrio, sanctæ conversationis studium ardentèr quæsit, ita ut etiam talia na ufragia, in quæ alii sese conjiciebant, evitare cupiens ad Monasterium Luxoviense se transtulerit, receptus ab Abbate & Fratribus loci benignè, qui & ipsum grateret retinissent, si voluisset, pro suæ humilitatis & modestiæ statu. Sed ille, quem DEUS suæ Ecclesiæ præviderat Pastorem, ad recuperandam Ecclesiam Chrysolitanam, & Fratres ejus, qui in tam pravo statu constituti erant, accepta à Priore & Fratribus licentiâ, ad dictam Metropolitanam Ecclesiam remeavit.

Interea Tetradius Tyrannus (his ita peractis) venationibus conserviens, ab apro percussus moritur. Adeptus igitur ALBO consentientibus civibus Pontificatus officium, Fratres inprimis admonuit, ut Religioso more viverent, qui veteris consuetudinis amantes, cum recedere à liberiore vita se nolle profiterentur, adjutus Episcopus consilio Abbatis Luxoviensis & præfentiâ Adorni Prioris ad eum missi, optionem de duobus eligendam illis proposuit, aut regulari disciplinæ sese submitterent, Deoque religiosè in Monasterio fervirent, obedirentque mandatis regulæ, aut de Monasterio exeuntes, quamcunque viam sibi vivendi fumerent. Quod illi audientes quatuor ipsorum simpliciores se ditioni Archi-Episcopi subdiderunt, alii stoliditate tumentes, & in sua juventute confidentes viam latam, quæ ducit ad mortem aggressi sunt. Ordinatis denique Fratribus & Regulari disciplinæ restitutis, Adornus Prior valedicens Archi-Episcopo ad propria reversus est. Qui Archi-Episcopus à suo nunquam recedens proposito; sed (ne jactantia videretur) occultè subtriticos panes, alios tenues ex hordeo apponebat pro vita sua, triticum frangens aliis erogabat. Similiter dum alii vinum biberent, ipse aquam in vitro obscuro vino modico desuper infuso biberat: Et in orationibus, jejuniis, vigiliis tam efficax erat, ut in medio mundi positus, novus efficeretur Eremita. Nam cum apud Urbem Chrysolitanam moraretur, domus ejus Baptisterio adhærebat, in quo multorum Sanctorum reliquiæ tenebantur. Noctè de strato suo nemine sciente confurgens, ad orationem, Deo tantum teste, pergebat, ostio divinitus reserato attentè psallebat in Baptisterio. Sed cum hoc multi temporis spatio ageret, tandem ab uno Diacono res manifestata est, qui Diaconus longè stans, ut factum Viri sancti videret, & agnosce-

agnosceret plenius, vidit, dum Vir DEI accederet ostium cum clave feratum nemine tangente aperiri: illòque ingrediente diutissimè silentium erat: postea voces audivit tanquam multorum psallentium per spatium quasi trium horarum, Ipsòque Viro Sancto recedente ostium feratum (ut prius) inveniebatur: commotòque signo Vir Dei, ut unus recens ex aliis, ad Officium veniebat.

Tandem post multos annos Episcopatus sui in pace quievit. Sed cum jam corporis sui dissolutionem imminere sentiret, dilecto sibi Wandeberto, castitatis & continentiae armis accincto, & in virtutum devotione composito, consensu Cleri & populi Ecclesiae curam pastorem commisit, quam ipse viriliter cuncta regens ac paterno affectu disponens parvi licet temporis intervallo pie ac strenue gubernavit. Ita ferè hucusque Chiffletius Patritius Consularis & Archiater Vefontinus. Quibus omnibus addendam duxi prudentem animadversionem, quam Anonymus noster Parisiensis in suis Disquisitionibus ad ea, quae hic primùm de B. Albone ex Chiffletio attulimus, his omnino formalibus subjunxit. Neque verò Vefontionenses Canonicos, quia ab Albone sunt invitati ad vitam more Luxoviensium Monachorum Religiosè componendam, Regulares putemus, regulæque subjectos fuisse, ultra quam Canonicus Ordo postulabat. Hoc sanè constat, in promptuque est omnibus eisdem Canonicos, cum in Luxoviensium moribus non acquievisset ad primam hortationem, postea Adoni Prioris interventu suae tantum, & Majorum suorum Regulari disciplinae restitutos esse, neque Canonicorum exuisse nomen nec induisse Monachorum. Ceterum erant in B. Columbani affectis, quæ Canonici Regulares jure suo imitarentur. Gallus Columbani discipulus Canonicos Clericos ad se admissos erudit. In ipsâ Hiberniâ, unde Columbani institutum influxit in Gallos, Canonici severiorem disciplinam Monachorum emulari consueverant; tametsi se à Monachis distinguere vellent, & ab ipso Columbano didicissent, alia esse & alia Clericorum & Monachorum documenta, & longe ab invicem separata.

### BISUNTINUM

Aliud in præfata Archi-Episcopali Urbe Bisuntinâ Canonicorum Regularium S. Augustini Collegium, seu insignis omnino Abbatia, communiter S. Pauli intitulata, atque eadem hæc per Sanctum Donatum Supremum Præsulem Bisuntinum annò Christi 630. sub Regulâ S. Columbani Abbatis Luxoviensis (cujus precibus eundem S. Donatum Nobilissimi Conjuges Wandalinus, & Flavia Burgundionum Duces obtinuerunt) primitus fundata, eaque satis inelyta, Jura ac Dominia sanè præclarissima hodie hodie obtinet, tam intra Vefontionem ipsam, quam extra, seu in totâ Burgundiâ; utpote secus se ipsam Molendina supra fluvium Aldidubim (qui propiores seu intimos fundos, hortos, vineasque intra civitatem ipsam situatas, & largè longèque patentes sub-déque circumfluit) in districtu suo, & ad alpium finem sive fauces, ac egressum vici sui furnos proprios cum ædibus adaptatis ad usum gratuitum pro Canonicis Abbatiae lucrativum pro laica plebe habent.

Item copiosas Paulina hæc Abbatia recipit decimas ab incolis & civibus è finibus territorii Bisuntini solvendas; potitur etiam intra ipsa mœnia Urbis supra majorem Domorum partem quæstioso jure censuum, & laudemiorum; partitur insuper cum Celsissimo Principe, & Archi-Episcopo Bisuntino jus quoddam insigne Regaliæ quod vocant Emericadum seu potestatem capiendi sibi vicesimam partem totius frumenti, & cujusvis alterius bladi, quod in annonam populosa hujus civitatis foris infertur, imò & antiquitus percipiebat tertiam partem de telonio civitatis exigi solito à negotiatoribus in Mercatis annuis & quotidianis, quale jus dictæ Regaliæ competens Abbatiae huic S. Pauli Bisuntinae memoratur in Epist. 2. Paschalis II. ad Henricum V. prout refert Marca lib. 7. cap. 20. num. 3. de concord. Sacerd. & Imp. Item memoratur in Bullis Callisti II. de anno 1120. Innocentii II. &c. 1139. & Eugenii III. de anno 1148. quæ eadem Bullæ tituli sunt in Abbatia salvi & Domestici. Item ab antiquissimis temporibus eadem Abbatia erectum habet tribunal in portâ suâ (quam & Eleemosynariam vocant) majori, ubi in Audienciâ hebdomadaria amplissimam exercet jurisdictionem forensis supra præfatum vicum integrum & spatiosum, qui Abbatiae contiguus, seu ab ejus fronte exorsus, pergens clarâ rectâque linea versus interiorem Urbis, insuper Abbatiae subditus, idèd dicitur Vicus S. Pauli: in quo tribunali Reverendissimus, ac Illustrissimus D. D. loci Abbas administrat Justitiam per Ballivum, quem ut & alios Officiales ad id ipse instituit, & ab hoc tribunali olim seu ante modernam revolutionem statûs non dabatur Appellatio. nisi ad Imperialem Cameram Spirensis.

Similiter hæc eadem Abbatia Bisuntino-Paulina per totum sparsim hinc inde Comitatum Burgundiæ feuda habet & dominia, pagos, prata, vineas, decimas, Emporia,  
Tom. III. Cann. Regg. Origines. F ff Mo.

Molendina, & jura conspicua: item turres aliquot & arces five castella, inter quæ principaliter eminet Castrum Pagi *Frachnè* dicti, quorum omnium acquisitiones in favorem sæpessatæ Abbatia hujus factas ritè confirmârunt non solum Summi Pontifices Leo IX. Alexander II. Paschalis II. Calixtus II. Alexander III. sed & Romani quoque Reges & Imperatores Henricus III. Henricus IV. Henricus V. Fridericus I. & alii plures: qui præter communem privilegiorum confirmationem eandem Abbatiam istam in suam & Imperii specialem receperunt protectionem: Fulgent etiamnum intensius spirituales five Ecclesiasticæ hujusemodi prærogativæ; habet enim Abbas S. Pauli privilegium mitræ & baculi cæterorumque Pontificalium ornamentorum, qualia à S. Sede Romanâ impetravit duodecimus loci Abbas Henricus de Falerans anno circiter 1488. ad clavum promotus. Item sessionem & suffragium habet etiam in Conciliis generalibus, quarum inter cætera uni & quidem Constantiensi præsens singulariter adfuit Decimus quartus Numero Bisuntinus Abbas Robertus de Baubigné. In Comitibus Provincialibus seu adunatione totius Cleri, Nobilitatis laicæ & Deputatorum Civitatisium, item in peculiari aulâ Cleri, quoties iste de tota Archi-Diœcesi Bisuntina fuit adunatus, primas sedes obtinet Abbas S. Pauli, præcedit, & opinatur, seu suffragium dat ante cunctos reliquos Abbates Diœcesanos, tam ejusdem quàm cæterorum quorumcunque Ordinum. Item in totâ memoratâ Diœcesi Bisuntinâ est caput Ordinis Abbatia hæc: à qua plura ceu membra dependent. Beneficia quoque Regularia seu Prioratus, quales præ reliquis sunt S. Mariæ de Lantens, Curtifontis, Bellifontis, Rose, Craftenoy, Dam-Mariæ, Miserè; Sancti quoque Udalrici in Diœcesi Basileensi nominandi infra, quos in hujus aut illius personam è Canonicis Regularibus S. Pauli conferendi jus plenum semper pertinuit ad loci hujus Abbatem pro tempore subsistentem, ac tali jure ipse semper est usus ante introductionem reservationum Apostolicarum, & nominationis Regiæ; nunc autem retinet ipse saltem jus conferendi claustralem hujus Ecclesiæ Prioratum insignem, tria officia Regularia (vulgò Obedientiarias) præcipuis dotatas juribus, & instituendi plenariè unum è suis Canonicis in Curatum Parochialis Ecclesiæ S. Donati adiacentis Abbatiali Ecclesiæ intra septa Monasterii. Quæ Parochia cum à sui initio & semper ab Abbatia dependens fuerit, postmodum à Joanne Papa XXII. unita est officio Cantoris S. Pauli, cui Cantori concedit (verba sunt Bullæ) ut possit curam animarum &c. Parochianorum &c. per se regere, & exercere Diœcesani licentiâ minimè requisitâ. Præterea habet hæc Abbatia (tam Abbas pro maxima parte, quàm Canonici obedientiarii) Jus præsentandi ad centum vel paulò minùs Parochias rurales. His adde (quod spectatissimum est) quoties Archi-Episcopus præfata Abbatia intervenit, ut in hac electione tria suffragia conferat, ita, ut interfentes cum Canonicis Metropolitanis in eorum Aulâ Capitulari Abbas S. Pauli unam vocem, Prior Claustralis unam aliam, & Deputatus à Conventu de Ordine Canonicorum Regularium tertiam vocem seu suffragium promant, & dent in actu Electionis antedicti Archi-Episcopi Bisuntini; etenim sæpe dicta Abbatia est commembrum Capituli Metropolitanani, denique Canonici Regulares sunt & censentur etiam Canonici Metropolitanani eò usque, ut eorum præsertim Abbas habuerit, & habeat Turnum, seu destinatum sibi infra annum hebdomadam unam, qua pendente Missam majorem in Metropolitanâ celebrat, item habeat facultatem toties, quoties libuerit, assistendi cum voce activa & passivâ Capitularibus Congregationibus Metropolitanorum, sitque adeo & dicatur Canonicus Metropolitanus, eò ipsò, quòd sit Abbas S. Pauli, & utique ut talis dictus Abbas Robertus de Baubigné à Canonicis Metropolitanis in suum Capitulum fuit admissus, ut patet ex actis anno 1414. Sic quæ eligit Archi-Episcopus (hæc Abbatia) ab Archi-Episcopali Jurisdictione aliunde immunis est, imò ab ipsius incunabulis exemptione gavisita fuit, siquidem S. Donatus Archi-Episcopus fundator ejus id illi primitus indulgit, prout testatur alter ejus Reparator, & Archi-Episcopus Hugo primus, qui in Testamento suo (quod *Abbatia* vocant) seu titulo Restaurationis S. Pauli de dato 1044. ita veteri stylo loquitur: *hæc autem Abbatia tempore S. Donati Archi-Præsulis in eodem loco paupantis Monachorum obsequio famulabatur Domino, banc verò libertatem, quam ipse dedit, cum Monachi aderant, amodò liceat illi habere, & rogo successores meos in perpetuum liceat tenere, si autem banc non dedisset, ego utique dedissem, nunc habeat sibi.* Ultra quod summi Pontifices (à quibus Abbatia hæc immediatè dependet) nedum generaliter concesserunt Exemptionem universo Ordini Canonico S. Augustini, prout Paschalis II. Calixtus II. Sixtus IV. & reliqui, sed etiam specialiter Abbatia S. Pauli ipsissima Exemptio ab Ordinarii Jurisdictione concessa est à Summo Decano S. Pauli de anno 1054. sic disponit: *Vestram Canonicam scuto Apostolicæ defensionis reddimus munitam &c.* Alexandro II. qui etiam ad rogatum Hugonis II. Archi-Episcopi Canonicam S. Pauli sub tutelam Apostolicæ defensionis suscepit per suas Bullas

apud

apud Lateranum anno 1069. Gregorio VII. qui in suis Bullis &c. 1076. asseverat, dictam S. Pauli Ecclesiam esse membrum Apostolicæ sedis. Paschali II. de Anno 1108. Calixto II. in Bullis &c. 1120. & 1123. Innocentio II. Anno 1132. iterumque ab eodem per aliam Bullam Anno 1139. Alexandro III. qui in Bulla Anni 1177. ad Jeremiam Priorem sic ait: *Vestram &c. sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus.* Innocentio IV. per illam Assisii datam Pontificatus ejus anno 11. & Papa Joannè de anno 1412.

Circa quam Exemptionem constat insuper ex Confessione Domini Archi-Episcopi Bisuntini, nempe ex Sententia de anno 1344. in Curiâ officialatus illi post maturam deliberationem Archi-Episcopalis Consilii fuisse declaratum, tum quòd Abbatia S. Pauli sive in Spiritualibus sive in temporalibus à nullâ Justitiâ seu nullâ aliâ Jurisdictione dependet, quàm à propriâ, tum etiam quòd præfatus totusque vicus S. Pauli (quantumvis laica plebe refertus & habitatus) est omnino exemptus à Jurisdictione Ordinarii, quin ab anteriori tempore sive de anno 1246. (ut Actum fidem facit) Archi-Episcopus Bisuntinus Wilhelmus quemdam Hugonem d'Aluè à suis Officiariis captum in vico S. Pauli, & inde in suos carceres abductum restituit. Deinde liberum & ad Ecclesiam S. Pauli reduxit ob libertatem illius & Suarichias resultantes quoque in memoratum vicum ab eâ dependentem.

Similiter & multis antehac annis plures Imperatores per sua Diplomata hanc ab Ordinario exemptionem nedum Abbatia, sed & totius vici ad eam spectantis agnoverunt, & confirmarunt videlicet Henricus II. anno 1045. Henricus IV. anno 1068. Fridericus I. anno 1163. Henricus VI. annis 1190. & 1196. & Fridericus II. anno 1231. Sed & præcipuè dictus Henricus IV. per sententiam suam anno 1190. Moguntia redditam, cui utique confestim acquievit Bisuntinus tunc temporis Archi-Episcopus per Procuratorem suum Ottonem Burgundia Comitem; ordinamus, inquit Imperator, atque concedimus, ut &c. Prior S. Pauli de omnibus hominibus suis in civitate Bisuntinensi, nec non & de totâ suâ familiâ, Clericis & Laicis judicet, & de omnibus causis ipsorum cognoscat, & conquerentibus de ipsis justitiam exhibeat: Deinde adjudicans inibi sanctam jurisdictionem Metropolitanæ Ecclesiæ scilicet supra totam ejus familiam ab illis (seu à Canonicis S. Pauli) & à Metropolitanis jam segregat & discernit. Clerum non exemptum dicens: de aliis verò Clericis judicabit Archi-Episcopus. Tandem sic proloquitur: Inhibemus omnibus Clericis & Laicis, ne in Ecclesiâ S. Pauli, cum suis circumjacentibus, nec in suo vico, prout extenditur usque ad medium vicum, qui dicitur „Châtoil nihil juris, domini, vel jurisdictionis sibi usurpent, vel dicant se habere, cum „Jus & dominium totaliter præfatis Priori & Canonicis S. Pauli, quantum ad nos pertinet, net vel pertinere potest &c. quod nos confirmamus.) Quapropter non solum Abbatia, sed & vicus integer tutum fuerit asyllum, ad quod è Provincia & remotioribus partibus confugebant multi aut debitis onerati, aut delictorum conscii &c. Eâ verò Authoritate sive notorio jure Abbatia hæc perpetuò usâ est, donec sub initium prioris sæculi vis armata Magistratuum Laicorum (ut etiam Colonia Agrippinæ ad Rhenum & alibi contigit) & meticuloso Religiosorum Præsulum statui iniquè prævaluit, interim manifesta adeò & firma est tum dicta Exemptio ab Ordinario Regulari huic Canonici Bisuntinæ competens, tum ejus Confraternitas cum Metropolitanis Canonicis Bisuntinis, ut cum unus è Canonicis Regularibus pro tempore Prior de Chastenois auctoritate seu magis violentia Archi-Diaconi Bisuntini anno 1200. fuisset captus, sive ut vocant, arrestatus, Capitulum Metropolitanum injuriam hanc quasi sibimet ipsi illatam, pro correctione illius mox in Ecclesiâ suâ statuerit, ac ordinaverit cessationem à Divinis: quam etiam cessationem in actu decreti ipsius hac ratione fulcivit (de Ecclesiâ S. Pauli disserendo) propter Confraternitatem quam habemus ad invicem. Quæ rursus Confraternitas patet ubique, tum in eo, quòd Officia solemniora, publicæque functiones Ecclesiasticæ quasi ex æquo assignatæ inter Ecclesiam Metropolitanam & S. Pauli Bisuntinam divisæ conspiciantur, ut benedictiones ramorum (Dominicâ Palmarum) & fontis seu fluminis (diebus Rogationum) aliæque plures in præsentia totius Cleri fieri solitæ in partem cedant Abbatia præfata, tum quòd mutua stationes inter ipsas, sive assistentiæ unius ad alteram in Officio festorum quàm plurimum ordinatæ fuerint à Calixto Papa II. natione Burgundo, qui quidem Summus Pontifex genere Comitum Burgundia procreatus in Bullâ suâ ad Canonicos S. Pauli sub annum 1120. directâ, ad hæc adjicientes (ait) *statuimus Ecclesias ipsas Ecclesiæ vestrae solennes processiones & officia inviolabiliter exhibere*, ille ipse, inquam, Pontifex, qui per adolescentiam suam in Ecclesiâ Bisuntinâ educatus, ritus ejus omnes præfens viderat, ut ipsemet testatur in aliâ Bullâ apud Lateranum 14. Aprilis anno 1122. ad Ansericum Archi-Episcopum, & Manassen Decanum Bisuntinum, qualis Bulla memoratur in probationibus & Abbatia Urbis Trenortii (Gallicè de Tornus) pag. 383. quorum omnium intuitu ea fuit existimatio Canonorum Re-

gularium S. Pauli, talibusque quidam ex ipsis passim functi sunt honoribus, ut non solum ab antiquo omnes ipsi fuerint, ac in praesens sint Metropolitanorum Confratres, sed & Henricus de Sauvigney Abbas numero Sextus una cum Bisantio Damathart Canonico Regulari supra idem Capitulum anno 1366. Ecclesiasticam exercuerit auctoritatem, scilicet à Sede Romanâ delegatam, à qua ambo ipsi fuerunt deputati Visitatores Ecclesiae Metropolitanæ, & quod amplius est, non solum supradicta habeant suffragiorum Jura Canonici ad S. Paulum in Electione Archi-Episcopi Bisuntini, sed & unus ex eorum numero simplex Canonicus Regularis, scilicet Humbertus anno 1134. electus, & effectus fuerit Archi-Episcopus Bisuntinus, qui etiam Praesulatu potitus est usque ad annum 1161. ut constat ex Necrologio S. Pauli, & narrat etiam Chiffletius in sua Vefontione Part. 2. in vitâ ejusdem Humberti, atque à tempore Archi-Episcoporum Felicis & Tradii (corruptiorum Praesulum) Canonici Metropolitanis ac morum saniorum Abbatiam S. Pauli sibi eligere incepterunt quasi Seminarium virtutis & securioris vitae portum; ita ut plurimi è Metropolitanis Canonicis Archi-Diaconi, Diaconi, Cantores, Succentores, Religiosum habitum Canonicorum S. Pauli & regularitatem identidem susciperent, ac non obstante hujusmodi translatione suas inter Metropolitanas dignitates, & Canonicatus in simul retinerent, è quibus unus insignis fuit, nempe major Decanus nominatus in Bullâ Calixti II. anno 1122. supra citatâ. Atque isthoc Necrologium S. Pauli frequentem de talibus mentionem faciens apertè vocat eos Confratres & redditos sibi, sicque habetur ibi specialiter & recantatur 10. Calend. Martii in hæc verba: *Obiit Manasses Ecclesie S. Joannis Decanus noster redditus, & hic sepultus.*

Sicut autem celeberrimus Praesul Hugo I. hujus nominis Archi-Episcopus Bisuntinus intendens istam (à se reparatam) Basilicam S. Pauli Canonicam efficere, providerat interim, ut Decanus loci eligeretur à Fratribus, ita quoque verissimum est, tam ante Hugonis istius tempora, quàm post etiam, quamdiu scilicet Ordo & Regula S. Columbanii perstitit, & ultra quo usque sacra Regula Augustiniana illius circa annum 1122. fuit inventa quisque superior Regularis ibi electivus & electus fuit, ita, ut post Praesulaturam quinque Priorum Capitularium, qui ab anno circiter 1131. usque ad annum 1162. Ecclesiam S. Pauli rexerunt, cum institueretur ibi Abbatialis dignitas, omnes & singuli ad hujusmodi gradum sublimati per Canonicam Electionem & suffragia Capituli Regularis fuerunt promoti, donec nimirum Carolus de novo Castro Abbas numero decimus novitatem illuc intulit, ut ipse foret Abbas Commendatarius (utpote simul etiam Archi-Episcopus Bisuntinus) circa annum 1464. constitutus, post quem non nisi Commendatarius, & Clericus aliquis saecularis ad Abbatiam istam fuit promotus vigore scilicet Indultorum Pontificiorum, Concordatorum, Nominationis Regiæ, similibusque obicibus, per quos longè latèque sublatae (fatis durè) fuerunt Electiones Capitulares. Cæterum asservantur in sæpe dictâ S. Pauli Abbatia Reliquiæ seu ossa S. Antydii Martyris & Pontificis Bisuntini, qui passus fuit anno gratiæ circiter 409. regnante Honorio Theodosii Magni filio sub Crofco Wandalorum Duce, id temporis Gallias devastante, pro fide Christi capite truncatus, ejus verò Reliquiæ per Hugonem Primum Archi-Episcopum translatae fuerunt à Ruffeyo ad dictam Basilicam S. Pauli, ibique anno 1144. die 24. Januarii ad aram principem honorificentissimè reconditæ, post verò ad annum 1360. per Joannem de Vienna secundum hujus nominis Archi-Praesulem Bisuntinum relevatae, & in capsâ argenteâ condigno honore reclusæ, quod præter alia monumenta testatur etiam lapis ibidem juxta altare hodiedum conspicuus, simplicissimos id ævi versus inscriptos habens sequentes:

Anno Milleno centum ter sex unâ deno  
Cum his jungendis Julii ter quinque Calendis  
Antydii fossâ tolluntur dignius ossa,  
Ponuntur capsâ, per quæ sunt crimina lapsa.

Potissimum verò corpus S. Donati primarii Fundatoris supra dicti (æternam sursum habens requiem) meritissimè & certissimè hic reconditum asservatur, testimonium perhibente antiquo quodam Bisuntinorum Antistitum Catalogo septingentis ab hinc annis conscripto; in quo inter alia sic legitur: Donatus autem ædificavit Ecclesiam S. Pauli, in qua etiam requiescit in Domino, super quo tamen Abbatia huic amarissimè conquerens nunc ad instar Magdalenaë inferre posset solemne illud ingeminandò, tulerunt Dominum meum (fundatorem primarium) & nescio, ubi posuerunt eum Joannis 20. vers. 13. Nullus enim hominum noverit, quo præcipuè jacet in loco reconditus dictæ Canonice ad S. Paulum, latè nimirum patentis, in qua tres Ecclesiae, seu templa, Claustra &



& Cœmeteria plura à se invicem distincta, nisi (quod verisimilius est) Sancti Martyris atque Pontificis hujus corpus primò fuerit depositum, deinde translatum in Ecclesiam eidem sancto Donato dicatam; quæ scilicet post illius obitum (ex quo sanctitas ab Episcopo, Clero & populo satis superque agnita ac proclamata est) in ejus honorem ædificata fuit, ad latus Abbatialis Ecclesiæ; & hæc eadem S. Donati Ecclesia fuit ab initio, atque etiamnum est Parochialis copiosæ plebis, & districtus satis ampli ab Abbatia sæpe memoratâ quoad collationem Spiritualis munii (uni ex Canonicis Regularibus ad S. Paulum conferendi) cæteraque omnia dependens. Sanctus quoque Vandalinus Burgundiæ Dux, item Pater ipsius & Mater S. Donati isthinc tumulati requiescunt. Similiter S. Migetius vicefimus sextus Archi-Episcopus Bisuntinus ibidem ad S. Paulum manet depositus, ubi pariter jacet S. Ternatus vicefimus septimus Archi-Episcopus: sed præcipuè visendum se præbet in mediò templi tumulus Archi-Episcopi Hugonis I. Restauratoris Abbatia seu Canonica hujus Institutoris ad communem Altarium altitudinem emanans, quem adhuc in vivis degens ipsemet Hugo aptari sibi jusserat: eundem verò tumulum ut providam mortis memoriam fusè laudat Alexandri II. Legatus Petrus Damianus Cardinalis & Episcopus Hostiensis, dum in totâ Epistolæ suæ serie alicubi sic disserit: *Illud autem fateor mihi præ omnibus placuit, quia sepulchrum tuum mihi tunc ostendisti, à te velut hodie suscipiendum.* Enimverò mandavit dictus Præsul Hugo, ut qui ex Congregationibus Ecclesiarum S. Joannis, & S. Stephani Vefontione ad sepulturam suam annuis diebus convenirent, cibi refectionem & potus ea die haberent cum loci (ad S. Paulum subintellige) Fratribus, unde in perpetuo usu est à sexcentis & quadraginta annis, ut ad quemlibet diem 27. Julii completo pervetusto hoc Anniversario (cujus singularis & magnifica solennitas ad quinque circiter horas protrahitur) prandium exhibeatur in Abbatia Canonicis tam sæcularibus, quam Regularibus, eorumque Capellanis, id est hominibus plus minus sexaginta. Item idem Humbertus Archi-Episcopus Bisuntinus (antè Canonicus S. Pauli) diem suum obiit anno 1161 ita referente Necrologio S. Pauli in hæc verba legendo: *Calendis Octobris obiit Humbertus Canonicus noster apud S. Paulum sepultus.* Plerique etiam Principes & Magistratus tam Laici quàm Clerici, & Abbates celebratissimi, nedum ipsius Canonica Paulinæ Inquilini, sed & extranei quoque illic tumulati sunt. Tanti quippe decoris & solatii fuit sibi sepulturam apud S. Paulum delegisse. Illic autem sepeliri, si semper in eum reputatum sit honorem, quem Optimates cupierunt, pariter ibi Vitam ducere sub regulâ & habitu Canonicorum Regularium tanto decori hæctenus, & à sæculis adscriptum est, ut in præsentem ibi sint, & antiquitus ibi fuerint Canonici nati ex Militaribus, Equestribus, titulatis & præciarioribus Burgundiæ familiis: quarum ferè quælibet aliquos ex suo agnomine & stemmate in Canonicos Ecclesiæ S. Pauli suppeditavit, præsertim (quod summæ excellentiæ referas) ex Domo de Vienna (ut patet ex titulis) præ Illustrioribus Illustrissimâ Joannes de Viennâ sub annum circiter 1371. longo satis tempore fuit Canonicus & Regius Vestiarius. Itidem pariter ex potentissimâ & celeberrimâ Domo de Neu Castell seu de Novo Castro. Humbertus de Neu Castell Canonicus S. Pauli, extitit & Prior de Domno-Mariæ, eumque prout talem, Actum Capitulare anno 1448. inter duodecim Capitulares septimum recenset sub Abbate præfidente Simone de Domprè. Imo ex Prælatiis exteris, & Episcopis aliqui, ut venerabilis Pater Joannes Episcopus, & Guilielmus Decanus Bellicensis petierunt recipi, fueruntque annò 1365. recepti in Capitulari Congregatione in Canonicos S. Pauli & Confratres.

### Series Decanorum.

I. WICHARDUS anno 1044. in Decanum constitutus præfuit usque ad annum 1069. & ultra.

II. GERARDUS ad annum 1092. inclytus, idem in gemino Diplomate Hugonis Secundi Archi-Episcopi Bisuntini, & apud Chiffletium in Vefontione part. 2. in statu S. Pauli pag. 201. gloriosè nominatus.

III. ODO, ad quem Bullas suas in favorem Ecclesiæ S. Pauli direxit Paschalis secundus anno 1108.

IV. AYMO, in quo Officium Decani cessavit, & post annum 1122. invecta est in Ecclesiam S. Pauli Regula S. Augustini, prius enim Canonici illam non habebant, sed fortè adhuc sub quacunque tandem Regulâ vivebant, ab Archi-Episcopo loci præscriptâ. Hinc inter Canonicos exortæ contentiones, quod nonnulli ab arctiori vitæ instituto abhorrescerent; quæ tamen dissensiones anno 1131. per summum Antistitem Bisuntinum in

tantum sunt compositæ, ut Canonicis sub B. Augustini Regulâ degentibus Prior posthac præffet, cæteris verò Decanus, cujus tamen posterioris nomen & Officium brevi omnino defecit, reliquis omnibus Charismata meliora æmulantibus, quare deinceps Ecclesiæ huic usque ad annum circiter 1263. soli præfesse cœperunt Priores Claustrales, qui perhibentur fuisse sequentes.

### Ordo Priorum.

I. GERLANDUS, ad quem (ut refert Bollandus in Actis Sanctorum Tom. I. Junii fol. 698.) Ansericus quinquagesimus octavus Archi-Episcopus Bisuntinus leges fanxit concordie inter Ecclesiæ suæ Regulares & Sæculares Canonicos, sequenti anno millesimo centesimo trigesimo secundo, 15. Calend. Octobris. Anno MCXXXII. Innocentius Papa II. Canonicos Regulares Augustinianæ strictioris normæ, in S. Pauli Ecclesiam immiserat dato Diplomate *Cluniaci per manus Aimerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarii tertio Nonas Februarii, indictione X. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXII. Innocentii Papæ II. Pontificatus anno secundo*; quod incipit, *Dilecto Filio Gerlando Priori de S. Paulo*: quo vetuit, ne quis, qui S. Augustini Regulam sequi nollet, in B. Pauli familiam admitteretur. Unde evenit, ut sensim per centum & viginti annos deficientibus sæcularibus anno demum MCCLII. Domus tota in Regulare Institutum consenserit, cui eo nomine primus Abbas præfectus est Stephanus de Cicons, infra nominandus.

II. WICHARDUS seu Guichardus, de cujus regimine ab anno 1138. usque ad annum 1143. continuato, constat ex aliquot titulis, nominatim verò de Bullis Confirmationem Jurium ac Privilegiorum concernentibus per Innocentium II. datis.

III. PETRUS. Hujus sub regimine anno 1153. Fridericus Primus Romanorum Rex, amplissimam Jurium ac quorumcunque Immunitatum Ecclesiæ S. Pauli Confirmationem indulgit: item Humbertus ex Canonico Regulari S. Pauli Archi-Episcopus Bisuntinus anno 1161. Ecclesiam de Adelanges donavit, idem Pontifex & dotavit, præfato anno Calendis Octobris cælis receptus & apud S. Paulum tumulatus.

IV. HIEREMIAS, de quo constat per annos 1180. & 1190. item ejusdem temporibus Henricus VI. per diversa Diplomata, anno 1196. clementissimè impertita, Ecclesiam S. Pauli ac bona illius tam acquisita, ac deinceps ampliùs acquirenda in specialem suam & Rom. Imperii protectionem suscepit.

V. STEPHANUS ex Nobilissima familia de Cicons progenitus, ultimus Prior annis 1227. 1232. & 1238. pluribus titulis inclutus, cujus temporibus cum Innocentius IV. proprio quodam Diplomate statuisset, ne quisquam deinceps Regulam S. Augustini servare detrectans, in S. Pauli Cænobium admitteretur, paulatim ibi defecerunt Canonici sæculares, & sic tandem in eandem sacram Regulam tota Domus consensit; undè (fatagente potissimum Wilhelmo Archi-Episcopo Bisuntino) Officio & nomine Prioratus in totum abrogatò, Abbatialis Dignitas fuit instituta, eaque eodem Innocentio Pontifice Maximo confirmata per propriam Bullam datam Assisii 1253.

### Syllabus Abbatum.

I. STEPHANUS de Cicons jam antè memoratus ex ultimo Priore in primum Abbatem Ecclesiæ S. Pauli constitutus, idem exacto biennio vita simul & Officio suo demortuus anno 1258.

II. OTHO d' Vennes ex Canonico Regulari de proprio gremio in secundum Abbatem ordinatus fuisse nominatur in actis anno 1259.

III. RENAUDUS d' Useès, præfuit (ut perhibent chartæ) anno 1260.

IV. JOANNES I. de Savignèyo totis quadraginta annis Abbatem egit, videlicet ab anno 1263. ad 1304. Hujus sub Regimine Abbatia hæc Bisuntina diversis juribus atque opibus adeo increvit, ut anno 1269. inter Ecclesiam S. Pauli & civitatem Bisuntinam transactum fuerit, quòd in Civitate ista bona immobilia illi recipere ampliùs haud liceat, nisi de speciali consensu Archi-Episcopi, & communi totius Civitatis Bisuntinæ.

V. HU-

V. HUGO de Monte Bozonis annò 1315. Abbas Dei gratiâ Monasterii S. Pauli in titulò nominatus decessit annò 1332. in loco Capitulari depositus.

VI. HENRICUS de Savignèyo per Bullam Joannis XXII. Avenione datam provifus, & fic (vigore refervationis temporalis priùs factæ) in Capitulo admiffus, Abbatia possessionem fufcepit annò 1333. quam tamen post sex ferè luftra denuo dimiffit, fatis extinctus anno 1362. Tumulatur intra Ecclefiam S. Pauli in facello Beatæ Virginis. Legitur fimiliter in actis *Dei & Apostolica Sedis gratiâ Abbas* intitulatus; quod idem ipsum prædicatum etiam aliis hujus loci Abbatibus commune fuiffe & ufitatum, multifariam liquet ex Tabulis.

VII. JOANNES II. de Marigniaco cognominatus, Abbatiale munus fufcepit annò 1362. permutavit postmodùm Abbatiam fuam pro aliâ S. Stephani Divionensis cum Abbate Theobaldo, qui ei in Ecclefia S. Pauli fuffecit.

VIII. THEOBALDUS de Nant Authoritate Urbani V. tum temporis Avenione in Gallis refidentis præfectus, diem fuum obiit anno 1377. & apud S. Paulum tumulum accepit.

IX. HUGO II. de Castellione cognominatus, illico post Theobaldum antedictum cum plenitudine potestatis Abbatiale Regimen fufcepit.

X. JOANNES III. de Valle transversâ folvit (ratione promotionis fuæ) Camera Apostolica feu Petro Arelatensi Archi-Epifcopo Papæ Camerario 150. florenos. Actum Viennæ in Gallis annò 1382.

XI. OTHO II. de Savignèyo terris vivere fimul ac Abbatia præffe defuit annò 1387.

XII. HENRICUS II. de Falerans, provifus à Clemente VII. Schismatico, per Litteras Avenione datas pseudo-Pontificatûs fui annò 9. juxta specialem refervationem ab ipfo factam tempore Prædecefforis fui Othonis, ut in allegatis Litteris amplius continetur. Solvit Henricus iste anno 1388. quadringentos Francos pro Cruciatâ factâ à Domino Comite Nivernensi contra hostes fidei Orthodoxæ. Item ad Instantiam Henrici istius factum est, ut ficut annò 1331. Othonis Comitissæ vidua Margarita Comitiffa Burgundiæ decreverat, Abbatiam S. Pauli de posthac, & quidem perpetuis futuris temporibus, sub speciali protectione Comitum Burgundiæ confervari debere. Item Joannes Gallia Rex annis 1350. & 1351. mandatum Salvæ Guardia concefferat; Philippus Dux Burgundiæ fuâ quoque illam protectione muniret per proprias litteras datas Dolæ annò 1403. Obit autem Henricus Abbas iste annò 1406. Ejus temporibus claruit Joannes Bassandi ad S. Paulum Prior Claustralis, qui postmodùm Monasticen amplexus, transivit ad Ordinem Cælestinorum in Italia, in quo etiam diem fuum obiit famâ sanctitatis passim inclytus.

XIII. JOANNES III. Soardi vel Suhart cognominatus in Decretis, Licentiatu Canonice S. Stephani Divionensis bienniò solùm Abbatiam administravit, quousque nimirum anno 1409. (adinstar Joannis de Marigniaco supra nominati) istam S. Pauli Abbatiam pro aliâ nempe S. Stephani Divionensis de pleno tamen ac prævio utriusque Capituli Consensu quidem commutavit, nihilominus tamen ipse Vefontione vitam finiit temporalem anno 1427. ibidem in Ecclefia S. Pauli tumultatus.

XIV. ROBERTUS de Baubignèyo (aliàs de Carbeton) Decretorum Doctor, Vir undequaque insignis, per recensitam immutationem, imò per Electionem & Confirmationem Authenticè subsecutam in Abbatem S. Pauli Canonicè promotus, Concilio Constantiensi præfens adfuit, & à Joanne Duce Burgundiæ *Intrepidus* cognominatus, licentiam obtinuit ædificandi & fortificandi Castrum feu Arcem Frafnè Abbatia S. Pauli propriam. Sategit autem, Canoniam istam muniri protectione illius, cui à consiliis fuit Philippi cognomento *Boni* Burgundiæ Ducis per litteras Divione datas anno 1420. multaque alia in apertissimam illius utilitatem præclarè gessit; idem aliquando etiam Officio Administratoris Archi-Epifcopatûs Bisuntini laudatiffimè perfunctus, juxta quoque eximia rerum gerendarum peritiâ, passim ubique magni habitus, & honoratus. Tandem ad vitam meliorem translatus anno 1429. cujus corpusculum terris infoffum requiescit in majori Ecclefia ad S. Paulum.

XV. SIMON I. de Clara Valle priùs Abbas S. Mariæ de Golia; cui in hoc munere Pontificiâ Authoritate ipromotus fuffecit Hugo de Rupibus Canonicus & Vestiarius S. Pauli

Pauli; Bullas verò à Martino V. habuit, atque etiamnum seu apud Posteròs clarescit in Tabulis nominatus annis 1429. 1430. 1432. Interfuit (ob jus suum dandi in eà suffragia) Congregationi Metropolitanæ Capitulari. Aduit etiam cum ipso Venerab. Dominus Stephanus de Baufort Prior Claustralis, item loco & nomine Conuentus Joannes de Varges Canonicus ad S. Paulum. Interim sub Abbate isto Simone Præbendas vel immnuere, vel illas realiter solvere, eodem differente, sat magnæ defuper exortæ fuerunt lites & discordiæ; sed & Disciplina Claustralis (Canonicis aliquot solo nomine Religiosis in liberiorẽ vitam propendentibus) sensim elanguit, in tantum quidem, ut iidem Canonici partito seu bifario utentes Refectorio, partim (prout in actis legitur) Abbati, partim verò Priori Claustrali Stephano de Baufort antedictò singulariter adhæserint.

XVI. SIMON II. de Domprè prius Abbas Montis Benedicti, interfuit annò 1462. Electioni Caroli de Novo-Castro in Archi-Episcopum Bisuntinum assumpti, qui etiam ei proximus successit anno 1466. in Abbatia S. Pauli, quam & in ejusdem Caroli favorem ad manus Sanctissimi, ipse Simon renuntiavit.

XVII. CAROLUS ex potentissima id temporis familia de Novo Castro nuncupatâ primùm Episcopus Bajocensis, deinde ad Sedem Bisuntinam promotus, cum natus esset annos viginti unum, confessim (ex quo renuntiavit Abbatia Simon de Domprè antedictus) à Paulo II. ut in Commendam teneret Abbatiam, de eà fuit provisus; quare inter Abbates Commendatarios Ecclesiæ S. Pauli omnium primus anno 1467. per Procuratorem suum realem vici S. Pauli Professionem accepit, immissus ad eam per ejusdem vici incolas Abbatia subditos, qui jurarunt sese præstituros (tanquam Abbati & Domino suo temporali) obsequia debita, & sic Carolus iste hanc novitatem primus omnium intulit, ut scilicet ipse primus foret Abbas Commendatarius, tandem in partibus Normandiæ (aliàs Neustriæ) demortuus anno 1498. cessit adhuc vivens Abbatia S. Pauli in favorem Successoris proximi, qui fuit

XVIII. JOANNES IV. Courtois cognominatus (si tamen is in hoc Abbatum indice collocandus sit) à Summo Pontifice quidem provisus, realem tamen Abbatia hujus Paulinæ possessionem nunquam adeptus, eò quod nempe tam resignans, scilicet Carolus de Novo Castro, quàm resignatarius seu Joannes iste Courtois servitio Coronæ Gallicæ addicti, infensum ambo habuerunt Philippum Primum Hispaniarum Regem, tum quoque quòd Prior Claustralis & Canonici S. Pauli simul in Abbatem elegerint unum ex suis qui fuit proximè sequens

XIX. GUILIELMUS de Mangeroz; quare Philippus Rex antedictus anno 1499. ad eos (Priorem scilicet & Conuentum S. Pauli) rescripsit, quod brevì recursum esset ad Summum Pontificem pro Confirmatione Electionis ab ipsis factæ, quam simul etiam Regiâ Authoritate suâ comprobans administrationem reddituum Abbatia hujus eidem ipsi Guilielmo adjudicavit, interim districtè præcipiens, ne Joannem Courtois antedictum sub quovis prætextu Provisionis Apostolicæ admitterent in qualemcunque Abbatia possessionem; quæ dum aguntur idem ipse Guilielmus Neo-Abbas Electioni de se factæ parum superstes, immaturâ morte est præventus; jus tamen suum & Abbatia possessionem ante renunantiavit in favorem illius, qui proximè subintravit.

XX. PETRUS I. Rolin (cujus Pater Philippi Hispaniarum Regis ac Burgundiæ Ducis antedicti fuerat Cancellarius) Archi-Diaconus Aedunensis, qui non tam dicta cessione quàm de speciali mandato ejusdem Philippi Regis annò Jubilæo 1500. realem Abbatia possessionem accepit; dum interim authoritate Apostolica provisus Joannes apud Curiam Romanam jus suum transtulit in Joannem de Palude, qui quidem ex tunc Abbas fuit designatus, Pontificiam verò Bullam obtinere non valuit: unde ab Alexandro VI. Pontifice sub annum 1503. provisus fuit proximus.

XXI. PETRUS II. de Roseriis, stirpe admodum nobili ac famosâ progenitus, in Abbatem Commendatarium perpetuum constitutus; quo similiter cedente & à Romano Pontifice proximè sequenti Julio II. promotus advenit jam supra nominatus

XXII. JOANNES V. de Palude Illustrissimæ Domûs Burgundiæ Surculus, citò citius plenariæ possessioni Abbatia hujus immissus; inde tamen post annos circiter 24. spontè suâ abdicatus cessit, & alter subintravit.

XXIII.

XXIII. JOANNES VI. de Palude ( Junior ) perpetuâ Abbatiæ Commendâ donatus à Clemente Papa VII. sub annum 1529. tum anno proximè sequenti à Carolo V. Romanorum Imperatore Duce Burgundiæ &c. &c. licentiam obtinuit, capiendi possessionem; à quo eodem Augustissimo Principe sub annum 1532. impetravit etiam Confirmationem Privilegiorum Abbatiæ suæ; quæ tamen ad instantiam Magistratûs sæcularis Bisuntini in tantum fuerunt limitata, ut impostero vicus S. Pauli haud ampliùs posset esse locus refugii furibus & assassinis. Cæterum Joannes iste Junior obiit in Castro de Fraſne nuncupato, eidemque Abbatiæ S. Pauli subdito, ubi etiam in ejusdem loci templo fuit tumulatus; resignavit ante obitum suum Abbatiam illi, qui proximè successit, qui que fuit

XXIV. ANTONIUS de Gorrevod, è familia Ducum de Pondevaux seu Marchionum de Marnay. 12. annorum Puer de speciali consensu Caroli V. Romanorum Imperatoris & Ducis Burgundiæ, per propriam Bullam seu Diploma Cæsareum sub dato Wormatiæ anno 1546. Abbatia S. Pauli donatus, & à sede Romana de eadem provifus, tandem etiam Episcopus Lausanensis factus, præfuit Abbatiæ annis 22. quousque nimirum morte naturali sublatuſ anno 1598. sepulturam accepit in propria Ecclesia sua ad S. Paulum.

XXV. PROSPER à Bauma ex Illustrissima stirpe Comitum de Monvuel proximi Prædecefforis sui Antonii Coadiutor factus, post brevem unius solùm anni administrationem exanimatus, vitam finiit temporalem anno 1599.

XXVI. JOANNES VII. D<sup>s</sup> Aubonne à Priore Clauſtrali & Capitularibus Canonicis S. Pauli Canonicè electus, à Rudolpho II. Rom. Imperatore Archiduce Austriæ & Duce Burgundiæ &c. obtinuit quidem Investituram possessionum temporalium anno 1599. non item suæ Electionis Confirmationem à Clemente Papa VIII. quo fatagente Abbatiæ huic præfectus fuit alius quidam, nempe

XXVII. CAROLUS GAUDENTIUS de Madruce S. R. E. Cardinalis & Episcopus Tridentinus, Romæ plerumque in aulâ Pontificis moratus, cum dehinc ejus absentia plurimum efferveret incrementum potentia Laicalis, Jura & privilegia, item Immunitates, & Franchisæ Abbatiæ hujus per Magistratum sæcularem impeti, & labefactari cæperunt. Obiit tandem Eminentissimus Princeps iste Romæ anno 1629. ibidè que sepultus tumulum accepit in fano S. Onuphrii.

XXVIII. FRANCISCUS de Liuròn ex familia Marchionum de Bourbonne, Prædecefforis sui Caroli Gaudentii Consanguineus, ejusdemque jam ab anno 1622. Procurator, & Abbatiæ Rector, eandem sibi plenariè resignatam ( prævio tractatu desuper habito ) cum reservatione fructuum à Rege Catholico bis in Abbatem Commendatarium nominatus, ac inde in Parlamento Dolano in omnimodam possessionem illius fuit quidem immiffus, verùm cum juxta Regulam Cancellariæ Romanæ, & specificam reservationem seu restrictionem Indultorum, per mortem antè memorati Gaudentii Cardinalis provisio Abbatiæ ad Sedem Apostolicam fuisset devoluta, tunc Authoritate Summi Pontificis Urbani VIII. illi prælatus fuit sequens proximus

XXIX. CAROLUS EMANUEL de Madruce S. R. E. Cardinalis Nepos, cui quasi peregrino extra ditiones Regis Hispaniarum oriundo, quia necessarius consensus suæ Catholicæ Majestatis defuit, ipse lubens sponte suâ cessit.

XXX. PETRUS ALIX Canonicus Metropolitanæ Bisuntinæ, SS. Theologiæ Doctor ab Urbano Papa VIII. provifus ( interim Francisco de Liuron supradiçto hætenus ab anno 1622. in Abbatem S. Pauli quidem consecrato, atque etiam possessione illius instructo, post diuturnas tamen lites in Parlamento Regio fortiter agitatas, per sententiam dejecto ) & tricesimus Abbas factus vir robustæ eruditionis, probitatis, vitæ meritis & doctrinâ clarissimus, deceffit demum & ad plures abiit anno 1676.

XXXI. JOANNES BAPTISTA JOSEPHUS HYACINTHUS de Bauffremont ( comitatu Burgundiæ sub id temporis armis petito, & in potestatem Regis Christianissimi redactò ) ab Eadem Christianissima Majestate sua Petro Alix antediçto adhuc in vivis existente, anno 1675. die 19. Decembris in Coadiutorem datus, & post fata illius à Priore Clauſtrali solemniter quidem immiffus, hujuscemodi tamen dignitate haud diu potitus, tam Abbatiam istam Bisuntinam S. Pauli, quàm etiam Luxoviensem S. Petri ( quà singulariter fuit instructus ) ultro dimisit, ad sæculum inde reversus, utpote adhuc in

flore Juventutis constitutus, dum adhuc Parentem suum superstitem habuit Marchionem de Maximieux Aurei velleris Equitem; Decus autem istud (si tamen talia licet annectere) familiare est Illustrissimæ huic Profapiæ & Gentilitium, cum in ipsa primitiva institutione hujusmodi Ordinis anno 1429. à Philippo Bono Burgundiæ Duce etiam Petrus de Bauffremont Comes de Charni cum aliis Clarissimis Heroibus fuerit adscriptus, & *Eques Aurei Velleris* nominatus.

XXXII. CAROLUS EMANUEL de Bauffremont, Joannis Baptistæ Prædecessoris proximi Germanus Frater natus Minor à Christianissima Majestate suâ in Illustrissimam familiam de Bauffremont pluribus titulis clementissimè beneficâ, Abbas S. Pauli Bisuntini, & S. Petri Luxoviensis nominatus, id temporis felicissimè præsidet, cujus Reverendissima ac Illustrissima Amplitudine suâ ut plurimum satagente, simulque perficiente Reverendissimo Religiosissimo ac Clarissimo Domino Hieronymo de Cecile Magno Priore Bisuntino sæpe dictæ Ecclesiæ hujus ad S. Paulum Canonico Regulari Augustiniano, Dominis ac Patronis mihi respectivè gratiosissimis, observandissimis, ad instantiam meam recensita hæc in rem præsentem fuerunt communicata, qualiter attestantur geminæ Epistolæ Vefontione gratiosè in id mihi directæ, quarum prima à moderno ad S. Paulum Bisuntini Collegii hujus Abbate Commendatorio Carolo Emanuele de Bauffremont jam ante memorato data sic habet:

Reverende admodum Pater, Domine Eruditissime.

Tuas nuper accepi litteras, & in iis, quòd scripseris Tractatum, in quo recensendas suscepisti plurimas Ecclesias, & Collegia, Ordini Canonicorum Regularium addicta, qualia visenda se præbent in Germaniâ, qua opinione itidem ad Germaniam vestram spectantia, Lotharingia, & Comitatu Burgundiæ. Hujus igitur antiquæ Operis complementum ex nunc, ego tibi gratulor, totique Ordini, cujus in honorem elucubratum à te fuerit. Quod autem à me expetis; id satis in manibus & compertum jam habes ex narratione, quam meæ isti Epistolæ à tergo adjunctam reperies. Rem enim citò contuli cum Priore Claustrali meæ Abbatiae Bisuntinæ, Venerabili Domino Hieronymo de Cecile, qui circa foundationem & casus tam prosperos, quam adversos per vetustæ istius Abbatiae hæc pauca è multis selegit (brevitati consulens) quæ ad te remittenda censuimus. Monuimus insuper, & rogavimus Abbates Montis - Benedicti, & de Golia (nam sunt isthæc tres hujus Ordinis Abbatiae, non amplius) eorumque Priores Claustrales, ut tibi intimarent res suæ quisque Abbatiae. Prioratum major quidem numerus; sed in Commendam dati modò omnes; imò fraudati, Chori deseruitiorum; nisi quòd in Prioratibus de Lantenans, & de Valle hinc inde subsistit hætenus unus aut alter Canonicus. Regularium verò Canonicarum seu Fæminarum Ordinis S. Augustini Domus nullæ sunt in Burgundiâ, etsi in Belgio, & in Lotharingia permultæ. Cæterum noverit atque firmiter reputet Reverenda admodum Paternitas tua (qualiacunque postulare libeat) promptum me illi semper affuturum; Sum etenim

*Domine mi eruditissime*

Ex Castello nostro de Sèy supra Sayónam, (seu Ararim)  
die Octobris 26. anno 1686.

Paternitatis tuæ Servus, sive Amicus  
in tua commoda & desideria pensissimus

CAROLUS EMANUEL DE BAUFFREMONT.

Item Exemplar alterius Epistolæ ab Hieronymo de Cecile Magno id temporis Bisuntinæ Ecclesiæ Canonicorum Regularium S. Augustini Priore Claustrali itidem gratiosè ad me datæ sic sonat.

Reverendissime Pater, & Domine mi Colendissime.

Statim ut audivi benevolam Reverendissimæ Paternitatis vestræ cupiditatem sciendi statum Abbatiae Nostri S. Pauli) circa quod propriæ illius litteræ tribus abhinc mensibus directæ

„ directæ ad Illustrissimum Commendatarium Nostrium Dominum de Bauffremont ) ego,  
 „ inquam, qui tum ex vi Regulæ S. Augustini, tum ex Concilio Tridentino Sess. 25.  
 „ cap. 20. & 21. Titularis, verique Abbatis non existentiam suppleo in Spirituali Regi-  
 „ mine; sic in exarandâ hac materiali & sequente narratione vices dicti Illustrissimi Do-  
 „ mini Commendatarii simpliciter Clerici, ac Adolescentis, rebus omninò aliis impliciti  
 „ libenter & necessariò gerens; huic operi, qualicumque, manus admovi. Equidem va-  
 „ rios eventus veteris istius Abbatia, sive fluxus illius & refluxus ( felicius quàm Ari-  
 „ stoteles in Euripo ) nosse isthïc potui, aut debui. Ego, qui jam ab anno 1657. in  
 „ ætate viginti tunc annorum factus Magnus Prior Clausuralis S. Pauli Archivum no-  
 „ strum, & titulos hætenus ferè omnes sæpissimè iustravi. Nec proinde fuerat, cur  
 „ apud Reverendissimam Paternitatem vestram, quæ nostrorum Catalogum Abbatum  
 „ sciscitata est; pusillus ego nimium per propriam Nomenclaturam quovis modo designa-  
 „ rer: cum etiam periculosum fortè ( adèd veritas odium parit ) aut saltem superfluum  
 „ foret addere, quòd de ipsamet istâ Abbatia sub initium anni 1678. à Catholico Hispa-  
 „ niarum Rege provisus ego quoque fuerim; sed frustra, ob subsecutam intra menses  
 „ abhinc octo cessionem istius Provinciae in commodum Christianissimi Regis Francia,  
 „ sollicitè igitur de me ipso & fructuosè tacebam; donec præfatus Abbas Commendata-  
 „ rius D. de Bauffremont me quasi à latibulo modestiæ viâ facti depulit; dum secundam  
 „ studiosè seu consultò dedit hic Epistolam; ubi aliqua Laconicè sive breviter, sed &  
 „ Atticè sive adulatoriè de me prolocutus est. Ultra quod institit hortabundus, perque  
 „ suas literas rogavit, ut meo etiam nomine scriberem: nempe, ajebat, convenire, ut  
 „ qui meam impendissem operam, atque historicum scriptum edidissim: illud utique Re-  
 „ verendissimæ Paternitati vestræ propriis offerrem verbis. Itaque benignis quæso in-  
 „ tueatur oculis istas officiosæ meæ servitutis Arrhas, licèt tenues. Æquo quidem diu-  
 „ tius divagata est huc & illuc ( ex quo mea è penna decidit ) præsens hæc Epitome fun-  
 „ dationis & Jurium Ecclesiæ nostræ: decuerat enim ipsam ante omnia exhiberi dicto Il-  
 „ lustrissimo D. de Bauffremont, etsi ad duas abhinc dietas commoranti, imò nec sub-  
 „ trahi debuerat curiosæ indagini ac æmulationi Dominorum Abbatum, & Canonico-  
 „ rum Regularium Montis-Benedicti, & de Golia; quorum omnium morositas in re-  
 „ mittendo ad me hoc idem scriptum non modicum exinde tempus absumpsit, ubi primùm  
 „ id recepi, singulos modos, quantumvis difficiles, quibus tutò transmitteretur, & ad  
 „ Canoniam vestram de Wettenhausen bonis avibùs abiret, diligenter exquisivi: quip-  
 „ pe qui averem ipsemet nedum vestris obsequi mandatis, sed & iis adimplendis citò  
 „ citiùs advolare. Sic utique ( quod profiteor sincerè ) mihi ipsi videor esse præ cæteris  
 „ & verè sum saltem in votis,

Reverendissime Pater & Domine

Reverendissimæ Paternitatis Vestræ

Humillimus, obsequentissimus & addictissimus ubique

Vesuntione in Abbatia nostra  
die 7. Novembris 1686.

Famulus HIERONYMUS de CECILE  
Prior S. Pauli Bisuntini.

Celeberrima hæc S. Pauli Abbatia multis olim Scriptoribus illustribus claruisse re-  
peritur, ex quibus pleròsque hïc subjicimus.

AUGUSTINUS NOVIAT Gallo-Burgundus & hujus Abbatia Professus Ca-  
nonicus, claruit anno circiter 1618. & post se reliquisse perhibetur Sacra quædam Poëmata.

De Gloriosa Transfiguratione Christi Domini in monte Thabor,

De Gloriosa Ascensione illius in monte Oliveti,

De tremenda illius Majestate in fine mundi ad judicium venturi.

CONRADUS HERMET, natione Burgundus, & hujus loci Regularis Canonicus,  
Decretorum Doctör, claruit sub decursum sæculi decimi quarti scripsitque

De Jure Episcopali Lib. 1.

De Templis & Mansionibus facta tecta servandis Lib. 1.

De Decimis sine fraude solvendis Lib. 1.

De Exemptione à foro Politico constanter à Clericis tenendâ Lib. 1.

CONRADUS MANNES natione Gallus, & in Burgundiâ hic ad S. Paulum Professor, in divinis æquè ac humanis litteris experientissimus, claruit sub decursum sæculi decimi sexti & doctissimè commentatus est

- In Leviticum Lib. 1.
- In Librum Judicum Lib. 1.
- In Jonam Prophetam Lib. 1.
- In Acta Apostolorum Lib. 1.
- In Apocalypsin D. Joannis Lib. 1.

EUWARDUS FESSOLA Burgundus, patriâ Falconiacensis anno circiter 1303. in Canonicos celeberrimi hujus Collegii adscitus scriptis quorum sequentes sunt tituli, floruisse legitur

- De Sacrificio Jephthe Lib. 1.
- De Samsone à Judæis excæcato Lib. 1.
- De Arcâ Testamenti à Philistæis captâ Lib. 1.
- De Morte Heli Sacerdotis & Filiorum Ophni & Phinees.

RAPHAEL NEZER, Asceta perfectissimus, & meditationi Dominicæ Passionis affectuosè intentus, inde etiam sub finem sæculi decimi quinti composuit

- De Bajulatione Crucis Christi Lib. 1.
- De Morte & Sepulturâ ejusdem Lib. 1.
- De Signis in Morte Christi Lib. 1.
- De Sepulchro Domini Lib. 1.

ANTONIUS MALUTUS natione Burgundus, ejus loci Canonicus Regularis, vixit anno circiter 1484. & scripsit carmine Hexametro jucundissimè legendam

Historiam corpusculi S. Catharinæ Virg. & Mart. post hujus mortem ab Angelis in montem Sinai deportati.

ANTONIUS FISCHERIUS, natione Burgundus, in Canonicum hujus celeberrimæ Abbatïæ assumptus, circa annum 1462. Studio Philosophiæ deditissimus scripsit

- De Radio Solis.
- De Flamma ignis 49. cubitis è fornace Babylonica erumpentis.
- De Mandibula Afine Samsonis.
- De Torrente voluptatis cælestis.
- De Raptu Eliæ Prophetæ in curru igneo.

ANTONIUS CARACELLA Burgundus, insignis hujus Collegiæ Ecclesiæ Canonicus, inter alias scientias præsertim in Mathesi excelluit, unde & circa annum 1342. hæc Mathematica concinnavit opuscula:

- De Numero & distinctione Syderum Lib. 1.
- De Anno Solari liber unicus.
- De Eclypsi Solis & Lunæ Lib. 1.
- De Studio Astrologiæ nunquam non magni facièdo Lib. 1.

ALPHONSUS SPONETTE, natione Burgundus circa annum Christi 1346. Religionem Canonico-Augustinianam hic loci professus, Studio Philosophico quoad vixit plusquàm sagaciter intentus, sat magna diligentia coordinasse perhibetur pretiosa quædam opuscula, quæ præ reliquis fortè etiamnum latentibus sunt sequentia:

- De Elementis Lib. 1.
- De Eclypsi Solis & Lunæ Lib. 1.
- De Meteoris Lib. 1.
- De tremore terræ in Resurrectione Christi Domini Lib. 1.

HUGO WANDERSLES Gallo-Burgundus Can. Reg. ad S. Paulum in Civitate Bifuntina Professor, claruit decurrente sæculo decimo quarto, & sacrarum scientiarum plenus doctissimè commentatus est in plures Bibliorum libros nominatim autem



In Leviticum Lib. 1.  
 In Librum Ruth Lib. 1.  
 In Job vatem Hussæum Lib. 1.  
 In Cantica Canticorum Lib. 1.  
 In Daäielem Prophetam Lib. 1.  
 In Duodecim Prophetas minores Lib. 1.  
 In Epistolam ad Galatas Lib. 1.  
 In Acta Apostolorum Lib. 1.  
 In Apocalypsin Lib. 1.

## BLOEMENBERGENSE.

**P**Ræclarum olim hujus Nominis in Westphaliâ & quidem usitato paris nominis oppido *Bloemenberga* dicto Canoniorum Regularium Ord. S. Augustini de Venerab: Congregatione Windesimensi Cœnobium, hoc tamen de primævo fui exordio nobis adhuc incognitum, utpote perdurante superiori ætate, diuturnâ bellorum calamitate, fortunis ac possessionibus suis plusquam violenter exutum, ac spoliatum evasit. Quapropter reparationis alicujus unde unde faciendæ spem omnem amisit, nudam solum sui nominis memoriam Posteris relinquens, apud Miræum de Can. Reg. cap. 13. fol. 67. ubi Scriptor iste ipsissimum hoc Bloemenbergense Cœnobium, dum olim adhuc inter cætera memoratæ Congregationis suæ domicilia salvum & integrum constitit, titulo *SS. Corporis Christi* famosum atque adeo præ multis honoratum inclaruisse scribit.

## BODECENSE.

**M**onasterium Diœcesis Paderbornensis in Westphalia de Capitulo seu Congregatione Windesimensi jam pridem famâ notæ sanctitatis inclytum, primùm pro Canonissis (ut ait Kranzius in Metrop. Saxonie lib. 1. cap. 16.) sub regulâ degentibus anno gratiæ humanatæ 817. institutum, Fundatorem habere meruit S. Meinulphum Cathedralis Ecclesiæ, quæ & ipsa tum temporis adhuc Regularis fuit, itidem amplius suo loco recensenda infra, Paderbornensis Canonicum Regularem & Archi-Diaconum, qui post universam Saxoniam, cujus etiam magna pars tunc reputata fuit occidentalis terræ hujus Provinciae hodie *Westphalia* communiter appellata, sub annum gratiæ 785. à Carolo Magno Romanorum Imperatore non tam armis subactam, quam à nefandâ avitæ gentilitatis idolatriâ liberatam, & ad salvificam Christi fidem felicissimè deductam, adhuc quinquennis puer (Patre quidem jam prius in castris extincto, Matre tamen Wiltrade adhuc superstite, & in sua arce, patrio gentis vocabulo *Altbodiken* appellata, eaque non nisi modico semihoræ spatio à Monasterio isto sejunctâ, tunc temporis commorante) baptizatus, & ab eodem Carolo Imperatore è sacro Fonte levatus est, tum eodem Augustissimo Patrino suo connitente, in discipulum datus fuit Baduârdo (aliis Badurando) secundo Ecclesiæ Paderbornensis Episcopo; à quo Meinulphus iste noster non tam litteris quam moribus solerter excultus. Jam adolescentior factus, repudiato sæculi fastu, in Clericum attonsus, & Paderbornæ in novum Regularem Canonicum Cathedralem assumptus est; post etiam Archi-Diaconatûs Ministerio condignè deputatus, totum suum (quod largissimum habuit) patrimonium ad pias, uti loquimur, Causas erogare statuit, idque dum in opus redigere sollicitus intendit, fortè in valle Bodecensi, ex hæreditate paternâ in plenam possessionem adeptâ, deambulans, in speciosum adeo raræ magnitudinis cervum, altius in cornua formatum sanctæ Crucis Dominicæ simulacrum bellè gestantem; quo eminens perspecto, Meinulphus confestim præ gaudio Davidicum illud Psalm 131. v. 6. exclamans intulit: *Ecce invenimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis Sylvæ &c.* atque unâ simul secum statuit, in eodem loco conceptam adstruere Ecclesiam, quam & de prævio consensu Ludovici I. cognomento Pii Romanorum Imperatoris pro tunc Aquisgrani in generali Principum seu statuum Ecclesiasticorum Germaniæ conventu commodè subsistentis, in id clementissimè condonato, moliri cœpit præfato anno supra octingentesimum decimo septimo in honorem sanctissimæ DEI Genitricis Mariæ; item S. Joannis Baptistæ Præcurforis Domini, & S. Antonii Ægyptii Abbatis; quæ tandem perfecta atque omnibus numeris absoluta, sed & ritu solenni de more dedicata posteris annis in Patronum etiam accepit piissimum Fundatorem suum S. Meinulphum, tam in supernis inter beatos Cœlites gloriosum, quam etiam in terris inter Viatores mortales miraculis clarum. Cæterum fundus, in quo Cœnobium istud ortum sumpsit & initium, vallis est inter duos montes benè conspicuos amœnissima; & rectè talis, qualem descripsisse videtur Regius Vates Psalm 103. v. 15. his verbis: *Inter medium montium pertransibunt aquæ &c.* Rivulus enim isthic loci limpidissimus è petrâ scaturiens Monasterio suo suppeditat aquas,

quotquot in usum quotidianum habet necessarias; inde communiter *Fons S. Meinulphi* vocitari solitus, eò quòd S. Confessoris hujus precibus à DEO creditur fuisse impetratus. Porro locus foundationis totà situatione suà gratissimus, & denso nemore opacis Paderbornà notissimà Civitate Episcopali Westphaliæ tribus horis distat patriâ voce *Neubodeken* (& sic quidem ad distinctionem supra dictæ artis *Altbodeken* nominari solitæ) vulgariter appellatus, idem Latinis *Bodeka* & *Bodekena* aliquando dictus, non item *Boka*, quod est castrum ad Lippiam fluvium situatum. Quod reliquum est, ipse S. Meinulphus sæpe fatus fundator Bodecensis in Domino requievit (uti verior habet) annò Christi 848. ætatis suæ 71. die 5. Octobris, de quo vetustum quoddam Martyrologium Bodecense ut aliud (quod est Regularis itidem vicinæ Canonix Dalheimensis) tale: *Tertio Nonas Octobris in Saxoniâ occidentali, quæ nunc Westphalia dicitur, apud Civitatem Paderbornam in Monasterio Bodecensi depositio S. Meinulphi Diaconi, Monasterii & Ecclesiæ Fundatoris; cujus vita & mors signis variis & virtutibus illustris fuit; cujus itidem viri sancti elogium apud Kranzium loco jam supra citato Cap. 16. tale est: Erat tum in eâ (Paderbornensi) Ecclesiâ Meinulphus Clericus, quem pro Nobilitate generis ipse Carolus de sacro fonte levavit.* Matrem habuit Wichtrudem speciosam moribus & vultu foeminam: quam quia marito defuncto frater ejus contra legem Christianam uxorem improbè petebat, Rex illam in singularem suscipit protectionem, & vim stupri cohibet. Hic Meinulphus in eâ Ecclesiâ Archidiaconi fungitur Officio, ferviens DEO in omni sanctitate, & Justitiâ: cumque locuples illi esset patrimonium, convertit hoc in usum sacre Religionis, Monasterium Dominarum sub regulâ exædificans in villa Bodiken, quod quia diuturnâ negligentia (cum ibidem Religio dilaberetur) in omnem sordem obsoleverat, avorum nostrorum memoriâ Regulares Canonici, permittente Pontifice, commendatum acceperant, in omnem decorem resloruit mutato sexu, sed reformatâ dudum collapsâ Religione. Ad Meinulphum redeamus, cujus ea fuit Sanctimonia, ut & in vitâ & in morte multis clareret miraculis & in catalogum Sanctorum sit adscriptus. Festum ejus quinto Octobris peragitur, quem proinde diem *transitus ejus conijcimus contra Sigewardum*, qui lib. 1. cap. 13. scribit: *ipsum tertio Nonas Novembris è vivis discessisse.* Sepultus est autem ipse S. Meinulphus in propriâ suâ (quam propriis impensis novam fundavit) Ecclesiâ Bodecensi juxta locum, in quo Cervum supra dictum viderat, ubi & aram principem constituit isthic loci in pace reconditus usque ad tempus illud, quo Religiosa Domus hæc Meinulphiana sexum æquè ac Ordinem mutavit, & pro Partheniis Domicellis Canonicos Regulares (ut ante dictum est) suscepit de Venerabili Congregatione Windesimensi sumptos; horum enim studio, & labore, templi Chorus, è priore fundo suo nonnihil elevatus altiorem etiam (juxta regulas Architectonicæ) Venerabilis sepulturæ positionem exigebat; novo altari (quod etiamnum *S. Meinulphi* dicitur) pro tunc desuper extracto, prout hodiedum coram visitur: secus vero Paderbornæ (uti Henricus Pantaleon damnati nominis Author lib. 2. de Viris Illust. Germanum accepit; cujus sanctitatem (decernente eo, qui glorificantes se glorificat, & in sanctorum honoribus honoratur) plura comprobârunt Miracula, ad vota Supplicum multifariam edita: unde & Biso Quartus numero, Supremus Paderbornensis Ecclesiæ Prælati, regnante Arnulpho sub annum gratiæ 992. terris defunctus, sacra ossa de tumulo levavit, multis gratis & privilegiis desuper impertitis, Translationem istam Cælo gratam asserentibus; tum ea publicæ venerationi Christiani populi fervore specialiter venerari cœpta, nullis non temporibus etiam iniquissimis apud Canonicos Bodecenses usque in præsens religiosissimo cultu condignè retinentur. De solemnî verò S. Meinulphi hujus in numerum Beatorum Cœlitum Adscriptione, seu (uti vocamus) Canonizatione certi quicquam nihil constat, eo quòd ante tempora Innocentii II. Papæ, & Alexandri III. hujuscemodi ritus admodum simplex tantum habebatur, peragebaturque solâ super defuncti corpus altaris alicujus erectione; post verò labentibus annis multum illustriores & augustiores adhibite fuerunt Cæremoniæ, qualiter primò videre fuit in Canonizatione S. Hugonis Episcopi Gratianopolitani, & Divi Bernardi Abbatis Claravallensis, teste Merino de Pœnit. lib. 10. cap. 20. communiter tamen iste Meinulphus noster Servus DEI titulum & nomen *Sancti* ubique ipse possidet, & dies Natalitius ejusdem (uti jam supra dictum est) quot annis solennis habetur tertio Nonas Octobris; quem eundem diem Venerabilis Pater Arnoldus Hulfius, Prior Bodecensis, numero & ordine sextus, quot annis de posthac festivo ritu celebrandum procuravit, & impetravit; ex quo prius per totam Westphaliæ Provinciam plurimum adauctus fuit sacer Dulciæ cultus Beato Meinulpho Confessori deferri solitus; templis etiam, & Altaribus ad id pientissimi obsequii passim constructis; quale etiam nostris temporibus insigne quoddam altare beatissimo Sospitatori suo gratus in ipsâ Bodecensi Ecclesia magnis sumptibus apparari quidem constituit, qui quamvis immaturâ morte præventus absolvere haud potuit, potuit tamen mortuus, & post fata sua per alios absolvi voluit Celsissimus ac Reverendissimus Princeps ac Domi-

nus Dominus Ferdinandus de Fürstenberg Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Paderbornensis S. R. I. Princeps &c. qui anno 1665. de gravissimâ corporis infirmitate ex voto restitutus, pretiosissimum quendam obtulit calicem argenteum undique deauratum, novam quoque tumbam magnis sumptibus fieri voluit affabrè factam & elaboratam; in qua novissimè sub annum 1682. condigno honore repositæ fuerunt ejusdem S. Meinulphi Reliquiæ; cujus Beatissimi Confessoris reliquam vitæ historiam vide, si placet, apud Surium Tom. 5. die 5. Octobris legendam; cui nos hic brevitatis causâ substituimus Lectiones secundi Nocturni à Canonicis Bodecensibus, & omni Clero Diœcesis Paderbornensis præstituto festo die recitari solitas, ut sequitur.

## Lectio IV.

Meinulphus natalium splendore & opum affluentia in Westphaliâ Clarissimus, à Religiosissima Matre Wichtrude (Patre non ita pridem Christiano vitâ defuncto) ad Carolum Magnum post devictam Patriæ istius gentem, Christoque ut plurimum subjugatam; puer jam ad ambulandum promptus est adductus; quem Carolus paternè suscipiens, Baptismatis undis de sacro fonte eum levans, Meinulphi nomine statim ablui curat, ac subinde viro notæ sanctitatis Badurado secundo Paderbornensis Ecclesiæ Episcopo tradit; apud quem scholaribus primùm, & regularibus dein disciplinis erudiretur. Hic cum postea scientiâ, quantum opus, provectum, ac fratribus prædictæ Ecclesiæ, ut sub vitâ regulari pietate ac moribus proficeret, commendatum, succedente ætatis maturitate, attentis in eo morum gravitate, ac virtutum variarum indiciis ad Secretarii Episcopalis munus admovit. Erat quippe ingenio acutus, corpore castus, mente devotus, justitiâ pollens, temperantiâ præditus, elemosynis largus, providus in consilio, fortis in adversis, linguâ facundus, & formâ decorus, unde & ad sacros vocatus Ordines, factus Diaconus, ad Archi-Diaconatûs dignitatem evectus est, in quo usque ad finem vitæ permansit. Cùmque vice quadam Baduradus Episcopus inter cæteras Collationes sibi solitas quæstionem proponeret, quid sibi Christus voluerit hisce verbis: *Vulpes foveas habent, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet*, Mystica alicujus circumstantium interpretatio ab Episcopo approbata, quod Christo cordis nostri habitaculum sibi quærenti, peccatis nostris obsistamus, animum Meinulphi tantò Christum in cordis hospitium recipiendi accenderit desiderio, ut materialem etiam Ecclesiam ei præparare summis animi votis optaret.

## Lectio V.

Cum itaque de apto ad id loco sollicitus esset, divinitus accidit, ut subulcus in sylvis hæreditariis ex improvise splendorem miræ lucis inter arbuta, cum discurrentium hinc inde Cervorum multitudine conspiceret, eaque visione percussus prodigium Domino significaret, qui de consilio Episcopi, id pro divino habentis ostento, locum ipse visitans, dum caliginosâ nocte devotis precibus genuflexus intenderet, eandem, prout subulcus narraverat, visionem per omnia vidit: quam quoque visionem pro majore Divinæ Voluntatis argumento à DEO secundò petivit, magnòque suo & Episcopi gaudio obtinuit, quare, impetrato prius Imperatoris consensu, ædificium in eodem loco designat, pro quo cum spatii capacitatem ac qualitatem inspiceret, aliud ei divinæ aspirationis indicium patenter occurrit. Nam eo in loco, quo nuper viderat cervas motibus instabiles, nunc cervum præstantis corporis erectis in altum cornibus (inter quæ signum Dominicæ splendebat Crucis, omnem auri fulgorem superantis) vidit accumbentem, moxque sibi assurgentem & denuò, acsi Virum sanctum veneraretur, se prostermentem in terram: quo viso exaltabundus ait: jam mihi spes certa promittit, quod ille, qui quondam eodem vexillo inferni claustra penetravit, hujus loci protector contra diabolicos erit incursum; quibus immorans verbis cervum non vidit ultra. Tum Vir sanctus vocatis operariis, singulis opera distribuit, locoque purgato fundavit Monasterium cum suâ Ecclesiâ, multa depaternis bonis prædia eidem conferens, & Congregationem Canonicarum ibidem instituens, locumque nomine NEUBODEKEN insignivit, ubi postea contigit, ut Monialium uni, domum Monasterio vicinam ingredienti, & capillos ad focum peccine discriminanti, peplum capitis ponè se incautè depositum in ignem ceciderit, quo flammis correpto vix fimbrias ab igne retraxit, multum illacrymans, quod alio, quo tegetetur, careret; cui superveniens Meinulphus commiseratione motus, verbis primò, dein factò mirabili solatus est; quando fufis ad DEUM precibus ex collectis adusti velaminis reliquiis ipsum integrum restituit ejulanti injungens, ne fatum cuiquam revelet, quod hodièque velum, ut traditur, inter sacras hujus Sancti reliquias asservatur adhuc vestigiis notatum.

## Lectio VI.

**T**Andem, confirmatis pluribus pro DEO atque Ecclesiâ laboribus, tempus adfuit; quo Servum suum Dominus ad æternam coronam invitaret, quando plenus virtutibus, & ætate gravis tertio nonas Octobris migravit ad Dominum, corpore intra fundatam ab ipso Ecclesiam deposito, quod priusquam humaretur, reviviscens, sèque, prout supinum in feretro jacebat, erigens, apertisque oculis circumstantes gravibus hisce verbis affatur: quia viam universæ carnis vobis præsentibus ingressus, iterum vitam promerui, Summæ Trinitati gratias agite, quoniam vestræ curæ causâ factum est, & precibus apud Genitricem DEI obtinere hoc merui, non facillè mihi erit, ne secundò, licèt non ita ut nuperrimè acerbam gustare mortem; Ite, precor, ad Episcopum, & quàm multis Monasterium hoc ædificaverim sudoribus admonentes, petite, ut quæcunque hic à Congregatione eligatur Abbatissa; licèt ancillæ filia sit, non interdicit hoc illi quia exutus corpore didici, quid de illis fieri oporteat, qui Pastores Ecclesiarum esse videntur. His ita dictis, oculos clausit, sèque reclinavit in loculum, unde se priùs erexit; ad cujus sepulchrum alii miraculorum præteritorum famâ, alii spe futurorum excitati, copiosè confluebant; unde famulæ DEI illud ob reverentiam linteo cooperuerunt, unàmque ex se, singulariter devotam, ad ipsius & luminarium ejus custodiam deputârunt, quæ quadam vice sopore depressâ, ardentem cereum in modum circuli retortum linteo nudo impositum reliquit inextinctum, quem deinde experrecta, & recordatione cerei ita relictî conturbata, deprehendit panno profus illaeso, favillis solum relictis, sui ipsius ardore consumptum; unde magnificabant omnes DEUM, qui Sancti Meinulphi merita iterum post mortem, eò quò ante in Vivis modò, per ignem manifestavit. Possederunt autem deinceps Reliquias viri sancti unâ cum Monasterio Canonice, donec annò Christi Millesimo quadringentesimo octavo successerunt, vocante eos Wilhelmo de Monte, Episcopo Paderbornensi, è Swollensi Bethlemo, Canonici Regulares S. Augustini multiplici Religionis incremento, & novendecim Monasteriorum per ipsos quâ inchoatorum, quâ instauratorum accessione.

Et hoc de Sancto Meinulpho Confessore Canonico Regulari & Archi-Diacono Paderbornensis Ecclesiæ Cathedralis, Viro magnis meritis onusto, quibus isthic prætermissis digredimur ad ampliùs prosequendam Historiam Ecclesiæ Bodecensis: in quâ memoratæ Regulares Canonice ultimis temporibus turpiter cheu! defecerunt, & antiqua vitæ Religiosæ pietate ex otio, & illicitis voluptatibus mundanis pessimè labefactatæ; jam ad paucissimas redactæ, præter famam suam in fine malè custoditam, vix vitam sibi servant, etiam Ecclesiam & Monasterium suum (Wennemaro de Fürstenberg illius Advocato, & Defensore, sacrilegâ metamorphosi in perniciosissimum Devastatorem, & capitalem inimicum mutato, eodémque ex instinctu Nobilium de Brecken adversariorum cane pejus & angue iniquissimorum, anno 1390. sacris ædibus flammis subjiciente) perdiderunt; è quibus Abbatissa Walburgis de Wilde in perexiguo solum (quod hodie dum perstat) tugurio cum unicâ tantùm degens famulâ, rebus omnibus destituta, tandem post octo decennem abominationem desolationis miserrimè sustentatam, annua pensione ex residuis proventibus ad dies vitæ sibi reservata, totam suam Abbatiam Bodecensem cum queisvis appertinentiis & juribus plenissimè resignavit ad manus Ordinarii, prout ampliùs de hoc constat ex publico Instrumento, ad perpetuam rei memoriam per manum Notarii ad id confecto; quod tale est:

## In Nomine Domini Amen.

„ **U**Niversis & singulis quorum interest, vel quomodolibet interesse poterit, per præ-  
 „ sens Instrumentum publicum pateat evidenter, quòd anno Nativitatis ejusdem  
 „ Millesimo quadringentesimo octavo, Indictione primâ mensis Septembris, die primâ  
 „ horâ vespertinâ vel quasi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri  
 „ Domini Gregorii Divinâ Providentiâ, Papæ II. anno secundo in mei Notarii publici  
 „ subscripti, testiùmque infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præ-  
 „ sentiâ personaliter constituti Reverendus in Christo Pater & Dominus Dominus Wil-  
 „ helmus Electus Ecclesiæ Paderbornensis & confirmatus parte ex unâ, & Venerabi-  
 „ lis Domina Walburgis de Walde Abbatissa Monasterii Bodecensis Paderbornensis Diœ-  
 „ cesis parte ex altera, habito tractatu inter eos super resignatione Abbatie prædicti Mo-  
 „ nasterii per ipsam Dominam Abbatissam ob spem reformationis ejusdem Monasterii fa-  
 „ ciendæ, & super usufructu certæ pensionis eidem Abbatissæ ad vitam suam de bonis  
 „ præfati Monasterii ministrandæ in arbitros seu arbitratores videlicet honorabiles Vi-  
 „ ros Dominos Bertholdum Besselim Thesaurarium, & Witikindum Spegel Cantorem  
 „ Ecclesiæ

„ Ecclesie Paderbornensis predictae ad hoc per Dominum Electum supra dictum, strenuos viros Ravenonem de Brenken, & Hermannum de Sterzen famulos ad idem per ipsam Dominam Abbatissam electos sponte & liberè concordabant sub hac formâ. Quod priusquam arbitri five arbitratores supra dicti super quantitate, formâ, & modo usufructus supradicti concorditer determinarent, hoc partes supradictae absque contradictione inviolabiliter observarent; si autem super præmissis inter se concordare non fierent, tunc partes ipsae pronuntiationi & definitioni honorabilis viri & Domini Domini Henrici Westphaler Camerarii Ecclesie memoratae, quem ad hoc in arbitrum seu arbitratorem superiorem elegerint, absque omni contradictione starent in præmissis, Promiseruntque partes antedictae sub modo & formâ supradictis arbitrium supradictum per omnia servare sub pœnâ centum marcarum per partem nolentem, partem servare volenti hujusmodi per pronuntiationem unam medietatem, & Dominus de Capitulo Paderbornensis Ecclesie reliquam medietatem solvendas mihi Notario publico subscripto vice & nomine omnium & singulorum, quorum interest, vel interesse poterit stipulatione solenni. Quibus peractis Domina Walburgis Abbatissa predictam Abbatiam Monasterii supradicti cum omnibus & singulis suis juribus & pertinentiis universis tam spiritualibus quàm sæcularibus per calami traditionem in manus Domini Electi supradicti resignavit; quam quidem resignationem præfatus Dominus Electus admittens, ratamque & gratam habens tandem supradictam Abbatiam cum omnibus juribus & pertinentiis Venerabili Virò Joanni Wael Priori Canonorum Regularium in Swollis Trajectensis Diœcesis ibidem præfenti contulit, ipsumque de eodem per calami supradicti traditionem investivit, super quibus omnibus & singulis Reverendissimus Dominus Electus, Dominaque Walburgis Abbatissa, & Dominus Joannes Prior predicti conjunctim & divisim petierunt sibi unum vel plura publicum seu publica meliori formâ quibus fieri potest per me Notarium publicum subscriptum fieri instrumentum vel instrumenta. Acta fuerunt hæc in Domo antiquæ Librariæ Ecclesie Paderbornensis predictae præsentibus honorabilibus Viris Domino Hildebrando de Oesler Præposito Ecclesie Sanctorum Petri & Andreae Paderbornensis, Domino Alberto de Hexthausen Canonico Ecclesie Paderbornensis predictae, Domino Gerardo Officiali Curie Paderbornensis, Hermanno Lippmann Presbytero, & Strenuo Joanne Westphaler Milite testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

„ Et Ego Joannes Gherdeners Clericus Paderbornensis publicus Imperiali Autoritate Notarius, quia predictis compromissis, resignationi, & collationi Abbatiae supradictae, omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur, agerentur, & fierent unâ cum prænominatis testibus præfens interfui, eaque omnia & singula præmissa sic fieri vidi, & audivi, præfens publicum instrumentum meâ propriâ manu scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegei, signoque & nomine meis solitis & consuetis signavi in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum vocatus specialiter, & rogatus, „

Interea temporis dum præmissa hæc gererentur, Cathedrale Capitulum Paderbornense de quiscunque aliis, quæ superaverunt devastatae Bodecensis Ecclesie fragmentis, ut puta censibus ac redditibus sibi conquerendis, seu communi bursæ suæ de futuro solvendis & attribuendis admodum sollicitum fortissimam Canonice Regularibus struxit insidias, licet frustra, solum obsistente nimirum loci Ordinario supra dicto, qui sanioribus inductus consiliis, Canonicos Regulares de Congregatione Windesimensi è Belgio (ut audivimus) vocatos, ipso die festo S. Joannis Baptistæ anno 1409. isthuc adduxit, unde habentur versus sequentes:

Canonicos revocat refutatis Canonicabus,  
Si quadringentis Mille novem dederis.

Quibus omnibus de prima fundatione ac immutatione Bodecensi hætenus recensitis, juvat hic etiam superaddere ipsum Introductionis Actum, quem copiosè satis descriptum exhibet Bulla Episcopalis ad perennem rei memoriam data & expedita, sub hujusmodi tenore.

Wilhelmus Electus Paderbornensis & confirmatus ad perpetuam rei memoriam &c. Quamvis Domini est terra & plenitudo ejus, certa tamen loca pro cultu frequentiori suæ Majestatis immensæ singularibus signorum indiciis plerumque consecrari consuevit, quæ quanto majoris corporis negliguntur injuriâ, tanto majori negligentes ipsi rei DEI redduntur injuria, qui rursus à DEO neglecti, & in desideria cordis sui traditi non nunquam sic in vanitatibus suis evanescent, quod loca & personæ divinæ justitiæ dispensante secre-

to contrectatione mutuâ tabescentes ipsa cum personis loca vilescunt. Et quia deviis à tramite veritatis veritas dicit, *Regnum DEI auferretur à vobis, & dabitur genti facienti fructus ejus*, ad honorem nominis divini plurimum cedere non ambigimus, si vepribus & spinis ab Agno Dominico funditis extirpatis, loca sancta inhabitantium culpâ in despectionem deducta novellis olivarum, quas in circuitu mensæ Domini institutas Propheta commemorat, studuerimus reformare. Cùm igitur Monasterium in villa Bodeken nostræ Diœcesis, quondam ab almo Christi Confessore sancto Meinulpho Diacono, juxta sæculi factum viro nobili, quem inclytæ memoriæ Carolus Magnus tunc Rex Francorum, & postea Romanorum Imperator postquam gentem Westphalorum seu Saxonum occidentalium Christiano jugo subiecit, de sacro fonte levavit, pro Congregatione feminarum, quæ Canonice sæculares appellantur, singulari quodam divino miraculo prævento (quemadmodum litterarum veterum testimonio didicimus) fundatum, partim negligentia, partim casibus fortuitis, & malo statu Patriæ intercurrentibus, sic penitus desolatum esse conspicitur, quod ex omnibus ipsius ædificiis ipsa Ecclesia & immunditiâ ejus testantibus, pro receptaculo bestiarum, quam pro divini cultûs exhibitione in parte reformata perdurat, & in Capellis eidem Ecclesiæ quondam annexis, nunc verò dirutis; imò super ipsa altaria Capellarum sicut in saltu virgulta succrescant, unde tam Canonice, quam Rector Parochialis, ac etiam cæteri Clerici, solâ Abbatisâ ibidem in tugurio rusticano degente, terram fructiferam tanquam eis versam in falsuginem abhorrentes locum ipsum dudum reliquerunt. Nos ad supradiçti loci reformationem pro divini cultûs restauratione pietate curæ pastoralis alleçti intensis desiderii aspirantes, ne ficulnea infructuosa rursum terram perniciosius occupet, eundem locum malitiâ temporis loci qualitate, & sexûs fragilitate pensatis non sub hujusmodi Canoniarum sæcularium statu (quem sedes Apostolica approbare non dignatur) sed sub certâ per eandem sedem approbatæ Religionis titulo, cujus Professores sexum virili non solùm carne sed & mente vigentes inter mundi pericula adversitatis turbo non terret, nec arrisus fortunæ fallacis dissolvit, decrevimus reformare. Hinc est, quòd Domina Walburgis de Walde Abbatisâ Monasterii supradiçti ad nostram propter prædicta vocata præsentiam de sui negligentia se plurimum excusans & modo reformationis, per nos, ut præmittitur decreto consentiens, Abbatiam cum omnibus juribus & pertinentiis suis in manus nostras sponte resignavit, cumque deinde nobis fuisset expositum, quòd nonnullæ personæ jus Canonicale seu Ecclesiasticum quamvis locum ipsum per annos decem, viginti, aut triginta jam deseruerant, in Monasterio præfato sibi vendicantes superessent, nos ne in præjudicium juris cujusdam videremur ex abrupto procedere, personas easdem Abeliâ de Herzze, Cunegundam de Vedmode, Adelheidem Schultrens, Cunegundam Labbinges, & Elifabeth de Herzen prætenfas Canonicas, Joannem Resticte Presbyterum Curatum & Hermannum Ritewège asserum Rectorem Capellæ S. Martini desolatae ibidem, omnesque alias & singulas personas utriusque sexûs jus Ecclesiasticum in prædicto Monasterio Cappellis seu Beneficiis Ecclesiasticis ejusdem se habere prætendentes unâ cum Domina Walburgi olim Abbatisâ præfata ad certum terminum peremptoriè citavimus, ut in eodem de titulo Canonico Præbendarum, Beneficiorum & juris Canonialis seu Ecclesiastici, quas & quæ in præfato Monasterio habere prætenderent, nos plenius informent, & ad concordandum unâ nobiscum, quantum earum interesset super reformatione Monasterii prædicti & ejus translatione ad statum observantiæ Regularis, quas ob divini cultûs restaurationem & augmentum, ac totius Ecclesiastici statum nostræ diœcesis supradiçtæ dignè duximus faciendas, vel ad dicendum & allegandum coram Nobis causas rationabiles, quare reformatio & tarnslatio hujusmodi fieri non deberet. Alioquin ipsarum contumaciâ seu contradictione frivola non obstante, Nos in reformationis & Translationis negotio prædictarum essemus utique processuri. In quo quidem termino personis supradiçtis coram Nobis legitime non comparentibus & Domino Gobelino Persona Procuratore nostro ad hoc per nos deputato, ipsarum contumaciam accusantes Nos easdem reputantes contumaces juxta modum prædictum circa præmissa duximus procedendum. Nos igitur resignationem per Dominam Walburgim factam, ut prædictum est, tunc per Nos admissam & receptam, ratam & gratam habentes, cum honorabilibus Viris Domino Præposito & Capitulo Ecclesiæ nostræ Paderbornensis prædictæ, tractatu capitulari & maturâ deliberatione præhabitis, Abbatiam, Ecclesiam & Monasterium prædicta cum cunctis juribus, prærogativis, libertatibus, communitatibus, bonis & rebus mobilibus & immobilibus, terris, agris cultis & incultis: pratis, pascuis, Sylvis aquis, aquarumque decursibus viis ac inviis, ac pertinentiis eorundem universis Honorabili Viro Domino Joanni Wüel Priori Monasterii Canoniarum Regularium in Swollis Trajectensis Diœcesis tradimus, concedimus, & assignamus per præsentem. Ita, quòd Ipse Ecclesiâ, & Monasterio in Bodeken supradiçtis, prout ei facultas suppetit, reformatis, Congregationem convenientem Virorum DEO devotorum, Canoniarum videlicet Regularium, Religiosi Monasterii sui in Swollis supradiçti conformium,

mium, juxta ejusdem Religionis exigentiam ibidem instituat, præsertim cum S. Meinulphus ejusdem Monasterii fundator, suprædictus, Religionis ejusdem creditur fuisse professus; quarum regimen & gubernatio, visitatio, inquisitio & correctio, atque totius Monasterii tam in Spiritualibus, quam temporalibus administratio, nec non Prælati sub nomine Prioris institutio & destitutio, quod ipsum quamdiu advixerit, quemadmodum ei visum fuerit, liberæ permaneant; ipsæque de præsentatione Beneficiorum Ecclesiasticorum, & bonis Emphiteuticis, nec non officiis & rebus aliis quibuscunque, quæ aliàs ad Abbatisiæ præsentationem, concessionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, eo modo, quo Abbatisa de eis disponere solita fuit, liberam habeat potestatem præsentandi, & de bonis atque officiis prout ipsorum bonorum & officiorum qualitas exegerit, disponendi infeudatione bonorum, sive feudalium, duntaxat exceptâ, quorum infeudationem nobis & Successoribus nostris reservamus. Cum verò, Domino permitte, ipse de medio sublatus fuerit, Beneficiorum, bonorum & rerum dispositionem hujusmodi apud Priorem, qui ibidem pro tempore fuerit, volumus perpetuò remanere, qui Præposito Monasterii propè Nussiam Coloniensis Diœcesis pro tempore existenti, & eorum Capitulo Generali, quoad Visitationem, inquisitionem & Correctionem, Prioris institutionem & destitutionem, secundum modum Ordinis eorum ac statutorum, subiectus existat, Juribus Archidiaconi loci ipsius ac Plebani ibidem, nec non Ordinis ipsorum Canonicorum Regularium in præmissis omnibus semper salvis. Nec tamen Prælati, qui eidem Monasterio præfuerit coram alio quàm coram nobis & Successoribus nostris Paderbornensibus Episcopis, aut illo cui nos & Successores nostri per patentes litteras duximus committendum, vel saltem Sede vacante coram Capitulo Ecclesiæ nostræ prædictæ quovis modo valeat conveniri. Sicque Monasterium in Bodeken suprædictum de statu Canonicorum Regularium ad observantiam Canonicorum Regularium de Consilio, consensu, & beneplacito Honorabilium Dominorum Præpositi & Capituli Ecclesiæ nostræ prædictorum in Dei Nomine transferimus per præsentem. Ut autem præmissa omnia & singula obtineant plenioris roboris firmitatem, præsentem paginam sigilli nostri munimine unâ cum sigillo Capituli suprædicti jussimus roborari. Et nos Præpositus & Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis suprædictæ in signum nostri consensûs omnium præmissorum præsentem litteram nostri sigilli jussimus appensione muniri. Datum anno Domini Millesimo quadringentesimo nono decima septima Mensis Julii.

Eandem hætenus recensitam sæpè dicti Monasterii Bodecensis quoad statum Religiosum immutationem prolixo satis calamo perquam diligenter annotavit Nobilissimus Westphaliæ Historiographus Gobelius Persona natione Westphalus, aliquando in Curia Romanâ gratus & honoratus, tum circa annum 1410. Paderbornensis Episcopi Consiliarius & Officialis, ac tandem ultimis vitæ suæ temporibus in Monasterio Bodecensi Canonicum Regularem Professus, idem à Godefrido Henschenio in Actis Sanctorum Tom. 2. Februarii die 10. ejus mensis admodum laudatus, in Commentario prævio vitæ Sancti Guillelmi Magni Eremitæ B. Meinulphi à se conscriptæ subnexo ponit sequentia: Dum in Concilio Vigilum cœlestium jam decretum fuerat, hominésque adhuc lateret in terrâ, quoddam locus iste, qui quamvis DEUS ipsum ad honorem sui nominis elegerat, novissimè deductus fuit in contemptum, Spiritu, qui replet orbem terrarum, debuit renovari, Spiritus Angelici adventum Consortium suorum placidum, & in eodem loco prænuntiâsse videntur, quoniam quidem sine desolationis ejus miserandæ jam appropinquante, paucis annis antè ipsius Reformationis inchoationem villani, qui partem Ecclesiæ in dormitionis locum sibi vendicaverant, certis noctibus, dum jam se quieti & somno tradidissent, sonum multorum Cymbalorum melodiam concinentium dulcissimum audierunt, qui tamen, uti homines rudes & agrestes, quamvis non horrore, quem Spiritus malus frequenter immittit, sed admiratione prægrandi perculsi parùm curabant, quod audierunt divulgare; tamen postquam renovationem loci inchoari jam viderant, tunc quod audierant, & quod per hæc loci mutationem fuisse designatam crederent multis indicabant. Ea igitur, quæ vidimus, contrectavimus, & piè de renovatione, & translatione prædictis præsumimus, piæ credentium Charitati, quæ omnia credit, per ea, quæ sequuntur, confidenter appetimus facere nota, quemadmodum juxta traditionem illorum, qui nobis de vita & miraculis S. Meinulphi scriptum reliquerunt, ipse per Cervas feminas in loco instituendas, & per Cervum Christum loci defensorem visionum admonitione prædictarum sibi designari crediderant, sic nos rerum experientiam jam plenius edocti quid amplius per easdem visiones Providentia Divina portendi voluerit, possumus explicare. Cervæ quidem motibus suis instabiles priùs visæ dum locum jam reliquerant, Cervus Crucis signum Bajulans apparuit. Sic postquam locum istum femine, naturæ suæ instinctu instabiles, hujus Sancti Viri venerari negligentes merita dereliquerant, virilis sexus Spiritus instinctu stabilis, laudare Dominum in Sanctis suis habens, Christum sequens crucis sub onere, in eodem loco jam successit feminis.

seu ejus Monasterium per annos circiter quingentos quinquaginta sub Regiminis fæminei fragilitate steterat, declinatio ejus jam annis continuata plurimis vergebat in miseriam, & Ecclesia cum toto Monasterio incendiò vastata, Rusticorum dormitorium, & granarium, brutorum animalium stabulum sunt effecta, pavementum ipsius fimo bestiarum, duorum pedum altitudine, cum egestionis ingluvie, quasi per totum fuit coopertum, muri & testudines ejus unà cum turri, imbribus patentes & nivibus, decem & octo annis stillicidia se penetrantia tolerârunt, exceptâ solâ illâ parte, quæ Chorum continebat, ejusque latera in tecto recto reformata, Calices, libri, campanæ & ornamenta varia, census, redditus, bona immobilia, atque Jura ipsius, aut venditionis aut impignorationis titulo, & non nunquam furti, rapinæ, aut usurpationis fraudulentæ vitio vicissim alienata fuerunt. Non remanserat tandem ædificium ex illo toto Monasterio ex pertinentiis ipsius omnibus, undè à molestatione pluvix vel fervore solis se posset homo tueri; præterquam domuncula quædam, in qua sola Abbatisa cum famulâ grandi degebat ærumna. Arbores & arbuta in capellis ejus, quarum introitus, murorum fragmine prohibente, bestiis non patuit, & suprâ earum altaria tanquam in saltum succreverant. Omnes tum Canonissæ, tum Clerici, imò etiam Presbyter Parochialis locum deseruerunt; cùmque nemo de Prælatis, quorum interfuit super hujuscemodi malis Ecclesiæ providere ægotantium vulneribus, oleum aut vinum curavit infundere, sed quilibet eorum de ipsius loci reformatione extremæ desperationis pulsaretur occurso, *Mirabilis DEUS in Sanctis suis, DEUS in loco Sancto suo, DEUS qui habitare facit unius moris in dono*, Beati Meinulphi merita evidentiùs volens illucere, locum istum post tantam deturpationem per viscera misericordiæ suæ visitavit ex alto, eum per veræ Religionis Unanimes renovando. Anno igitur Nativitatis Dominicæ Millesimo quadringentesimo sexto Wilhelmus, filius Ducis de Monte, Electus Paderbornensis per Capitulum suum, pro translatione Reliquiarum S. Meinulphi & bonorum ipsius Monasterii restantium, ad Ecclesiam Paderbornensem faciendâ, tentatus, in reliquiarum, ut major ipsis honor impenderetur, sed non bonorum translationem verbis & factis consensit, nam idem Electus unâ cum Decano & aliis quàm pluribus Canonicis & Ministrantibus ipsius Ecclesiæ Paderbornensis suorum Comitivâ non modicâ versùs villam Bodeken se direxit, cùmque solo jam visi sunt adesse, mulieres villæ illius duæ ipsos ob translationis prædictæ causam venire suspicatæ, se ad Ecclesiam contulerunt, & arreptâ arcâ, reliquias continente suprâdictas, eam in Equorum quodam stabulo, turri ipsius Ecclesiæ versùs Austrum affixo, sub paleis absconderunt. Et dum ipsi Chorum Ecclesiæ ingressi constipatim arcam in loco suo non viderant, ab illis mulieribus sciscitabantur, quoniam arca devenisset, quæ tanquam ruralis astutiæ expertes, pleno mendacio inquirentes fallere sui Patroni Zelò successæ non veritæ, illam ad castrum Wewelsburck vicinum, responderunt, fore deductam. Isti tamen verbis mulierum antedictarum minùs creduli, cistas rusticorum plurimas, quibus Ecclesia repleta fuerat aperiendo, reliquias istas in eis, & ipsius Ecclesiæ locis particularibus sollicitè quærebant. Et dum se viderunt frustra laborare, viâ quâ venerant, confusi redierunt. Castellani verò Castri prædicti, ne tanto thesauro Ecclesia Parochialis eorum, cujus se defensionis Debitores esse noverant, fraudaretur, sacras illas Reliquias Custodiæ causâ prædicto Castro intulerunt. Illis itaque temporibus in oppido Zwohl, Trajectensis Diœcesis, Canonici Regulares sub disciplinâ sui Ordinis, tunc noviter reformati, strictè vivebant, de quorum statu & vita præfatus Electus informatus, & ut per tales Bodecensem Ecclesiam reformaret inductus, Priori Swollensis Monasterii super hujusmodi Reformationem suas direxit literas, quibus ille & aliorum scriptis, & dictis Prior allectus, annò Domini Millesimo Quadringentesimo octavo, postquam Electo se præsentaverat, ipso die Decollationis S. Joannis Baptistæ locum visurus Bodeken, se transtulit, vidensque situm loci, pro religionis observantia satis labilem, & Monasterium omnino in nihilum redactum, Ecclesiâque ad extremum devenisse contemptum, de profectu Reformationis illius, & non immeritò, cœpit dubitare. Vidit nempè statum Patriæ illius justitiæ gressibus claudicantem, libertate vagâ raptorum, qui nec Personis Ecclesiasticis, nec Ecclesiæ parcere solent, abundantem, & ob querrarum frequentiam intolerabilem, agriculturæ defectum; vidit etiam, quòd non nisi maximis laboribus & expensis res tanti ponderis possit expediri. Et quia ibidem exulavit etiam Charitas, & dominabatur impietas, excogitari vix poterat; unde ad expediendum hoc sumptibus possent provenire. Sed Zelus Domûs DEI excæcavit prudentiam, & ille, qui Vas Electionis, ut nomen ejus portaret coram gentibus & Regibus salubriter excæcavit ad tempus, Prioris hujus mentem, spei salubris obduxit caligine, ne in futurum contingentiâ acie mentis nimis intenderet, & ut hoc opus Reformationis assumeret, fortitudinis spiritum sibi clementer inspiranti: namque ad Electum rediens, ab eo locum istum in statum regularem sui Ordinis, præsertim sui Monasterii, cui præfuit, transferendum cum suis pertinentibus omnibus coram Notario publico per calami traditionem

Capi-



Capitulum Paderbornense præfente suscepit, sed ad ulteriora non processit. Priore recedente, atque sui præfentiâ, quasi per novem menses dilatâ, inimicus homo huic femini bono supereminavit zizania, ita ut cum Prior aggrediendum opus, ipsumque litteris & sigillis oportunitis roborandum regrederetur, multorum, qui prius hoc factum collaudaverant, corda sentiret adversa. Nam Capitulum Cathedralis Ecclesiæ ad requirendum sibi paucula bona, quæ ipsi Monasterio adhuc supererant, fortiter anhelans, multis difficultatibus interjectis sigillum suum ipsi Electo fortiter instanti prædictis litteris super hujusmodi Translatione confectis, vix consensit appendi. Abbatisa de bonis Monasterii, quæ omnia sibi soli non sufficerent, pro sustentatione sui partem petiit; Canonissæ similiter, quamvis locum dudum dereliquerant, portiones suas requirebant; Sacerdos Parochialis, quamvis ab Ecclesiâ vitæ necessaria habere non potuit, locusque totus ejus prorsus extitit omni ædificio viduatus, jus sibi competens in ipsâ Ecclesiâ dimittere recusavit, nisi eidem competenti Beneficio, vel portione bonorum Ecclesiæ prius provideretur, villam seu stabulum Bestiarum, in quod jam magnam partem Ecclesiæ redegerunt, sibi auferri molientes, verbis & dolis quibus poterant, ne loci fieret innovatio, fortiter restiterunt. Nonnulli Canonici & Laici, & præsertim illi, quorum mos erat armis & prædis insudare, tanquam faminei sexus affectu simul absorpti, in favorem Canonissarum prædictarum huic tam piæ intentioni non verebantur adversari. Clerus ac Monachi Civitatis ac Patriæ ex hujusmodi innovatione statum suum Notabilem reddendum suspicati, hanc Reformationem plurimum fuerunt execrati, ita, ut nonnulli ex eis carnis facta turpissima, multis ante temporibus à nonnullis sceleratis hominibus commissa fuisse conficta, in diffamationem statûs illorum, qui hoc opus assumere intendebant, retorquebant. Et sic corruptis penè tota vicinia ab hoc opere inchoando avertit pietatis affectum. Sed ille, qui solus novit Behemoth squammas suis penetrare sagittis, contra se consilium non esse, patenter ostendit, dum omnes prædicti alii timore, alii fervore, vel amore fracti, piæ perseverantiæ ipsius Electi cesserunt. Nemo tamen ex omnibus sibi subiectis ei in hoc facto tam constanter adhæsit, qui laborantibus in contrarium se palam præsumeret opponere, nisi vel quantum ego pusillus audebam. Unde accidit, quod Præpositus Ecclesiæ Cathedralis major ibidem Prælatus in eadem Ecclesiâ torvo vultu & voce mordaci hujusmodi verba mihi retorfit in vultum: Veniet tempus, quo optabilius videbitur, istos canum venatione eliminare de terra, quos nunc addicere nitimini conamine grandi. Machinationibus itaque supradictis omnibus aut reddituum annuorum assignatione suspensis, aut juris Comminatione peremptis, seu personarum pensatâ levitate parvipensis, litterisque super Translatione & Reformatione prædictis expeditis, opus ipsum Prior est aggressus, & deinde pro primo quatuor ex Fratibus Ordinis sui, sub Regula Beati Augustini secum Deo militantibus adductis, Ecclesiam Bodecensem, usque tunc sæcularem, in Monasterium Canoniorum Regularium transtulit, & in eodem dictos Fratres instituit juxta Privilegii, desuper per Electum & Capitulum prædictos concessi sibi, formam. Et sic Beati Meinulphi Visio, quæ Cervarum post recessa Cervum Crucis signum inter cornua gestantem ostendit, & præfaga futurorum loci ipsius nominis impositio facta, per eundem manifestè videtur impleta. De Mysterio quidem impositionis nominis videlicet Bodeken Patriâ voce doliolum seu parvum dolium sonat. Dolium nempe perfectum exsiccatissimis asseribus & præparatis per sulcationes uniformes unum fundamentum complectentibus, mutuaque sibi facientibus assistentiam in corpus unum liquoris contentivum, per nexuum distinctionem hac in patriâ formatur; per quod veræ Religionis perfectio juxta tria sui substantialia non immeritò posset esse designata: sicut enim nullus ex asseribus dolii perfecti quidquam proprii sibi vendicat, sed omnes servato sui sitûs ordine ad eundem communem usum totius corporis æquè ferviunt, vim continentis fluxum trans se fieri cohibendo servant, nec eorum aliquis à mutua servitute exorbitat, aut ab amplexu fundamenti sui ordinis recessivus obedientiâ constrictus deviat, sic omnes unius Religionis veri Professores, dum proprietatem abdicant omnia communiter percipiendo continentis inferviunt, ut perpetuam servando castitatem, nec quovis modò à sui Ordinis fundamento, cordis insultatione complexæ obedientiæ virtute constricti vagentur, unum corpus veræ possessionis aquæ vivæ contentivum efficiunt, unde cum constet evidentè, Mysterium hoc hujus nominis Bodeken non faminis illis, quibus habere propria, & matrimonium contrahere licuit, sed Fratibus istis alludat, nec etiam illud, quod novum Bodeken ad dictum veteris Bodeken fuerat appellatum; nec prætereundum, quoniam isti qui hanc Reformationem ferventer assumpserunt, non solum spiritu mentis suæ renovati, sed etiam noviter renovati Ordinis Fratres extiterunt. Cum igitur loci, Ordinis, & personarum Mysteria mutuo sibi consonent, locus iste ad statum Deo placitum, Sanctis honorificum, & hominibus juxta ipsius Imperatoris Caroli Magni præsumptionem dignissimam, quam in hoc nomine Meinulphus intendisse creditur, profuturum non immeritò censetur esse productus. Quantis autem laboribus, angustiis & ærumnis Fratres isti & alii Confratres eorum vicissim missi

vel accepti, jam ferè annis octo inter hujusmodi reformationis sollicitudines sint afflicti, quibus conatibus Leviathan serpens tortuosus se vectem eis opposuit, litterarum cupe-rem ego tradere notis, si acris iudicii temerarii iactus non timerem. Nam etsi fortè inter occurfus tentationum varios sub adulationis formâ fortitudinis & patientiæ ipsorum Fratrum iudicaretur quærere laudem, scintilla tamen ignis, qui interiora Jeremiæ pervadens ipsum in nomine Domini loqui compulerat, me penitus silere non finit, præsertim de illis, per quæ quod factum istud tanquam à Deo & non ab hominibus existens dissolvi non poterat, videtur ostendi, ut his, qui longè sunt aut loco vel tempore manum Domini nondum abbreviatam hic esse plenius innotescat. Anno siquidem Millesimo quadringentesimo octavo, postquam unà cum Priore locum hunc visitaveram, & reversus Paderbornam, multa in mente meâ super ipsius Reformatione, videlicet an ipsa habitura esset progressum, sollicitudine cruciabar; secunda nocte, videlicet ultima mensis Augusti, hujusmodi in somno habebam visionem. Stabam in Choro Paderbornensis Ecclesiæ in stallo anteriore, pro Vicariis altarium in parte aquilonari deputato, & arca S. Meinulphi nullo ornatu decorata, sed nudis tantum compacta asseribus, super gradum per transversum Chori versus laterales januas protendentem, mihi stabat ex adverso, & ante gradum secundum à latere versus Austrum stabat imago Crucifixi, quæ tribus insistens sustentaculis, quorum jam unum vetustate defecerat, ruinam minabatur, sed quidam adstantes crucem tentantes reformare, ipsam stabilem reddiderunt. Et ego favi illis toto mentis affectu, sed manum non apposui, nec locum, quo steteram, dereliqui. Cum ergo Prior postquam recesserat, regressum suum in longum distulerat, ut est supradictum: ego cum quodam Presbytero super peregrinatione visitandi terram sanctam feci condictum; qui postea Priore jam reverso, plurimum sollicitavit me, ut ad arripiendum iter secum displicerem. Prior ex adversis me retraxit, ne absentia mea perditionis laboris sui, in hujusmodi Reformatione attentati, fieret occasio; ergo magna perplexitate irretitus, quid horum eligerem, ignoravi, unde consilium à Deo quærere mihi oportunum existimavi; quapropter die decima nona mensis Octobris anni Nativitatis Domini transacti supradictum in fero tendebam cubitum, Psalmum *Miserere mei DEI secundum magnam misericordiam tuam &c.* flexis genibus legi, & librum, de obitu Beati Hieronymi scriptum, capiti meo devotè supposui, & ut Diabolus, precibus ejus fugatus, illa nocte non posset mihi illudere, atque à Deo mihi obtinere per visionem in somno desideravi, quid in hac mihi perplexitate agendum foret, & an essem ibi vel alibi Religionem professurus attentione magnâ supplicavi. Noctè igitur illa visum est mihi, an essem in Bodeken ante Ecclesiam, cujus fores clausæ erant, constitutus, & laminam ferream rubiginosam, & inveteratam valde, valvis ipsius Ecclesiæ pro confirmatione earum affigere proposui, & tenens laminam una manu valvis applicatam, à circumstantibus clavos ferreos postulavi, & porrecti sunt mihi clavi alii obtrusi, alii grossi, rubiginosi & inepti, & pauci valentes inter illos, quos elegi, & pro primo laminam cum illis affixi. Et stabant circa me Abbatissa, & duæ Canonissæ, & Presbyter unus indutus superpelliceo, qui lignum longum ad modum baculi ad mensurandum factum tenuit, & cum illo cæpit mensurare super terram, quantum nobis, qui locum volumus reformare de fundo ejus, & quantum Abbatissæ deberet cedere, sed partem ligni posteriorem superpellicei manicâ ceperunt cautelosè, ut Abbatissa in mensurâ decepta non doleret. Et una de Canonissis pomum, quod manu tenuit, carpens dentibus, voce submissâ dicebat: hoc pomum à Clericis Decani Ecclesiæ Paderbornensis mihi datum est, sed altera nutibus ei significare nitebatur, ne hoc planè diceret, ne nos hoc audientes indignemur; quoniam idem Clericus in hac parte Nobis suspectus esset plurimum. Inter hos eram ego sollicitus de avenâ, quam in absentia Prioris & suorum Fratrum de bonis ipsis Monasterii collegeram dispensanda pro Fratrum illorum utilitate. Deinde sollicitabar & sciscitabar de fæno, quod ad usum Monasterii innovati debuit preparari, & respondit quidam, jam fænum in parte factum est, & sequenti die plus erit de fæno faciendum. Deinde jacens in lecto, in Camerâ quadam latæ Domûs meæ per quendam de altâ fenestrâ partis superioris cameræ loquentem interrogabar, an vellem celebrare Missam in loco extra Civitatem, innuendo locum, in quo factum erat fænum, & respondi, non; quoniam in sacello meo manebo, & deinceps sum expergefactus. Istis itaque visionibus confortatus, quod nunquam opus ipsum est inceptum, quibuscunque etiam in contrarium occurrentibus, de ipsius salubri consolatione desperavi.

Hoc opere Dei sic, ut supra dictum est, assumpto, videns loco se repulsum, & hoc facto arva plurima sibi diripienda in futurum, totam illam Patriam contra Electum Priorem, & me quasi se de Nobis vindicando sævissimâ commovit tempestate. Alterum tamen causæ sub umbra, quæ per septem annos durans multas illi patriæ per totum clades intulit gravissimi-

viffimas, & tantis contra Zelum Domûs DEI procellis intumuit, quod nobis tandem extra illius limites fedentibus Fratres isti ferè cunctis facti sunt exosi, ita ut nonnulli veneno odii tabefcentes, ut in odium simile ceteros invitarent, clades suas prædictas adventui eorum, quemadmodum Romani Apostolorum adventui palàm insultarent. Cum igitur Fratrum istorum non solum circa materialem loci Reformationem, sed etiam & principaliter circa profectum salutis animarum, non solum sui, sed etiam proximorum, maximè ad hoc vitæ morumque disciplinæ & divini cultûs suffragari posse devota videbantur exempla, quibus, ne proficerent, quàm quodam & perplexo nimis obstaculo circa tamen locorum congruentia tenebantur impediti, nam locus ipse cum totâ suâ Parochiâ, propter unius de Castellanis suprâdictis contumaciam, autoritate Apostolica suppositus fuit interdicto, quod propter Authoris excellentiam, & ipsius rei inertiam, causæque perplexitatem præsumebatur difficulter relaxandum, prout necdum in toto est relaxatum, sed invalescente tempestate suprâdicta ego ad Curiam Romanam, mendaciorum propulsus turbine, Interdictum illud, quantum ad Monasterium cum suâ duntaxat Ecclesiâ impetravi simpliciter relaxari. Unius igitur ferè anni spatio transacto, postquam opus ipsum est attentatum cum effectu, divini officii publica celebratio ibidem à Fratribus cum magno gaudio est assumpta. Sumptibus autem pro ædificiorum structurâ non extantibus, & Regionis illius incolis pietate torpentibus, visum est omnimodè necessarium, prædicatione Verbi DEI allicere, & mulcere perverfos. Numerò igitur Fratrum cum suis Ministris parumper augmentatò, unus ex eis de licentiâ ipsius Electi per viciniam dirigit Verbum DEI seminare. Et dum parùm profecit, ad exterâs partes se divertit, quod nos, qui necessitatem advertimus lege non constringi, & plus ad perficiendum opus DEI prædicando palàm mendicare, quàm hoc neglectò ærumnosi statûs honestatem dedignari, molestari, æstimamus commendandum ab illo, cui nemo dicere potest, cur ita facis? ordinatum fuisse non ambigimus, ut S. Meinulphi reverentia, intra parvum locum unius provecturæ non dico angustata, sed dudum temerata, multis innotesceret, & lucerna Religionis pluribus obfuscata temporibus, noviter reaccensa, sub modio non lateret. Fratribus igitur operi insudantibus, excessivo cum labore sub victûs, non audeo dicere, penuriâ, sed angustiam, tum panis furfureus, cerevisiæ potus tenuis pro refocillatione, & poma & pyra decocta, carniû seu piscium loco fuerint: & Blatus Hieronymus coctum quid comedere luxuriæ deputandum existimat, tentationes Job in ipsis innovavit, nunc equis labore eorum temperantibus angustiam per Ministros suos sæpè subtrahendis, quos aliqui de fidelium impietate interveniente à crudeliore temeritate recuperaverunt, non nunquam pecuniâ redemerunt, nunc porcis, nunc ovis, nunc bobus abactis, quidam ab eis capti, & ut homines scelerati per campos usque ad suffocationem anhelitûs trahebantur, ac cæcis saltibus saltus equorum sequi sunt coacti, alii verberibus afflicti, alii vulnerati, nonnulli ligati, & captivi sunt abducti. His omnibus non obstantibus, prosperatum tamen est opus in manibus eorum duobûs duntaxat ab eis recedentibus, qui si fuissent ex eis, minimè recessissent. Qui igitur sub opere suo eos tentari permisit, non eos ultra, quàm eos sufferre posse noverat, tentari voluit, & evidentem jam fecit (factis attestantibus) cum tentatione proventum. Transactis equidem tempestatis præfatæ, Fratrumque laboris annis septem, qui mari terminum constituit, etiam statuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus. Nam multi, qui fuerunt Fratrum istorum detractores, cum eos maledictum pro maledicto referre non viderunt, illud humilitate & patientiâ posse fieri, quod linguæ loquacitate, & viribus corporis obtineri non poterit factò protestantes, facti sunt status eorum Prædicatores. Illi qui fuerunt ipsorum offensores, jam facti sunt eorum defensores, multorum crudelitas versa est in pietatem, & austeritas mutata est in benignitatem. Et qui de eorum gaudebant spoliis, nunc dolentes de commissis, se illis adesse spondent obsequiis, qui de prædis aliorum totis diebus gratulantes, deprædatores istorum, si quos invenerint, execrantur. Quamvis igitur locus iste perverfæ nationis consistit in medio, raptorumque & Prædonum circa illum fiunt quotidie per arva discursus: adèd tamen inter tot adversa tantæque pericula, Domino disponente, profecit, quòd numero Personarum sufficienti suffultus particularibus locis ipsius juxta Religionis exigentiam oportunis, pro primo convenienter aptatis, observantiæ regularis juxta propositum institutionis novellæ suprâdictæ jam anno Dominicæ Incarnationis Millesimo quadringentesimo decimo septimo de mense Junii viget ibidem, atque locus iste non solum ab his, qui propè sunt, verum etiam ab illis, qui longè sunt, venerandus habetur: Undè evidentissimè an ex DEO vel ab hominibus fuerit hoc opus, apparet. Porro si fratres isti plures adhuc habent, aut habebunt æmulos, nemo miretur, cum filii Israël plures ex gentibus in terrâ, quam Dominus DEUS dedit illis, tolerabant inviti, quomodò aliàs imitatores Christi probarentur, nisi mundus eos odisset? cum ipse testatur de talibus dicens: *Mundus vos odit, quia me priorem vobis odio habuit*, nempe in testimonium non nullis ipsos venisse fatendum est; de quo testimonio Dominus di-

cit, *excute pulverem pedum vestrorum in testimonium illis.* Qui igitur Fratribus istis favent, vel detrahunt, ex verbis Apostoli præmia pensent: cum dicit: *Christi bonus odor sumus, aliis in mortem, aliis in vitam æternam,* quam vitam nobis per Beati Meinulphi merita post hanc vitam ipse, qui via, veritas est & vita, Jesus Christus Dominus noster largiri dignetur, qui cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Reverendissimi, ac Amplissimi D. D. Priores seu Prælati Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Congregationis Windesimensis Sacræ Domûs Bodecensis ad S. Meinulphum Diœcesis Paderbornensis in Westphaliâ.

I. JOANNES de WALLE Canonicus Regularis & Prior Monasterii Swollensis (itidem infra suo loco recensendi) ad regimen novi Prioratûs hujus Bodecensis, (ut jam supra pluribus dictum est) à Reverendissimo Domino loci Ordinario in supremum Canonice hujus Rectorem constitutus, conceptæ Reformationi initium dedit, ipso die Festo S. Joannis Baptistæ, sub annum Christi 1409. cum Religiosis DEI Fratribus, DEI Sacerdotibus, Joanne Sewaldi, Daniele N. Joanne Kevermann, Arnoldo Holtio, & N. Mercelio, ad Bodecense Monasterium hoc solenniter introductus, inde in vineâ Domini omnibus numeris excolendâ, toto biennio defudavit. Nativum Monasterium suum feu Montem S. Agnetis apud Swollas, unde venerat, repetens, tandem ibidem cum Patribus suis in Domino requievit.

II. JOANNES SEWALDI, natione Belga Noviomagi in Geldriâ progenitus, cum prædictâ Coloniâ Swollensi ad Bodecense Monasterium istud vocatus & adductus, vir omni laude dignissimus, post abitum Prædecessoris sui Joannis de Walle à relictis Canonicis Conventualibus sanctè reformatæ Ecclesiæ Bodecensi præesse nominatus, tam sibi quàm subditis suis claustralibus illud S. Bernardi Claravallensis Abbatis ad Fratres de Monte DEI jugiter inculcabat; Ex Vobis & ex vestro exemplo atque autoritate in Religione hac tota pendere debet posteritas: nam hujusmodi conversatione suâ omnium in se animos convertebat. Cum aliquando Frater quidam Comes itineris caputium illius honoris ergo portare vellet, mansuetissimè respondit, propriam crucem ipsemet ego feram; Et quod res est, subire non abhorruit, & hoc quidem, ut alios quoque ad jucundam humilitatis pelliceret imitationem; Religiosæ paupertatis rigidissimus semper fuit observator, necessaria sibi propter DEUM subministrari nunquam non rogare solitus, & siquid vicissim ab eo petebatur amore DEI, quodcunque mox impetrabatur. In causâ Monasterii sui aliquando iter facere coactus, juxta tamen pecuniis, seu justo viatico destitutus, panem ostiatim (quamvis in ruborem focii) emendicare non erubuit. Regulare silentium in clauetro maximè post Completorium inter suos arctissimè teneri fancivit, semel tamen ipse prohibito tempore in vigilia Nativitatis Domini gravibus de causis ad loquendum inductus, continuò intra se recolletus, & culpam suam multis lacrymis deplorans, ad Socium conversus, scissine, ait, Frater, quid fecerimus? heri silentium meis imposui, & ecce primus transgressor factus sum illius, oportet igitur, ut peniteamus; unde cum prædicto focio suo gravem de se vindictam sumpsit; dum nempe in panem delicti postridie ipso festo die memoratæ Nativitatis Dominicæ strictissimum jejunium in solo pane & aqua servavit; quod factum est haud sine maximâ Religiosorum Confratrum admiratione, benè tamen cum singulari eorum ædificatione. Commendatur aliàs in Religiosissimo Antistite isto rigor vitæ quandòque nimius; siquidem super nudâ humo cubare solitus, tenuissimis solum utebatur vestibus, ac proin (licèt admodum delicatè à puero nutritus, utpote de prædivite ac clarissimâ prosapia natus) brumali tempore prægrandi frigore quasi totus congelatus, Fratribus interim miseriam ejus amarè deplorantibus, nullum unquam eapropter impatientiæ signum de se dedit; unde & Religiosæ patientiæ virtus in hoc devotissimo DEI famulo plurimum emicuit, cujus & singulare specimen coram exhibuit in violentâ Monasterii sui direptione, à vicino Comite Waldeckio contumeliosè facta; quam devotissimus Joannes Prior sine omni bile mansuetissimè pertulit. Pari quoque clementiâ in miseros & egenos (maximè temporibus famis totam Diœcesin Paderbornensem acerrimè divexantis) sat liberaliter ostensa, sese communem Patrem illorum continuò probavit; unde tota pauperum caterva fores Monasterii Bodecensis rogationibus ac clamoribus suis quandoque etiam sat importunis puiare non destitit; queis omnibus largissimas in singulos faciens eleemosynas, nemini non operi ferre distulit, & ut amplius auxilio pluribus esse possit, totâ spe suâ in Domino DEO suo confidit, quâ fiducia firmissimè fretus, Procuratorem suum (qui, plusquam oportet, sapere

sapere sibi visus, ut non solum Oeconomiae, sed & misericordiae pauperum amplius impendendae cautè prospiceret, totam residui frumenti massam emetiri, & ad calculum redigi fecit) sanioribus consiliis uti voluit, & qui dat omnibus affluenter, unicè sperare praecipit certissimo fiduciae hujus fructu inde secuto, siquidem toto tempore Praelaturae Venerabilis Prioris istius Joannis de singulari superni Nominis providentia frumentum & triticum apud Claustrales Bodecenses haud unquam defecit, sed ab anno in annum in pristina quantitate sua idem omnino & quasi nil penitus imminutum permansit, quo in beneficii genere pientissimus iste Paterfamilias omni tempore praesentissimam Dei manum quasi manifestè deprehendit, & ut quosvis alios egestate pressos amplius incitaret, vestibulo portae è vivis lapidibus recens adornatae, sequentes inscribi voluit versiculos.

Hic tibi devotos Fratres, Meinulphe, clientes,  
 Quot pia Vallis habet, quot pia vita tenet.  
 Hic tibi perpetuò resonent sacra Nomina laudem,  
 Pauperibusque adimant, munera laeta famem.

Cæterum idem ipse Joannes Sewaldi Prior Bodecensis annò Christi 1416. intra fines Archi-Diœcesis Coloniensis novum quoddam sui Ordinis Monasterium condidit suo nomine *Exwich* nuncupari solitum, itidem recensendum infra, ubi fortè loco praesens adfuit unus Fratrum, qui ex accepto sanctae obedientiae mandato piscatum abiens, infausto casu undis suffocatus periit, inde tamen post aliquam temporis intercapedinem extractus, piis votis & precibus (ad monitum ejusdem Prioris istius) sancto Meinulpho notissimo Bodecensium Thaumaturgo litatis, resedit mortuus, & coepit loqui. Item alter quidam de Vernis ex altissimo fœni siccati tumulo deorsum ruens, & propriam sui corporis sarcinam peracuto cujdam Saxo casualiter allidens atque ab omnibus jam expirasse creditus, à saepesato Venerab. Joanne Priore Deo & S. Meinulpho devotissimè commendatus, quamprimum in integrum restitutus ad prosequendum opus suum totus immunis abiit. Sed & alius priori similis ex arbore deciduus, infelicissimâ ruinâ suâ membris omnibus quasi totus ferè contritus, pristinam sanitatem recepit, quamprimum pro incolumitate illius Jovi sospitatori preces effundit jam toties laudatus Prior Joannes, qui nec quarto itidem gravissimè periclitanti, ope ac patrocinio suo defuit; ceu quatuordecim annorum puer de altissimo monte culpâ propriâ, an alienâ praecipitato; ex quo nimirum is fractis jam pedibus curru abreptus, & ad Monasterium Bodecense deportatus, comitantibus multorum gemitibus & lacrymis, Joanni Priori fuit oblatus, quocirca ille ipse agrum homuncionem miseranter amplexus, brachiis suis ad altare S. Meinulphi detulit, ubi ad invocationem S. Confessarii hujus & Patroni Bodecensis continuò *sanatus est Puer in illâ hora.* Anno 1419. idem Venerab. Prior omnia & singula Monasterii sui Jura ac Privilegia, & quidem etiam illa antiquiora, quibus jam tempore Canonissarum fuit instructum, renovari procuravit, & confirmari fecit, quod & Autoritate ordinariâ praestitit, & confirmari Eminentissimus Princeps ac Dominus Dominus Theodericus de Moers Archi-Episcopus Coloniensis, idem etiam Episcopus Halberstadiensis, & Administrator Paderbornensis &c. &c. tum anno proximè sequenti videlicet 1420. Religiosissimus Antistes iste Bodecensis Joannes multis ac magnis meritis onustus, diem suum obiit apud omnes communi sanctitatis famâ gloriosè post se relicta.

III. JOANNES LUNEMANN ex oppido Seseke tribus horis à Canopia Bodecensi distito progenitus, in conservantiâ Regulari observandâ studiosissimus, postquam octo solum mensibus in fastigio Praelaturae positus, cunctis in apertissimum omnimodae humilitatis & sanctitatis exemplum oppidò praeluxit: vitam exuit temporalem assecutus aeternam anno 1420. De quo tamen pientissimo Antistite reticere isthic non oportet, quòd is in Priorem electus in suâ Ecclesiâ Bodecensi primus omnium officium divinum à Religiosis Canonicis suis quotidie regulariter in Choro decantandum instituerit, quod tanto Spiritus fervore palam ab omnibus factum fuit, ut Fratres omnes, signo sub mediam noctem ad Matutinas dato, ad templum velocissimè (Priore suo praeeunte) quasi convolarint; ubi tanta vocum gravitas & dulcissima resonabat harmonia, ut penè Angelicum Auditores sibi viderentur percipere concentum. Fortè contigit, ut saecularis quidam Clericus Paderbornensis, durante officio, unam inter Symphonas Chorales praereliquis dulcissimam, & quasi caelestem audiret resonare vocem, tantum non Angelicam, quam tamen per totum Templum & Chorum licet anxie conquistam, investigare ipse haud potuit; unde communis omnium sententia tenuit, quòd S. Meinulphus Religiosorum Canonorum, devotissimè psallentium, Choro sese immisceret, cujus vox verè dulcisona jam prius etiam post statutam Reformationem proximo saepe saepius à vicinis percepta, adhuc isto etiam decurrente saeculo apud Fratres Bodecenses inter consuetum

divini officii impensum quasi Jubilus verè dulcissimus & cælicus auribus auditorum infonuit.

IV. DANIEL N. dum hæctenus pluribus annis in Claustro Bodecensi singulari vitæ probitate cæteris sese lucidissimam faculam præbuit, ex merito loci Supprie concordibus suffragantium votis in Supremum Rectorem seu Priorem delectus, continuè quasi jam supra candelabrum positus omnibus, non magis Prælatum quàm Religiosum Confratrem se ostendens, tantæ charitatis (quam virtutum Mater discretio semper aurigabat) extitit, ut cuncta opera in speciem difficilia prius in se ipso experiri, quàm ea subditis voluerit imponi. Moribus & vultu planè Virgineus constitit, ita ut horum intuitu, Pater amabilis benè ab omnibus appellari fuerit judicatus. Exteris etiam gratissimus accidit, eò maximè quòd innatà quasi præstaret oris facundià, eaque raræ totius actionis suavitate conjunctà, præsertim in proponendo Verbo DEI hæud sine ingenti animarum lucro communiter inde subsecuto. Cum vice quadam duos Clericos sacro Canonice Religionis habitu amicare diserneret, ac propter festivam occurrentis diei solemnitatem fratres suos ex more lautioribus paululùm cibus reficere anxie desideraret, nihil tamen præter siccum panem, & oleum ad manum haberet, divinæ providentiæ innixus, ex insperato recepit cervam paulò prius è sylva à duobus lupis ejectam, & in fundo Monasterii proximo ab illis enecatam, quare grates Omnipotenti DEO retulit summas, maximas, eò quòd miseratus fuerit pauperum suorum, & dignatus eos reficere in carne, quos jam antè faginaverat Spiritu. Porro nihil penè Prior iste nisi de rebus spiritualibus loqui audiebatur, adeò quidem, ut terrena omnia summo despiceret fastidio; At quia privatam hanc, atque à mundi strepitu omnino sejunctam vitam suam Domesticæ Canonice suæ profectui minis conducere sensit, & expertus est, fatius adjudicavit, in totum officio suo cedere, quàm diutius cum damno ad clavum sedere; quapropter expleto claustralis regiminis sui quadriennio abdicationem petit, & impetrat, & mox ad pristinam mortificationis & humilitatis suæ semitam reversus, filius obedientiæ constantissimè perduravit, donec carne mortali resolutus, terris defecit anno 1443. in proprio suo Bodecensi condigno honore reconditus. Antehac perdurante etiamnum regimine, cum dira fames totam Diœcesin Paderbornensem miserrimè fatigaret, Daniel Prior iste ceu communis Pater pauperum in quosvis obvios & famelicos sese liberalissimum ostendit, quandoque etiam toto Monasterii granario in pauperes & egenos evacuato; de quo cum aliquando Oeconomus ipsum modestè moneret, id unum respondit, Dilecte frater præstemus indigentibus misericordiam, ut & Nobis misericordia fiat! dictum factum, nam granarium etsi sæpius in favorem famelicorum penitus evacuatum, de immensâ tamen DEI Clementiâ frumentò mirabiliter abundavit. Verùm quòd res est, gravissimas insuper juvat hic commemorare difficultates, quas Venerabilis Prior iste perpeffus fuit, dum restaurationi Comprovincialis Monasterii Dalheimensis sedulus institit, si quidem in suscepto hujuscemodi negotio nimirum quantum offensos experiri debuit Nobiles Dynastas de Brenken, quostamen sæpèfatus Daniel, eo maximè tempore, quando nimirum inurbanitas, ne dicam sacrilega eorum temeritas eo usque processit, ut duos de Conventu suo Bodecensi Fratres laicos demetendis in campo graminibus ex obedientiâ destinatos, iniquâ potentiâ suffulti, captivos abduxerint, eosque domi suæ contumeliosè habuerint; de reductione suorum admodum sollicitus, efferos animos & vix non omnino adamantinos, blandiusculè ac suavissimis verbis ipsâ cerâ molliores reddidit; quid? inquit, obsecro, Fratres ilti mali fecerunt? egomet ipse sum, qui taliter fieri jussi, & gramine in campo demeti mandavi, si hoc peccatum est, me unum, devotissimè rogo, in carcerem mittite, meos autem, quos captivos detinetis, liberos abire permittite. Quo mitissimo sermone iniquissimi hostes omnimodè devicti, & merissimo pudore suffusi, quantocyus duos captivos illos denuo liberos abire siverunt. Sunt autem adhuc plures aliæ hujuscemodi Jurium ac bonorum temporalium imminutiones contumeliosæ, direptiones invasions &c. &c. quibus Bodecense Monasterium istud eo tempore admodum fuit infestatum; quando nimirum solæ vires & iniqua sæculi potentia Justitiæ legem ponebant. Molestissimè quidem id ferebant Ascetæ Bodecenses, rebus suis nunquam non vigilanter alttendentes. Verùm quò major Religiosissimorum virorum istorum in recuperandis rebus amissis, ac recuperatis conservandis fuit attentio, eò nequior & execrabilior accidit multifariam illis facta inimica direptio, & quidem tam in bonis immobilibus, videlicet agris, campis, sylvis, pratis, pascuis &c. quàm etiam in pecoribus, quæ temerario æquè ac violenter invadere petulanter ausus Nobilis unus de potentibus sæculi loco vicinus, porcos omnes è pascuis Monasterii in suam ditionem castrensem abigendo; quos tamen paulò post admodum invitus, & non nisi potenti dexterâ Excelsi compulsus, denuo restituit, quando nimirum uxor ipsius utero grava in pænam delicti monstrum edidit horrendum, informe, ingens, abominabilem sanè referens speciem teterrimi porci; quòd obstetrix illico ad Nobilem Dynastam illum detulit, hem, inquit, unus is est ex porcis illis tuâ nuper malitiâ Monasterio Bodecensi subductis; quo viso injurius spoliator

gravi

gravi timore perculsus, ac cum Phrygibus serò sapere in propriam confusionem edoctus, confestim damnum in duplum reddidit; veniamque peccati sui humillimè precatus est, quo factò, monstrum etiam illud subito disparuit; quo prodigio similiter facta est Bodecensibus bonorum suorum per totam viciniam securitas, magnaque Canonice exstimatio, omnis generis charitatis subsidiis ultro de posthac datis & oblati, & id haud dubiè inspirante illo, qui non deserit sperantes in se.

V. HENRICUS de STELLE ex oppido Buren Bodecensibus vicino natus, animum ad novas Cœnobii structuras bellè construendas adjecit, ac demum urgentibus fatiis terris vivere desiit anno Christiano 1427. die 14. Maji.

VI. HENRICUS van der KEKE ad regimen Prioratûs Bodecensis ex Monasterio Beatæ Mariæ Virginis in Noviomago postulatus, cunctis diebus in coronâ fratrum suorum laudatissimâ conversatione præcipuus, senio grandævus in paucis admodum venerandus, extitit, aliquandò novis ædificiis ad majorem claustrum sui splendorem & utilitatem apparandis studium & operam omnem impendere vocatus, amicabiliter respondit: Fratres ita vivamus in terris, ut domum non manufactam accipere mereamur in cælis. Multa bona tum oppignorata, tum perditâ Bodecensibus suis reduxit, ac demum ad nativum Monasterium suum Noviomagense remeavit anno gratiæ 1439.

VII. ARNOLDUS HULSIUS è Monasterio in Urenswegen ad Prioratum Bodecensem assumptus, gravis admodum & circumspectus maximè verò in omnibus negotiis ac functionibus suis admodum generosus fuit, à Politicis Provincie Constatibus aliquando Domino territoriali nescio quæ servitia manualia cum aliis præstare requisitus, solus & unicus ipse firmiter obstitit, & intrepidè respondit, se libentiùs cum suis toto fundo Bodecensi velle excedere, quàm jura immunitatis Ecclesiasticæ utcunque demum imminui videre. *Laudatur admodum præ reliquis* Prior iste, plura alia insigniter reformasse Monasteria, quæ inter singulariter adnumerantur Mollenbeccense, Kirsgartenense, Volicknariense, Confluentinum &c. &c. Item sacram Suppellestem magnis sumptibus plurimum augmentasse, ut & altaria templi novis picturis nobiliter exornasse &c. specialiter autem commendatur ingens Religionis Zelus, quo Prior Arnoldus iste jugiter accensus, inter suos nunquam non lucidissimè præluxit; atque hujus rei paradigma habetur in correctione illa, quâ Conversum aliquem, seu Fratrem laicalem de suis novam sibi tunicam clandestinè comparasse edoctus, sacrilegum voti paupertatis transgressorem omninò detestans, vestem illam coram proferri jussit, & tota inspectante familiâ Religiosâ, multis quoque de statu Sæculari viris nobilibus juxta simul adstantibus, voluit igne comburi, & quidem ipsa sacra Dominicâ Palmarum. Fuit insuper Arnoldus iste nunquam non sacre regulari Obedientiæ deditissimus, & hinc fructus ex ea reportatus illi semper dulcissimus, præfertim, cum adhuc ante susceptum Prioratum in Monasterio Elfingenfi Diœcesis Tornacensis in Flandriâ Conreformatoris munere perfunctus degeret, ubi cum dira pestis in homines mortales religiosos æquè ac laicos admodum desæviret, de speciali Numinis gratia ipse ad salutem multorum in Israël quasi prodigiosè fuit servatus, cum enim & ipse lethali hujuscemodi morbo periculosè decumberet, Superior illius Ven. Dominus Henricus Loderer, ne Charissimus filius ejus DEO & Ecclesiæ dilectus fatiis victima caderet, plenus fiduciâ in supernam Clementiam firmiter collocatâ, hæc illi solum verba perscripsit: *Præcipio tibi Frater, ne in hac peste moriaris*: quibus perlectis, Arnoldus extemplo restitutus, pristinam corporis immunitatem repetit; tum aliis præesse vocatus, in procurandâ animarum salute nunquam non anxius laboravit, maximè in sermone ad populum faciendo vitiorum extirpationem, & sedulam sacrarum virtutum plantationem jugiter instillando. Et quia rarâ admodum ipse superabat oris facundiâ, velut ad oraculum confluebant ad ipsum non solum vicini, sed & populi de longè venientes; è quibus plurimi disciplinam ejus vel ut Fratres, vel ut (prout legimus) Præbendarii, vel etiam ut commensales se subdere anhelabant. Unde tantus Clericorum sub Regulâ S. P. Augustini DEO militare petentium erat accursus, ut unò solum annò è ducentis talibus habitum Ordinis affectantibus selectissimos tantum suscepit: quos postmodum scientiâ & virtutibus sagaciter exultos & undequaque perfectos, etiam aliis Monasteriis in Priores dedit, & Rectores, ita ut in Canoniam suâ Bodecensi quasi Seminarium Prælatorum instituerit; id ipsum ab aliis exinde pari fervore continuatum, & ut verbo dicam: fuit in diebus Arnoldi istius vallis seu sacra domus Meinulphiana lucidissimum exemplar, & perfectissima tum Religiosæ Disciplinæ, tum sanctissimæ conversationis Idea, in qua plures Candidati famâ Sanctitatis inclyti, sacrum Ordinem suum Canonico-Augustinianum mirificè condecorârunt: quorum omnium pietati fortè debentur crebra miracula sub id temporis in Ecclesiâ Bodecensi intercessione sæpè dicti S. Meinulphi Confessoris perpetrata. Verùm de eodem Arnoldo Priore amplius scire juvat, quòd

ipse in meditatione Dominicæ Passionis imaginem Salvatoris Nostri Crucifixi etiam ubique locorum transeundo devotissimè venerari consueverit, adè quidem, ut, si quando fieri posset, Sanctissimis illius suaviaretur osculis, totus quantus interim præ amantissima cordis amaritudine & compassione in lacrymas solutus. Habebat etiam in cubiculo suo parvam aliquam Servatoris nostri de Cruce pendentis Statuam, in qua præsentissimum contra quasvis infidias, tentationes & angustias omnes reperiebat subsidium, eamque subinde manu prehensens ad Suos vociferatus, *iste Protector Noster*, inquebat, *erit*, demandavitque, ut hanc ipsam imaginem sibi post mortem jam in Sarcophagum reclinato, & ad sepulturam composito, ad emortua præcordia seponerent, quod & factum est. Porro præter recensita minimè tacendum, quòd divinæ voluntati penitiùs agnoscendæ semper intensissimè studuerit, quandoque in ipso Missæ Sacrificio Christum Dominum à se consecratum ad integram semihoram sub visibilibus panis speciebus in manibus suis retinens, non nisi Davidicum illud Psal. 142. vers. 8. *Notam fac mihi Domine voluntatem tuam*, altis suspiriis ingeminaret, priùs non communicabat, quàm se specialis alicujus gratiæ radiò illustratum animadverteret; unde præ merissimo gaudio spiritus, sæpiùs à terrâ elevari visus, ad pacatissimum mentis Sabbatum interim retinendum etiam quemvis tenuissimum strepitum sub divino Officio fieri severissimè vetuit; alias etiam in queisvis negotiis ex injuncta sibi sparta tractandis & expediendis totus continuò recollectus, quoties ipsi vacabat, de rebus divinis sermones miscuit cum Fratribus, è quorum numero tribus pariter immenso DEI amore languentibus, dum aliquando sociatus verba sacra, quæ non licet homini profano loqui, mutuò conferent, candidissima quædam columba priùs nemini visâ, sese ipsis commiscuit, quæ & paulò post videntibus omnibus disparuit. His & aliis præclarè gestis optimus iste Prior Arnoldus anno gratiæ 1449. Religiosis laboribus non item animo lassatus, Successori locum dedit, & post proximum biennium feliciter emigravit in templo S. Meinulphi sepultus anno 1451.

VIII. ARNOLDUS de HULTE è Canoniâ Molenbeccensi (cui is à Venerab. Domino Prædecessore suo in Priorem fuit datus) ad Regimen Cænobii hujus Bodecensis reductus est annò 1449. ac mox taliter inthronizatus, Monasterium S. Catharinæ in Berich, loci Monialibus ad unam omnibus in pace demortuis, de prævio consensu Principis terræ, seu Comitis de Waldeck, recens instaurandum suscepit, Religiosa Canonico-regularium Colonia eò immisâ, tum alia quoque itidem ejusdem Ordinis Monasteria pariter felicissimè restituit, quæ præcipuè sunt Truttenhusianum in inferiori Alsatia Herzenhagenense in Hassiâ, ac tertium in Unna oppido in districtu Comitatus Mercanis situatum, tria hæc de speciali & religiosâ illius industriâ apprimè fuerunt restituta. Alias ejusdem Arnoldi hujus laudes enarrat Chronicon Windelimensense lib. 1. cap. 45. ubi Author Operis in eas taliter excurrit: *Venerabiles Patres de Bodike partium Westphaliæ, defunctus & modernus (Arnoldus Hulfius & Arnoldus de Holte) specialem à Deo gratiam in hoc sunt consecuti, ut Zelum bonum habeant, & operam diligentem impendant ad honorem Dei, & animarum salutem, plura Ordinis nostri perantiqua Monasteria debite reformare, & ut in bona reformatione permaneant, generali nostro Capitulo ad incorporandum assignare, Principes enim & Prælati de diversis regionibus usque de Basilea pro eo Legatos ad Capitulum transmiserunt, ut plena sibi detur auctoritas loca & personas suæ ditionis reformandas cum Collegâ invisendi, & si cuncta juxta Ordinis nostri instituta inveniunt bene disposita, generali Capitulo etiam incorporandi, si placeret, aut ipsam incorporationem generali Capitulo reservandi.* Præfuit Arnoldus iste usque ad annum 1464. quo currente vivere desiit peste sublatus, die 26. Augusti. Porro ad tempora Prioris hujus Arnoldi referenda est etiam sat magna quædam controversia, atque ista non nisi armis hostilibus (ut tum videbatur) decidenda, & hæc quidem inter Nobiles de Westphalen, & alios de Brenken appellatos, agitata, quæ & tertium Religiosissimum nempe Arnoldum Priorem istum licèt innocentem, involvit, adè quidem, ut is præ grandi timore consternatus, quasi præsentissimam hostium manum sibi jam violenter videbatur imminere; quando nimirum prædicti Nobiles de Westphalen ipso die Ascensionis Domini (minacibus litteris jam pridie ad Monasterium Bodecense missis) cum Sæculari quodam Canonico Paderbornensi in planitie campi Bodecensibus vicini obequitârunt, terribiles adè minas ore spumantes, armis autem eas quasi realiter jam intentantes (dum interim Venerabilis Dominus Arnoldus Prior iste sacris operans ad verba illa *Dominus in voce tubæ* ad Offertorium Missæ solennis in Choro decantata, se suumque Monasterium Domino Deo totâ fiduciâ intensissimè commendabat) horribilis fragor de sublimi aère intonuit, & fulgurans ignis illum excepit; quo primum Militis de Westphalen sonipes extinctus in terram corruit, & lancea illius in minutissima quoque frustra concisa fuit, sed & alium quoque, qui dictas minaces litteras ad Monasterium detulit utroque crure læsum prostravit; quare ultores isti præsentissimam DEI manum oppidò pertimescentes,

fese



fese gratiosos sponderunt Monasterii Patronos & Fautores de futuro per omnia fidelissimos, & si quidem solennè juramentò in Confirmationem promissi superaddito.

IX. JOANNES DAVENTRIENSIS BELGA, Vir omni suo tempore præstantissimus, anno 1465. in Reformatorem Monasterii Volckerdunckhusani constitutus, post aliquot annorum verò regimine optimè consummato, majori jam Dignitate dignus, ad Curiam Romanam avocatus fuit, ac pro meritis amplius honoratus, apud Helvetios in Suffraganeum Basileensem ordinatus, Prioratum Bodecensem infra se positum reliquit.

X. JOANNES DVL MARIENSIS natione Westphalus, aliàs *Tillmanus* seu *Tilemanus Dolmariensis*, licèt perperam ab Eifengreinio & Possevino nuncupatus, anno 1467. ab Officio Prioratùs Truttenhusiani in Alsatia ad sacram domum Bodecensem (in qua jam olim Canonicum Augustinianum professus fuit) reductus. Vir (testante Abbate Trithemio de Script. Eccles.) apprime doctus, ingenio promptus, & sermone compositus inclaruit.

XI. BERNARDVS itidem Westphalus, patrià Monasteriensis, sacrae Domus Meinulphianæ in temporalibus æquè ac spiritualibus Illustrator egregius extitit, siquidem toto Prælaturæ suæ tempore specialem curam gessit Disciplinæ claustralis secundum antiquum rigorem usitatum illibatè per omnia conservandæ; cujus & præclara specimina post se reliquit. Alias ejusdem laudes spirant, seu potius egregiè commendant gratissima ædificiorum monumenta, eodem ipso Authore condita, quæ inter præ cæteris eminet Chorus Bodecensi Ecclesiæ contiguus, secundum latitudinem æquè ac longitudinem structuris sanè magnificis extensus.

Perstat etiam in medio Chori antedicti monumentum lapideum admodum spectabile, ex omni parte monstrans effigiem sæpè nominati S. Meinulphi ad Crucem, inter cornua cervi apparentem, genuflexi. Clauditur tumba hæc (laminâ æreâ desuper impositâ similiter ejusdem Sancti icone decoratâ) cum hujusmodi inscriptione. *Anno Domini 1482. translatum est summum Altare de loco isto, & fertur, quòd S. Meinulphus vidit cervum cum Cruce hic cubantem. Gloria Tibi Trinitas.*

Porro solertissimus Prior iste Bernardus multa in utilitatem Monasterii sui Bodecensis perhibetur comparasse jura ac bona, quæ inter potissimum numeratur jus Decimationis in villâ Haren acquisitum; item jus Patronatùs Ecclesiæ S. Viti Martyris ibidem, maximè verò Curia in ipsa Episcopali civitate Paderbornen. integrè constituta. Cedit etiam in singularè ipsius laudem, quòd anno 1490. Monasterium Mercheshusium ab eodem strenuè fuerit reformatum, ejusdemque curæ speciali commissum. Item contubernium Montis S. Annæ in oppido Cassali unius Bernardi istius directione plenissimè restitutum. Sed major his omnibus est, qui antiquos hujus temporis Bodecenses Canonicos specialiter commendat, Religionis Zelus, quo per ipsos viginti quatuor Monasteria de sæpè nominatâ Congregatione Windesimensi legimus fuisse benè reformata Tandem annis in Officio Prioratùs octodecim circiter summo labore & industriâ confectis, Bernardus iste in Domino requievit anno 1494. die 21. Octobris.

XII. JOANNES DULMARIENSIS secundus, ordine taliter nominatus, idem prius ob eximiam, qua claruit, rerum gerendarum prudentiam, per omnia nemini non sese gratum probavit, & acceptum. Anno 1506. ad Monasterium S. Laurentii in Hissâ Diocesis Metensis in Lotharingia reformandum, evocatus fuit, ac generalem impetravit juri ac privilegiorum Monasterii sui Confirmationem anno 1512. Autoritate Maximiliani Primi Romanorum Imperatoris clementissimè datam & impetratam.

XIII. ANTONIUS GROPPERUS de Grensberg specialiter commendatur ob jura Monasterii sui facta testâ jugiter conservata. Habuit sub suo Regimine Sacerdotes (demptis tribus alibi locorum nempe Coloniae Agrippinæ, Daelheimii, & Merkeshusii in Officio Prioratùs pro tempore constitutis, item decem aliis Canonissarum Regularium Confessariis, & in spiritualibus Rectoribus) viginti duos, Diaconos septem, Sub-Diaconos tres, Conversos seu Laicos Fratres centum quinquaginta, vitâ temporali defecit anno 1527. die 23. Aprilis in Choro S. Meinulphi tumulatus. Ejus temporibus Monasterio Bodecensi singulariter benedixisse visus est Deus ter Optimus Maximus, siquidem Venerabilis

rabilis iste Prior Antonius anno 1524. mille trecentos homines plus minus ad solemnem Festivitatem S. Meinulphi concursantes finitâ re Divinâ pro cujuscunque statûs conditione, fatis lautè largiter ac liberaliter habuit.

XIV. HENRICUS SWALEMUND Paderbornensis Westphalus è Canoniâ Bodecensi in Priorem Monasterii SS. Corporis Christi apud Colonienfes electus, postmodum verò sub annum 1527. in propriâ Religiosæ Professionis suæ domo præsidere nominatus, turbulentissimis (ob pullulantes nimirum hæreses quasi vulpeculæ vineam Domini Sabbath miserrimè devastantes) temporibus antestitit; Idem summis Principibus unicè gratus, præsertim verò Augustissimo Romanorum Imperatori &c. summè charus & dilectus, à quo eodem Augustissimo Casare feliciter impetravit solemnem quorumvis Privilegiorum Bodecensium Confirmationem Bruxellæ in Brabantia proprio quodam Diplomate firmatam. Cæterum dignissimus Præsul iste suo tempore nutritivum Claustraliū Canoniorum Conventum omninò frequentissimum videlicet Presbyteros 33. Diaconos 2. Sub-Diaconos 1. Laicos verò Fratres Conversos ducentos. Memoratur etiam pro majori Officii divini splendore procurâsse usum organi, hætenus isthic locorum nunquam visi vel auditi. Demortuus tandem ad plures abiit anno 1545. reconditus in Choro Basilicæ Bodecensis.

XV. JOANNES WIDENBURGIS de gremio Regularium Bodecensium assumptus, primùm annis quatuor apud Colonienfes in Monasterio SS. Corporis Christi munere Supprioris perfunctus, subinde verò ad domum Religiosæ Professionis suæ revocatus, supremus illius Administrator designatus est, anno 1545. Calendis Septembris. demùm post expletum in Officio Prælaturæ anni unius decursum, spontè resignatus, Volcknariam abiit ad parthenium sui Ordinis Cœnobium in Archi-Diœcesi Coloniensi, Rectoris vices inibi supplere detentus; ubi etiam in majori Ecclesia sepultus requiescit anno 1551. fatis extinctus die 17. Septembris.

XVI. JOANNES de LOEN uti senectâ ætate venerabilis, sic & morum suavitate cunctis amabilis, sacre Regulæ Canonico-Augustinianæ semper observantissimus, rarissimæ Sanctitatis exemplo vallem Bodecensem simul & Ecclesiam S. Meinulphi rarâ vitæ pietate, ac morum industriâ plurimùm illustravit, cælis receptus anno 1549. post expleta fata sua honore condigno depositus in Choro Bodecensi.

XVII. GEORGIUS MOLITORIS, constanter omnimodam præferens vitæ Religiosæ pietatem, Officio divino in propriâ Ecclesiâ suâ diu noctûque congrua devotione celebrando se totum impendit, unde & in usum illius insigne quoddam Organum fieri fecit. Cæterum Prælaturæ fasces annis semiquinque tantum tenuit, ex quo per ultroneam resignationem Canonicis Capitularibus illos Successori consignandos reliquit.

XVIII. HERBOLDUS AMENDICK, Antistes gravis admodum & spectabilis apud omnes, Monasterio suo, siquis alius, optimè prospexit; præsertim calamitosi illis temporibus, quibus Henricus Dux Brunsvicensis è locis sacris per totam Diœcesin Paderbornensem diffusis, militari potentiâ quæstum incendiarium extorsit magnum & copiosum nimis, unde Sacra Familia Bodecensis, quod sibi timuit, non habuit. Demùm Venerabilis Prior iste sub annum 1556. à Capitulo generali sui Ordinis dimissionem ab Officio gratiosè concedendam devotissimè postulans, exauditus est pro suâ Reverentiâ.

XIX. GEORGIUS HUSHENIUS, Vir magnificus in tabulis appellatus, prout vixit, ita & rexit, nullis unquam parcens sumptibus ad justificandas Monasterii sui causas impendendis. Id unum abfuit in Prælato isto, cæteroquin laudatissimo, quòd Rigorem Disciplinæ regularis temperare nescius, Religiosis Fratribus (quos communiter à se tristes & desolatos dimisit) omnibus odibilis factus sit, ut Authoritati suæ benè consulere, Canonicæ Congrégationis suæ Supporem proprio Marte solus amovit, alium quendam pro libitu substituens; unde similtate inter Domesticos exortâ, & totâ hac controversiâ ab Capitulo generale devolutâ, ipse Dominus Georgius iste Officii sui in totum dimittendi reus fuit proclamatus; qui tamen hac in parte morem gerere detrectans, fortiter obstitit, & quò fortius posset, Brachium Potentiæ sæcularis, item etiam Ordinarii sui Paderbornensis Episcopi instantè imploravit; quare is (Diœcesanus subintellige) cum Nobilibus Vasallis, Consiliariis ac Satrapis suis undique stipatus Monasterium Bodecense potenter intravit, & Georgium Priorem hunc in integrum restitui voluit, cujus tamen attentata Canonici Claustrales pio voto prævertentes communi omnium suffragantium calculo alium quendam instituerunt, prædictis iniquis Fautoribus re infectâ omninò

ninò desistere compulsus, ipso simul etiam Ven. Domino Georgio olim Priore ad Rectoratum Parthenonis Lippstadiensis pro tunc amandato, indè tamen paulò post iterum revocando, ut mox dicetur infra.

XX. ARNOLDUS Burcoducensis Belga Claustralis Antistes inclytus, dignissimè præstitit, in quo primas retulit optimi viri tum columbina simplicitas, tum exemplaris Religiosæ vitæ pietas, præfuit annis quinque, & diem suum obiit Gesenæ, exinde ad suum Bodecense Monasterium translatus, tumulum accepit in ambitu Claustris an. 1571.

XXI. GEORGIUS HUSHENIUS suprædictus secundâ jam vice ad regimen Bodecense vocatus, summa cum laude de novo Prioratum gessit, quousque Paderbornam profectus, ibidem venenò sublatus interiit. Corpus ejus exanime Monasterio Bodecensi illatum, cum cæteris in ambitu depositum requiescit.

XXII. CORNELIUS COCI sub ingressum Prælaturæ sat magna quidem visceritate passim in proximos ostensâ, parique cordis humilitate vel saltem forinsecus ostensa, magnam sibi conciliavit Religiosi Regiminis mansuetudinem, & charitatem de se conceptam, verùm juxtâ vetus verbum

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum,

Cùm enim Neo-Prior iste sese circumspiceret in alto superioritatis fastigio constitutum, haud amplius ad antiquam sacræ Religionis observantiam respexit, sed ad vanissimam sæculi pompam se convertit, eaque propter, qui prius fuerat

-- -- -- -- longè mutatus ab illo

Communi Patris officio petulanter abusus, filiis suis spiritualibus Vitrici ac Novercæ solum manu benedixit, & ingenti debitorum summâ in maximum Oeconomiam damnum pessimè conflata, de Monasterii sui statu in melius reformando quasi desperans, nocte concubia fugam arripuit, & animas sibi creditas omninò desolatas Mercenarius iniquus liquit, tandem etiam votorum suorum immemor ad Lutheri castra transiens, in Ducatu Brunsvicensi annò 1579. Apostata à fide Orthodoxâ factus est; sic enim perversi mores ulceratis temporibus istis suadebant, & urgebant. Sed quod amplius est, Cornelius iste tandem eò miseriarum adactus, pistorem agere compulsus, filius verè prodigus siliquas cum Porcis devorans, in summâ egestate miserimus expiravit.

XXIII. MEINULPHUS TAMERLAND annò 1579. in Priorem nominatus, totum ferè Bodecensis Canoniam suæ statum undequaque turbatum invenit, ut putà Fratres desolatos, & mores ipsorum non nisi depravatos, nempe Regis Prædecessoris Cornelii ad exemplum. Hic igitur labor, hic opus erat, ut animos subditorum ad sanam viam reduceret, quod tamen toto Prioratus sui tempore, prout voluit, in totum tamen perficere haud potuit, videlicet in ipso susceptæ Reformationis actu præter spem à feris Parcis citius interemptus anno 1583.

XXIV. GEORGIUS Rudensis Zelò Religionis totaliter accensus, ut suos ad meliorem piè vivendi normam potenter induceret, omnimodam discretionem quasi magnetem adhibuit, & quos alii vel indulgentiâ mollire, vel rigore flectere haud potuerunt, ipse medius tutissimus jens, pietatis ardore cum adjunctâ litterarum scientiâ in remedium usus, etiam invitos fune laudabilis exempli prælucentis attraxit, post biennium beatâ immortalitate donatus anno 1586.

XXV. HENRICUS VALESIUS singulari oris facundiâ præditus, & vel hinc viris Principibus unicè gratus & acceptus, sed vel maximè Ordinario suo Reverendissimo ac Illustrissimo Principi ac Domino Domino Theodoro S. R. I. Principi & Episcopo Paderbornensi nunquam non in magno pretio habitus, Monasterium suum ære alieno in tantum deprehendit gravatum, ut jam ad restim quasi res pervenisse videretur; quo tamen non obstantè, ipse Henricus totâ dexteritate suâ miserum œconomiam statum eò extulit, ut in Chartis visitationis sub id tempus peractæ, de forensi statu Monasterii hujus reperire liceat hæc verba: *Debita hic nulla invenimus*: Præter id de eodem Religiosissimo Antistite scribitur; quòd nihil adeò diris devoverit, quàm quodlibet etiam minimum proprietatis alicujus specimen, suis semper inculcare solitus, sufficit marsupium unum, & tale plus prodest Monasterio, quàm plura saccula divisa. Præfuit annis 30. & senio fessus, ultrò gubernaculis cessit ad manus Capituli Generalis potestatem hætenus usurpatam resignans.

XXVI. ÆGIDIUS REVERE vitam Regularem apud Belgas in rubea valle professus, à toto Windesimensis Congregationis suæ Capitulo in Priorem Bodecensem delectus fuit, & talis univoce renuntiatus, quia nimirum ut generosus libertatis Ecclesiasticæ Defensor plurimum excelluit. Dissolutos etiam Fratrum mores severe coercuit, etsi difficillima nactus tempora; quibus heterodoxus Dux Brunsvicensis Christianus nomine, Pseudo-Episcopus Halberstadiensis, totam ferè Westphalam atrociter nimis infestavit. Demum ipse Ægidius iste, postquam Monasterium suum toto sexennio laudatissime rexit; terris defecit in Bodecensi Ecclesiâ suâ tumultus annò 1623.

XXVII. GERARDUS SONNENSCHMIDT longâ rerum experienciâ perinclytus, etsi tristia solum (ut & Prædecessor ipsius) tempora sustinuit, dum nempe tota Westphalia bello arderet funestissimo; quo tamen tempore nihil unquam in se desiderari passus est Gerardus iste, Prælaturæ regularis officium attamen præclarissime semper gerens. Cætera vir ex assè bonus quidem, exacto sui Prioratus decennio vitam finiit temporalem, & communi Religiosorum Confratrum suorum luctu sepulturam accepit in Parthenone Lippstadiensi annò 1633. die 7. Julii.

XXVIII. HERMANNUS CRUTL mox in ipso suæ Prælaturæ regularis aditu, in medias incidit Bellonæ Suevicæ furias, quo tempore totum S. Meinulphi Collegium vesana hostilium armorum potentiâ, non tantum miserrime fuit expilatum, sed & ipsum Religiosum domicilium ad alienos translatum, ut puta Viris Religiosis nec ad horam isthic subsistere toleratis, qua perdurante bellorum calamitate bina perierunt Fratrum Refectoria, voracibus flammis terribiliter absumpta, imò & Monasterium (propter intolerabiles, easque quasi continuas exactiones militares) are alieno nimis gravatum ad incitas devenit, quam eandem miseriam è vestigio secuta, seu potius concomitata fuit tædiosa terræ sterilitas, ad plures annos continuata, totaque tristium temporum injuria; quibus tamen malis, atque sexcentis aliis vitæ temporalis incommodis omnibus Superior Reverendissimus Prior iste Hermannus multa claustrî ædificia in integrum restituit, donec tandem placidè in Domino requievit anno gratiæ 1672.

XXIX. HENRICUS HAYDMANN doctrinæ laude præcipuus, cui suavissimam morum humanitatem adeò conjunctam ipse semper exhibuit, ut omnium animos sibi devinciret, qui tamen de eadem hujuscemodi bonitate, ceu justò nimia, à malefanis subditis suis incusatus quandoque tritum illud *ne quid nimis* oblatrantibus vel invitatus sustinuit, & dum decennio & ultra cum plenitudine potestatis præfuit, morte naturali devictus ad plures abiit anno 1683. die 9. Decembris.

XXX. JOANNES HOHEHER non tam senio grandævus, quàm discreto Canonice Religionis Zelo clarissimus, post octodenos sui regiminis menses morbis corporalibus exhaustus sepulchro illatus fuit mense Julio anno 1685.

#### BODINGENSE.

Propè Sigeberg Diœcesis Coloniensis, in Ducatu Montensi situatum Monasterium, Mons dicitur Beatæ Mariæ Virginis de Congregatione Windesimensi. Hæc Pennotus in Historia tripart. lib. 1. cap. 39. num. 2. post quem adducendus hic est in rem præsentem Joannes Buschius in ipso Chron. Wind. lib. 1. cap. 42. sic legendus: Monasterium in Bodingen Diœcesis Coloniensis Ducatus Montensis parvam & pulchram habens Capellam, & Beatissimæ Virginis Mariæ imaginem super summum Altare, Salvatorem tanquam de Cruce depositum gremiò continentem; ad quam homines sexus utriusque, fortes & infirmi, variis languoribus & incommodis detenti, per milliaria triginta & amplius quotidie cum Votis suis, & muneribus confluentes, ad invocationem B. Mariæ Virginis se fuisse salvatos, & aliquando à morte resuscitados, probabilibus signis & testimoniis certissime affirmarunt; Liberationis & Salvationis suæ inter signa, ligna, compedes, & ferramenta in Bodingen quotidie secum deportantes. Vidimus Offertorium in cerâ, aurò, argentò & pecuniâ, cæterisque similibus in ejus festo Visitationis centum florenos excessisse. Plebanus autem & Clerici, ad id requisiti, Capellam hanc de fidelium eleemosynis & oblationibus satis aptè construxerunt, & quatuor beneficia, annuis redditibus ad id comparatis, quatuor Presbyteris Autoritate Sedis Apostolicæ conferendis, qui horas Canonicas in eâ perpetuò decantarent, & Missas observatis vicibus celebrarent, ibidem instituerunt. Illustri autem Princeps Adolphus Dux Montensis (Adolphi cognomento Senioris filius, Adolphi noni Nepos in Concilio Constantiensi primus à Sigismundo Imperatore Ducis Montensis titulum adeptus, qui Wilhelmum Ducem Mont-

ten-

tensem Avunculum suum anno 1397. prælio devictum, cepit, & acceptis ab eo Ravensteinio, Lewenburgo, aliisque ditionibus liberum dimisit, multasque alias ditiones comparavit, idem secundum genealogicam seriem suam ab Antonio Albicio in Stemmat. Christianorum Principum fol. 39. descriptus) Vir prudens & potens, in cujus temporali Dominio idem locus est constitutus, quotidie cernens ejus oblationes augeri, & dictos Beneficiatos longas inter se discordias exercere, & nec ad invicem, nec cum Plebano posse concordare, dictam Capellam cum suis attinentiis in Monasterium Canoniorum Regularium Capituli de Windefem deliberavit erigere. Missum est ad Papam, qui Domino Abbati ad S. Martinum Coloniae causam commisit examinandam, & si ita inveniret, ut sibi narratum fuerat, Capellam præfatam cum suis attinentiis in Monasterium erigeret, qui auditis partibus, & causam rationabilem, cur impediretur, non inveniens, beneficia ipsa mortificando Mandatum Apostolicum declaravit in vigore debere permanere. Princeps ergo præfatus solemnes misit Legatos in Windefem ad Capitulum, ut dictum locum in Bodingen pro Monasterio Ordinis sui construendo assumerent, Fratres reformatos quantocyùs illuc dirigerent. Cujus Legatio Patri Henrico Loeder in Northorn Priori à Capitulo fuit commissa; qui à Duce Montensi gloriosè susceptus, cuncta jam præmissa debite executioni mandavit. Nam Prior de Windefem duos de Conventu suo illuc destinavit Fratrem Tricum Lyman de Goch, & Fratrem Joannem Buch de Zwollis cum Fratribus duobus de Northorn Arnolde Huls, & Wilhelmo Keppel, dans illis in mandatis, ut Monasterium, & humiliationes de Northorn, & quod de sancti nominis & perfectionis Monasteriis essent sub magnis Capituli nostri Præceptoribus instituti, jam rebus demonstrarent, ut filii non degeneres sed merè legitimi probarentur. Patrem ergo Arnoldum Huls, jam dudum Coloniae notum Rectorem eis præfecit, Missalia duo, Antiphonare unum, Graduale unum, bonum Psalterium cum aliis libris divinis, & duorum Fratrum vestimentis penè duplicia, ac quatuor videlicet superpellicea, & sex nova subtilia, duo Almutia, quatuor sotularia, quatuor filtratos calceos, quatuor lanea linteamina, quatuor duplicata suppellectilia, & cætera plura similia Fratres præfati de Windefem ibidem secum asportaverunt, quæ post annos quatuor Frater Joannes Buch, cum Fratre Wilhelmo Keppel inde recens, novem Fratribus ad Religionem ibi priùs receptis, omnium penè de Patrum in Windefem licentiâ in Bodingen reliquit, &c.

## BONNA.

Civitas Electoralis de Diœcesi Coloniensi, quatuor leucis à Colonia Agrippinâ in Austrum, Confluentiam versùs, ad Rhenum adflata, cum Xantho potissima Ducatûs Cliviensis civitate prisca sæculis primùm à Trojanis (uti constans fama fert & traditio) condita; atque eadem hæc sedes Metropolitanæ, seu Electoris & Archi-Episcopi Coloniensis, incluta Parthenium quoddam Canonissarum Regularium Ordinis S. Augustini Collegium habet, à prima fundatione suâ usque hætenus continuo florens, nisi nuper (quod absit) à Gallis anno 1688. & 1689. Bonnam hostiliter insidentibus, utcunque pefundatum. Venerandi hujus Gynæci circa annum 1420. Fundator fuit Eggbertus Wilhelmi Eggardi Hollandiæ quondam Thesaurarii filius, *Vir dives & prudens in tabulis appellatus*, qui & hinc magnam pecuniæ summam Generali Capitulo, & Monasterio in Windefem pro comparandis redditibus liberaliter donavit. Joannes Buschius in Chronico Windef. Lib. 2. cap. 42.

## BOROWANENSE.

Seu patriâ voce *Worowan*, Teutonicè verò *Forbas* nominari solitum, Archi-Diœcesis Pragensis in districtu Bechinenfi, Pragâ verò, Regni Metropoli, quatuor miliaribus sejunctum, & Superiorem Austriam versùs quasi centrum in circulo inter Civitates Budovicium, Trebonam, & Neocastrum &c. eminentissimo loco, saluberrimâ aurâ, pulcherrimòque prospectu hodiè visendum, idque Divæ Virgini Deiparæ dicatum Canoniorum Regularium Ordinis S. Augustini Monasterium, superiori ætate longævâ miserrimè laceffitum fuit, Primum Fundatorem habuit annò 1448. Insignem Heroem Petrum de Linden Armigerum, qui natione Belga in diebus suis Dlubokæ (qui est pagus non nisi sex millibus passuum à Monasterio sejunctus, hodie tamen vix & ne vix quidem ex rudibus suis agnoscendus) constanter immoratus, annum & diem mortis suæ posteris liquit ignotum, non item Epitaphium suum in Ecclesia Borowanensi in hæc verba legendum. *Hier ist die Begräbnuß Peter von der Linden - - - Und Mert seines Sohns, der todt ist an S. Achatii Dag, deme GOtt gnädig seye. Anno 1452.* Cæterum primam Monasterii hujus Confirmationem à Principe terræ clementissimè datam habemus ex sequentibus.

„ LADISLAUS DEI gratiâ Hungariæ, Bojemîæ, Dalmatiæ; Croatia, Raniæ, Ser-  
 „ viæ, Galliciæ, Lodomiriæ, Cumanæ, Bulgariæque Rex Austriæ & Lucenburgen-  
 „ sis Dux, nec non Moraviæ & Lusatiæ Marchio &c. ad perpetuam rei memoriam &c.  
 „ Sacrosanctarum ædium instaurationi & augmento, quibus paternè semper latèque fa-  
 „ vemus, cum desiderio majori assistimus, quoniam divinus in eis cultus ab his agendus  
 „ est, qui jugiter in observantiâ regulari viventes, DEO mentis puritate junguntur, &  
 „ hominibus plurimum vitæ immaculatæ exemplo & conversatione sanctâ proficiunt.  
 „ Cum itaque fidelis noster Dilectus Petrus de Linden Celsitudini nostræ supplicaverit,  
 „ dignaremur nostro consensu approbare, validare. & roborare instaurationem, Refor-  
 „ mationem, ac dotationem Ecclesiæ Parochialis in Barowan Pragenfis Diœcesis, de qua  
 „ instaurando & reformando Monasterium Canonorum Regularium facere intendit,  
 „ ipsûmque dotare, & infra scriptis bonis suis videlicet Villâ Nesmen, villâ & Curiâ  
 „ Dluboka, Sylvâ Kuchinta, Sylvâ Hepku usque ad viam, qua itur ad Gilosoy, pisci-  
 „ nâ Bornwanez, piscinâ Neustift, piscinâ nova in Sylvis Pisemia, Rohozne, piscinâ  
 „ juxta viam Dluboka, piscina in villâ Dluboka, piscina supra villam & Curiam Dlub-  
 „ ka & molendino de luto, quod vulgariter Kottmühl vocatur cum flumine, quod ad  
 „ ipsum spectat Molendinum, quæ bona supra scripta vult dicto Monasterio simpliciter  
 „ & purè donare. Infra scripta verò videlicet Sylvam, quæ pertinet ad Curiam Dlub-  
 „ ka sitam intra viam, qua itur in Gilowiz, & piscinam quæ vocatur Linden, pratum  
 „ Stokwüfen, pratum super piscinam Borowanez totam villam Borowan, tria molen-  
 „ dina videlicet primum apud pontem super fluvio Straboniz, & duo immediate sequen-  
 „ tia cum flumine ad ipsum Molendinum spectante, & piscinam quam faciet in bonis su-  
 „ is, sitis inter piscinam Borowanez & piscinam Linden ipsi Monasterio cum hac con-  
 „ ditione & modo concedere & donare intendit, quòd bona ipsa apud eum sint toto  
 „ tempore vitæ suæ, & de ipsis fructus percipiat, eaque vendere & alienare valeat, & de  
 „ ipsis ad velle suum disponere. Sed si de eis aut eorum aliquibus, ejus vita durante,  
 „ vendendo, donando aut aliter non disposuerit, tunc dicta bona de quibus, ut dictum  
 „ est, dispositum non erit, sicut alia prius nominata dicti Monasterii simpliciter, & purè  
 „ sint, ac esse intelligantur, Nos ad laudem Omnipotentis DEI ipsius Petri piæ petitioni  
 „ libenter annuimus. Igitur non per errorem aut improvidè sed deliberatè & sano no-  
 „ strorum Procerum & fidelium accedente consilio & de certâ nostrâ licentiâ, authori-  
 „ tate Regia Boemiæ dictam Ecclesiam instaurari, reformari, & de eâ Monasterium Ca-  
 „ nonorum Regularium fieri, ipsûmque dotari, & ut supra narratum petitumque est,  
 „ approbamus, validamus, roboramus, & consensus nostri interpositione munimus.  
 „ Et ut præfato monasterio uberius sit providentiâ nostrâ consultum, ipsi Monasterio da-  
 „ mus & concedimus licentiam, facultatem, nostrumque assensum per se vel per alios  
 „ emendi, vel alio quovis titulo recipiendi. Ultra bona supra scripta sexagenas quin-  
 „ quaginta grossorum censûs annui sive reddituum, fructuum sive proventuum in bonis  
 „ quibuscunque feudalibus duntaxat exceptis, quæ bona omnia supra memorata cum  
 „ eorum omnibus pertinentiis, prædicto Monasterio modis supra scriptis applicanda, ex  
 „ nunc prout extant eidem Monasterio, Prælato, Conventui ipsius, & Successoribus eo-  
 „ rum unimus, annectimus, & incorporamus, volumusque ac decernimus per ipsum  
 „ Monasterium, Prælatum, Conventum, & Successores eorum pacificè perpetuò, tene-  
 „ ri, & plenè possideri impedimentis omnibus procul motis cum omnibus immunitatibus,  
 „ & privilegiis rerum Ecclesiasticarum, quemadmodum alia Regni Nostri Bœmiæ Mo-  
 „ nasteria bona sua habent, tenent, & possident. Supplemus etiam de plenitudine Re-  
 „ giæ potestatis omnem defectum, qui in præmissis quomodocunque obsisteret. Man-  
 „ damus ergo omnibus Subditis Nostris cujuscunque officii, dignitatis, Nobilitatis, ac  
 „ statûs existant, & singulariter Regni nostri prædicti Bœmiæ officialibus, qui nunc  
 „ vel pro tempore erunt sub pœna indignationis nostræ, ne præfatis, præfato Mona-  
 „ sterio Prælato Conventui ipsius aut Successoribus eorum, contra præfens Serenitatis  
 „ nostræ indultum obtent, molestationem, vexationem, aut aliud quodcunque impedi-  
 „ mentum quomodolibet faciant, sed ipsis potius defensione, protectione, & omni au-  
 „ xilio promptè subveniant. In quorum fidem has nostras litteras fieri & Regii sigilli  
 „ nostri jussimus appensione muniri. Datum Viennæ in festo S. Laurentii Martyris an-  
 „ no Domini Millesimo quadringentesimo quinto, Regnorum nostrorum anno Hunga-  
 „ riæ sexto decimo, Bœmiæ verò secundo.

(L.S.)

Ad mandatum Domini Regis

PROCOPIVS de RABSTEIN Cancellarius.  
Eo.

Eodem anno præter possessiones & bona immobilia supra recensita, novæ Ecclesiæ Borowanensi in usum perpetuum legitimè fundata & attributa, speciales etiam quasdam gratias & privilegia in foro Ecclesiastico clementissimè concessa denuntiant litteræ in rei confirmationem datæ, quæ sunt hujusmodi tenoris:

„ **W**ENCESLAUS de Crumlau Decretorum Doctor Decanus Ecclesiæ Pragensis Ad-  
 „ ministrator in Spiritualibus Archi-Episcopatus ejusdem fede vacante per Ve-  
 „ nerabile Capitulum constitutus &c. ad superni Regis honorem ejusque Virginis inte-  
 „ meratæ Matris & Reginae libenter conjungimus, atque opere utcumque possumus il-  
 „ lius decorem ac culmen promovemus. Et licet nihil sit, quod nos agimus in valle la-  
 „ crymarum ac miseriarum constituti, autoritate tamen à Christo per traducem sibi  
 „ succedentiam Sanctissimorum Patrum huc usque ad nos transfudit, ut etiam piis vo-  
 „ luntatibus non nisi nostra aut superiorum nostrorum subveniat autoritate, quo-  
 „ niam si in Hierarchico statu voluntas sine patrocinio autoritatis & obedientiæ, ac sub-  
 „ jectionis sanctionem pœnarum aliquam superet potius temeritatis quàm virtutis super-  
 „ stitionem nominare, possitque ab Angelo tenebrarum, qui suevit arrogantiam quadam  
 „ & timore lucis se fingere missum præsumi procedere plusquàm obedientis Hierarchiæ  
 „ Cœlestis. Quapropter quia Nobilis & discretus Petrus de Linden motus Spiritu divi-  
 „ no in remedium peccatorum suorum & Progenitorum ipsius ad extruendum, ædifican-  
 „ dum, & instaurandum de novo novum Monasterium in Beatissimæ Virginis Mariæ  
 „ Matris DEI honore resurrexit, hocque pro Canonicis Regularibus Ordinis S. Augu-  
 „ stini sua intentione deputat, quos vult ibidem statuere, collocare, & fundare,  
 „ sumptibusque propriis dotare, ad hocque actu bona libera & justa deputavit, & ex-  
 „ pressit, scriptoque & patrocinio Serenissimi Regis nostri consensum effectualiter obti-  
 „ nuit, nos petitionibus, quas nobis obtulit, inclinati ex unanimi & speciali consensu,  
 „ & authorizatione Venerabilis Capituli Pragensis, ut possint ipsum Monasterium ædifi-  
 „ care, ac primum lapidem per quemcunque Episcopum gratiam & communionem Se-  
 „ dis Apostolicæ habentem, imponere, quem ad hoc habilitamus, & eidem hæc facere  
 „ in nostra Diœcesi indulgemus, nec non altare seu altaria consecrare, plenariam licen-  
 „ tiam concedimus & largimur structuram ligneam usque ad tempus æstivale ibidem fie-  
 „ ri in loco, quem Episcopus primo lapide juxta constitutiones Patrum sancivit &  
 „ ædes ac mensuram seu confinia juxta officium suum ambierit, ex gratia speciali dispen-  
 „ satione ac indulgentiâ admittentes præsentibus nostri officii sigillo in testimonium  
 „ communitis. Datum sub anno Domini Millesimo quadringentesimo quinto die  
 „ verò 16. Maji.

Anno 1456. recensitas hætenus variarum Concessionum litteras secundum tenorem suum aliquatenus impugnatas, queisvis Juribus ac prætensionibus in contrarium assertis non obstantibus, amplius fuisse confirmatas legimus juxta tenorem sequentium:

„ **W**ENCESLAUS de Chrumlau Decretorum Doctor, Decanus Ecclesiæ Pragensis,  
 „ Administrator Archi-Episcopatus ejus sede vacante per Venerabile Capitulum  
 „ constitutus &c. tenore præsentium proferimus, quod nos nuper litteras ab officio con-  
 „ cessas pro ædificatione Monasterii in honorem Beatæ Mariæ Virginis Ordinis Canoni-  
 „ corum Regularium S. Augustini prorogavimus, & prorogamus, ut id fieri possit, &  
 „ apud Ecclesiam Parochialem in Borowan volentes nostram traditam concessionem cum  
 „ singulis conditionibus & clausuris ad eum locum per nostram Autoritatem Ordina-  
 „ riam extendi, & vigorem habere non obstantibus Juribus Parochiæ, in quam Fratres  
 „ ibidem ponendos autoritatem curæ & plebis decernimus habere, salvis tamen omni-  
 „ bus ibidem juribus Episcopalibus, & Episcopali Sedi competentibus præsentibus no-  
 „ stri officii sigillo in testimonium communitis. Datum in Castro Pragensi anno Domini  
 „ Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, die verò decima quinta Men-  
 „ sis Junii.

(L. S.)

Anno 1458. Fundationem Borowanensem suprædictam etiam Autoritate Sedis Apo-  
 stolicæ ritè comprobata[m] indicat Bulla Papalis à Pio II. Summo Pontifice in rem præ-  
 sentem clementissimè data, quæ sic sonat:

„ **P**IUS Episcopus Servus Servorum DEI dilecto Filio Ecclesiæ Pragensis Salutem &  
 „ Apostolicam Benedictionem &c. Sedis Apostolicæ circumspècta benignitas fide-  
 „ lium

„ lium devotorum justis consuevit desideriis favorabiliter annuere, & ea, quæ pro ani-  
 „ marum salute, divinique cultûs augmento, ac Sacræ Religionis propagatione proces-  
 „ sisse comperit libenter Apostolici muniminis perstringi firmitate, ipsosque in his potif-  
 „ fimùm, per quæ divini cultûs augmentum ac Religionis propagatio hujusmodi spera-  
 „ tur liberaliter exaudire. Exhibita liquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Nobilis  
 „ Viri Petri de Linda armigeri Pragensis Diœcesis petitio continebat, quòd ipse olim  
 „ Zelò devotionis accensus, cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici  
 „ commercio commutare, & pro suæ Progenitorumque suorum, & Antecessorum ani-  
 „ marum salute, divinique cultûs augmento, nec non Religionis propagatione, ac Chri-  
 „ sti fidelium partium illarum augmentandi devotione, de consensu tamen loci Ordini-  
 „ narii quoddam Monasterium ad laudem divini Nominis, & honorem Beatæ Mariæ  
 „ Virginis pro usu & habitatione nonnullorum Canonicorum Regularium Ordinis S. Au-  
 „ gustini infrà limites Parochiæ seu Parochialis Ecclesiæ in Borowan dictæ Diœcesis, quæ  
 „ de jure Patronatûs ejusdem Armigeri fore dignoscitur, non modicum sumptuosè fun-  
 „ dari, construi, & ædificari incepit, illudque jam actu de rebus & bonis propriis etiam  
 „ patrimonialibus, tam mobilibus, quàm immobilibus pro uno Præposito & sex Canoni-  
 „ cis dicti Ordinis inibi perpetuò Altissimo servituris, & quos ibidem collocare intendit,  
 „ & proponit, competenter dotavit, & adhuc sibi propitiis fidelium assistentibus suffra-  
 „ giis meliùs dotare, ac plures alios Canonicos ejusdem Ordinis in ipso Monasterio po-  
 „ nere, & ordinare Domino concedente speret. Quare pro parte dicti Armigeri nobis  
 „ fuit humiliter supplicatum, ut foundationi, dotationi, & intentioni sive voluntati hu-  
 „ jusmodi pro eorum subsistentiâ firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, &  
 „ alias super his optimè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur  
 „ quibuslibet Divinum cultum adaugeri & Religionem propagari nostris præsertim tem-  
 „ poribus intensis desideriis affectamus, de præmissis tamen certam notitiam non habentes  
 „ hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni suæ per Apostolica scripta manda-  
 „ mus quatenus prædictis omnibus & singulis earumque circumstantiis universis authori-  
 „ tate nostra te diligentius informes, & si per informationem hujusmodi ita esse repe-  
 „ ries, super quò tuam conscientiam oneramus, foundationem, dotationem, & inten-  
 „ tionem sive voluntatem prædictam, & quæcunque inde secuta eadem autoritate  
 „ nostra approbes, pariter & confirmes supplendo omnes defectus, siqui forsitan inter-  
 „ venerint in eisdem, me tamen Parochialis Ecclesiæ & cujuscunque alterius semper  
 „ in omnibus salvo, non obstantibus constitutionibus Apostolicis ac statutis & consue-  
 „ tudinibus Monasterii & Ordinis prædictorum juramento confirmatarum Apostolica  
 „ vel quacunque firmitate aliâ roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum  
 „ Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringen-  
 „ tesimo quinquagesimo octavo quinto Idus Septembris Pontificatus nostri anno primo.

Eodem anno Summus Pontifex in hujusmodi piâ fundatione Borowanensi benè sibi  
 complacens, eamque magis & magis adaugeri cupiens omnibus & singulis ad opus Mo-  
 nasterii hujus utcunque concurrentibus speciales quasdam de thesauro Ecclesiæ gratias  
 in Domino concessit per aliam Bullam eodem anno prædicto & die, quo prior fuit expedita,  
 clementissimè datam, cujus tenor de verbo ad verbum talis est :

„ **P**IUS Episcopus Servorum DEI universis Christi fidelibus. Devotius honorari con-  
 „ venit, quo ipsa Virgo Sacratissima Redemptoris Nostri Mater effecta meruit in  
 „ cælis præ cæteris Sanctis sublimius venerari, & super Choros Angelorum etiam exal-  
 „ tari. Cum itaque sicut accepimus Dilectus filius noster Nobilis Vir Petrus de Linden  
 „ Armiger Pragensis Diœcesis Zelò devotionis accensus, ac cupiens terrena in cœlestia,  
 „ & transitoria in æterna felici commercio commutare, pro divini cultus augmento,  
 „ ac sacre Religionis propagatione nec non pro suæ, suorumque Progenitorum & An-  
 „ tecessorum animarum salute quoddam Monasterium ad Laudem Divini Nominis, &  
 „ honorem dictæ Beatæ Mariæ pro usu & habitatione nonnullorum Canonicorum Regu-  
 „ larium Ordinis S. Augustini infrà limites Parochiæ Parochialis Ecclesiæ in Borowan  
 „ dictæ Diœcesis, quæ de jure Patronatûs ejusdem Armigeri demonstratur non modi-  
 „ cum sumptuosè fundari, construi, & ædificari notabiliter inceperit, illudque jam actu  
 „ de rebus & bonis propriis etiam patrimonialibus tam mobilibus quàm immobilibus pro  
 „ uno Præposito & sex Canonicis dicti Ordinis inibi perpetuò Altissimo servituris, &  
 „ quos ibidem collocare vult & intendit, competenter dotaverit, & adhuc sibi piis fide-  
 „ lium assistentibus suffragiis meliùs dotare, & plures alios Canonicos ejusdem Ordinis  
 „ ponere & ordinare Domino concedente proponat; Nos cupientes, ut Ecclesia dicti  
 „ Monasterii congruis honoribus frequentetur, ac opus incæptum ejusmodi ad effectum  
 „ condignè perducatur, ipsùmque Monasterium in suis structuris & ædificiis competen-  
 „ „ter



„ ter reparatur , & conservetur , nec non Christi fidelium devotio inibi ferventiùs au-  
 „ geatur ipsique ad perfectionem , reparationem & conservationem hujusmodi manus  
 „ promptiùs porrigant adjutrices , quo ex hoc ibidem dono caelestis Gratiae uberius con-  
 „ spexerint se refectos de Omnipotentis DEI misericordia , ac Beatorum Petri & Pauli  
 „ Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus verè pœnitentibus & confessis , qui in  
 „ Domini Nostri JESU Christi Nativitatis & Assumptione diætæ B. Mariæ Virginis festi-  
 „ vitatibus Ecclesiam Monasterii hujusmodi devotè visitaverint annuatim & ad perfe-  
 „ ctionem , reparationem , & conservationem prædictas manus porrexerint adjutrices ,  
 „ singulis videlicet festivitatis earundem septem annos & totidem quadragenas , nec  
 „ non ipsarum festivitatum octavarum diebus , quibus ipsam Ecclesiam visitaverint , &  
 „ manus porrexerint adjutrices , ut præfertur , centum dies de injunctis eis pœnitentiis  
 „ misericorditer in Domino relaxamus , præsentibus post viginti annos minimè valituris.  
 „ Volumus autem , quòd si aliàs visitantibus Ecclesiam prædictam , vel ad ejus fabricam  
 „ seu perfectionem , reparationem & conservationem præfatas manus porrigentibus ad-  
 „ jutrices , aut aliàs inibi pias eleemosynas erogantibus , seu alias aliqua Indulgentia in per-  
 „ petuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per Nos concessa fuerit ,  
 „ eadem præsentibus litteræ nullius sint roboris vel momenti. Dat. Romæ apud S. Ma-  
 „ riam Majorem annò Incarnationis Dominicæ 1458. quinto Idus Septembris Pontifica-  
 „ tûs nostri anno Primo. „

Anno 1460. Reverendissimus ac Illustrissimus Dominus Dominus Hieronymus  
 DEI & Apostolicæ Sedis gratia ad regna & Principatus Bœmiæ , Poloniæ , Silesiæ ,  
 Prussiiæ &c. cum potestate Legati de Latere Nuntius , quasvis dotationes , immu-  
 nitates , jura , & privilegia sæpe dicto Monasterio Barowanensi quomodolibet concessa ,  
 de novo pariter confirmasse , eaque de futuro salva & integra conservari debere per spe-  
 ciales quasdam patentes litteras sanxisse dignoscitur in id datas , easque juxta sequentem  
 formulam conscriptas.

„ **H**IERONYMUS Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archi- Episcopus Cretensis Sanctissimi  
 „ in Christo Patris ac Domini Nostri Domini Pii divinâ providentiâ Papæ secundi in  
 „ regno Bœmiæ , & Poloniæ nec non in terris Silesiæ & Prussiiæ cum potestate Legati  
 „ de latere Nuntius & Orator &c. Reverendo Patri Domino Wenceslao Decano , & pro  
 „ præfato Domino Nostro Administratori Pragenfi Salutem in Domino. Piiis & hone-  
 „ stis supplicum votis , illis præsertim , quæ ad divini cultûs augmentum & sacra Religio-  
 „ nis propagationem cedere dignoscuntur , libenter annuimus , eaque favoribus prosequi-  
 „ mur oportunis. Sanè petitio pro parte dilecti in Christo Nobilis Viri Petri de Linden  
 „ Pragenfis Diœcesis intra nostræ Legationis terminos constituti nobis nuper exhibita  
 „ continebat , quòd olim ipse cum Conthorali sua motus divino nutu , animo Religioso  
 „ ob remedium animarum suarum , suorûmque Progenitorum , ac maximè Zelò piæ de-  
 „ votionis , quam ad Beatissimam & Gloriosissimam Virginem Mariam gerit , ductus ,  
 „ quærendo temporalia pro spiritualibus felici commercio commutare , quoddam Mona-  
 „ sterium in honorem præfate præcellæ DEI Genitricis in loco Parochialis Ecclesiæ in  
 „ Borowan Pragenfis Diœcesis , quæ Ecclesia est , & fuit de jure Patronatûs ipsius , quàm-  
 „ que in Collegiatam Ecclesiam cum Campanili , Campana , Cœmeterio , Claustro , do-  
 „ mibus , hortis , & fortalitiis , & aliis necessariis officinis erigi , facere , atque Fratribus  
 „ Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium de observantiâ donare intendit , de bo-  
 „ nis sibi à DEO collatis ædificari facere cœpit , & quotidie prosequi facit , opere non  
 „ modicum sumptuoso in ipsius Monasterii , cujus jam plurima pars peracta existit , fun-  
 „ dationi ac constructioni loci Ordinarii accedente Authoritate & consensu , ipsamque  
 „ Ecclesiam pro alimentis & sustentatione unius Præpositi cum sex Fratribus præfati Or-  
 „ dinis DEO inibi perpetuò servituris , nec non pro his , quæ ad divinum cultum neces-  
 „ saria sunt , sufficienter dotavit , prout ex litteris suprâ etiam manu publica confectis cla-  
 „ rius & plenius continetur ; dictamque dotem augmentare intendit , ut prædictorum  
 „ fratrum numerus augeatur. Et ut eadem petitio , subjungebat , affectat , ut præfata  
 „ Ecclesia in Collegiatam seu in Conventualem erecta , ac sub observantiâ præfate Regu-  
 „ læ prædicti sex Fratres unâ cum Præposito in eam introducti fuerint , ita quòd Prapo-  
 „ situs omnibus præfatis fratribus , aut aliis de post introducendis præsit , ac Eidem ,  
 „ prout tenentur , debitam exhibeant reverentiam , & obedientiam , & Collegialiter vi-  
 „ vant , curam animarum illius Ecclesiæ Parochialis in Collegiatam erectæ præfati fratres  
 „ constanter habeant , & exerceant , quæ secundum Canonicas ordinationes sine Episco-  
 „ palis juris præjudicio regatur , disponatur. Quare pro parte sua Nobis fuit humiliter  
 „ supplicatum , ut præfatis suis donationi , dotationi , foundationi præfate Ecclesiæ Pa-  
 „ rochialis & Collegio dictorum Canonicorum Regularium sub observantiâ inibi perpetuò  
 „ Tom. III. Cam. Regg. Origines. Ppp „ dege-

„ degere debentium modis prædictis robur confirmationis nostræ adicere, nec non uni-  
 „ verfa bona eidem Monasterio deputata & donata, ac in futurum donanda Ecclesiastici  
 „ juris esse, decernere, & eidem Monasterio incorporare, inviscerare, atque ut præfati  
 „ Canonici ibi locandi recipi possint de Monasterio in Trebon de observantia ejusdem  
 „ Diœcesis concedere, omniumque præmissorum Nos Dominum Decanum executorem  
 „ constituere, ac ut ad idem Monasterium pro honore Gloriosissimæ Virginis Mariæ  
 „ fideles libentius & copiosius confluent, pro festivitibus præfata Virginis Indulgentias  
 „ largiri de gratiâ speciali autoritate, qua fungimur, dignemur. Nos igitur, qui di-  
 „ vinum cultum nostris temporibus augeri intensis desideriis affectamus, præfati Petri  
 „ devotionem & opera plurimum in Domino commendantes hujusmodi supplicationibus  
 „ inclinatis, dotationes, donationes, foundationes, & incorporationes prædictæ Ecclesiæ  
 „ Parochialis antè dictas, & præfatum Collegium, prout præfertur Autoritate Legatio-  
 „ nis nostræ, qua fungimur, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus,  
 „ supplentes quantum possumus, omnes defectus, si forsan aliqui intervenerint in eis-  
 „ dem. Et nihilominus ad majus robur præfata Ecclesiæ Parochialem in Collegia-  
 „ tam Conventualem erigimus & creamus, ac universa & singula bona eidem Monasterio  
 „ deputata donata ac in futurum donanda Ecclesiastici Juris esse decernimus, & eidem  
 „ Monasterio tanquam Ecclesiastica bona & minimè ad Laicos pertinentia incorporamus,  
 „ universa quoque bona & singula, possessiones, redditus, jura, libertates, & census ip-  
 „ sius Ecclesiæ in quibuscunque rebus consistant, in ipsum Monasterium, Præpositum,  
 „ & Conventum transferimus & conferimus, decernentes, quòd plebs quondam Paro-  
 „ chialis Ecclesiæ, modò verò Canonico Regularium in cura & regimine animarum  
 „ per Præpositum dicti Monasterii, aut quem ipse ex fratribus ad hoc deputaverit, di-  
 „ rigi, ac gubernari debeat omnibus temporibus adfuturis. Volumus insuper, quòd  
 „ Conventus dicti Monasterii, vel major seu sanior pars ipsius juxta ordinis sui statuta post  
 „ obitum, decessum, aut resignationem seu cessionem primi Præpositi ex tunc & in  
 „ antea Præpositum sibi eligat toties, quoties fuerit oportunum, qui per Archi-Episco-  
 „ pum Pragensem Canonicè intrantem, qui pro tempore fuerit, vel ejus officialem, con-  
 „ firmetur, & sibi cura animarum tam ipsius Monasterii, quam plebis ejusdem Parochiæ  
 „ committatur, Juribus tamen Ordinarii, nec non Archi-Diaconi, qui pro tempore fue-  
 „ rit, quoad visitationem, Correctionem, procurationem, & cæteris omnibus sibi antè  
 „ erectionem in Monasterium dictæ Parochialis Ecclesiæ de jure vel consuetudine com-  
 „ petentibus semper salvis. Volumus etiam, quòd Præpositus & fratres dicti Monaste-  
 „ rii in Barowan in communi modo vivendi & observantiâ regulari, quæ nunc viget in  
 „ Monasterio Trebon se debeant fratribus prædicti Monasterii in Trebon omnimodè con-  
 „ formare, atque vobis Domino Decano sub virtute sanctæ obedientiæ mandamus, qua-  
 „ tenus per vosmet, vel per alium, seu per alios fratres præfatos modis prædictis de  
 „ Monasterio in Trebon, illuc intraducendo, curamque animarum etiam, prout dictum  
 „ est, assignando, ita tamen, quòd usque ad vitam moderni Rectoris præfata cura per  
 „ ipsum geratur, & antiquos redditus præfata Ecclesiæ Parochialis ipse percipiat, nisi ip-  
 „ sius Rectoris libera, & spontanea ipsius Ecclesiæ, aut alia amicabile compositio inter  
 „ eum & fratres prædictos intercesserit. Omnia & singula superius per vos præmissa &  
 „ contenta effectualiter adimplendo, ea debitæ executioni mandetis, & adimplere curetis.  
 „ Et ut eò libentius Christi fideles ad Ecclesiam præfati Monasterii confluent, quo ex  
 „ hoc ibidem uberiori dono cælestis gratiæ conspexerint se resectos, de Omnipotentis  
 „ DEI misericordiâ, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi,  
 „ omnibus verè pœnitentibus & confessis in sinceritate fidei, gratiâ, & communionem, nec  
 „ non & obedientiam, & maximè circa Sacramentorum perceptionem in ritu ac consuetu-  
 „ dine Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Universalis, quæ Mater cunctarum Ecclesia-  
 „ rum est, & in gratiâ persistentibus, qui prædictam Ecclesiam in singulis præfata Eccle-  
 „ siæ, Gloriosissimæ Virginis Mariæ Festis visitaverint, quadraginta dies de injunctis eis  
 „ pœnitentiis misericorditer relaxamus. Nulli ergò hominum Nobis inferiori liceat hanc  
 „ paginam nostræ confirmationis, erectionis, & creationis, incorporationis seu invif-  
 „ cerationis, translationis, collationis, decreti, voluntatis, Mandati, & indulti infrin-  
 „ gere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem Nobis inferior hoc attentare  
 „ præsumperit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum Petri & Pauli Apostolo-  
 „ rum ejus se noverit incursum. Datum Pragæ sub Nostri magni sigilli, quo in his  
 „ utimur, appensione. Anno à Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo Sexage-  
 „ simo, die decima Mensis Januarii, Pontificatus dicti Domini Papæ secundo. „

(L.S.)

Anno

Anno 1461. Litteras Confirmationis in causa foundationis Borowanensis à Ladislao Rege Boëmiæ suprâ anno 1455. datas denuò reiteratas, & pari autoritate restabilitas ostendit Regium Diploma à Serenissimo Principe ac Domino Domino Georgio Rege Boëmiæ de in id specialiter indultum & conscriptum, ut sequitur :

„ **G**EORGIUS Dei gratiâ Boëmiæ Rex, Moraviæ Marchio, Lucenburgenfis, & Si-  
 „ lesiæ Dux, ac Lufatiæ Marchio. &c. Notum facimus tenore præsentium univer-  
 „ fis, quòd quamvis Regiæ Celsitudini justum, consonumque sit, ut omnibus justa pe-  
 „ tentibus fidelibus suis non denegetur assensus, Regiæ tamen Majestati præ aliis con-  
 „ venit, quatenus homines in munificentis ad pia loca propositis manu teneat, tuea-  
 „ tur, & protegat, maximè nos, qui laborum, manuùmque suarum fructus à juven-  
 „ tute in senectam acquisitos, illi, à quo se accepisse fatentur, Deo scilicet immor-  
 „ tali, qui omnia largitur, ejus Ecclesiis, Ministrisque ipsorum donare & reddere de-  
 „ voverunt. Cum igitur Petrus de Linden fidelis noster dilectus, bona sibi à DEO  
 „ concessa Ecclesiæ Parochiali in Borowan Pragensis Diœcesis dare & donare proposue-  
 „ rit, quam in Monasterium Sanctæ Mariæ Canonicorum Regularium S. Augustini de  
 „ novo erexerit, cum consensu Sanctissimi in Christo Patris & Domini Pii Sanctæ Ro-  
 „ manæ Ecclesiæ Summi Pontificis. Super his etiam à Serenissimo Domino Ladislao  
 „ Prædecessore nostro tanquam Rege Boëmiæ consensum & assensum obtinuit, prout  
 „ litteræ præacti Prædecessoris nostri latius declarant. Supplicavit autem Serenitati no-  
 „ stræ jam dictus Petrus de Linden, ut prædictas litteras Prædecessoris nostri autoritate  
 „ Regiæ confirmare, ratificare, & innovare dignaremur. Nos cultum DEI magis au-  
 „ geri quàm minui cupientes justis ejus precibus benigniter annuimus, litterasque præ-  
 „ scripti Serenissimi Prædecessoris nostri Regis Ladislai, ei, & Monasterio præfato da-  
 „ tas & concessas in omnibus punctis, sententiis, & clausulis, articulis, ac si de verbo  
 „ ad verbum essent insertæ, præsentibus innovamus, approbamus, ratificamus, & præ-  
 „ sentis scripti patrociniò confirmamus. Mandamus ergò omnibus subditis nostris cu-  
 „ juscunque, Officii, Dignitatis, Nobilitatis, Statusve existant, & præsertim Regni  
 „ Nostri Officialibus, quatenus præfatum Petrum de Linden & Monasterium illud  
 „ velle in fundatione, dotatione, & erectione suâ non impedian, quin potius eum & eos  
 „ protegant, & manuteneant, prout Regis Cælestis, Gloriosæque Matris suæ, cujus in ho-  
 „ norem Monasterium prædictum est fundatum, indignationem gravissimam, Nostræque  
 „ pænæ aculeum evitare cupiunt, præsentium sub appensione Nostri Regalis Sigilli testi-  
 „ monio litterarum. Datum Pragæ die penultima Maji Anno Domini Millesimo, quadrin-  
 „ gentesimo sexagesimo primo, Regni nostri annò quartò.

(L. S.)

Eadem Regia Confirmatio seu concessio antè recitata de speciali mandato ac nomi-  
 ne ejusdem Regiæ Majestatis suæ Boëmiæ Regis &c. præacto anno mense Septembri  
 cunctis Regni Boëmiæ Proceribus, Statibus, ac Ministris ad communem notitiam omni-  
 bus habendam per patentes litteras, fuit intimata, prout sequitur :

„ **L**ADISLAUS Dei gratiâ Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiae Rex, Austriæ  
 „ Dux, Marchiòque Moraviæ Officialibus, & Vice - Domcomitibus Tabularum Regni  
 „ nostri Boëmiæ fidelibus nostris dilectis gratiam Regiam, & omne bonum. Fideles dile-  
 „ cti: Concessimus Fideli Dilecto nostro Petro de Linden licentiam, facultatem, & po-  
 „ testatem instaurandi & reformandi Ecclesiam Parochialem in Borowan Pragensis Diœ-  
 „ cesis, & de eâ faciendi Monasterium Canonicorum Regularium, ipsùmque dotandi  
 „ de bonis suis, prout in litteris nostræ concessionis latius apparet. Mandamus vobis;  
 „ ut quando per ipsum Petrum, aut alium ejus nomine fueritis requisiti, de intabulan-  
 „ do bona ipsa, quæ dicto Monasterio in dotem dare intendit, quemadmodum in præ-  
 „ dictis nostris litteris sibi concessum est, prædicta bona annotare, inscribere, & inta-  
 „ bulare, præfatis tabulis Regni nostri nullo modo omittatis. Præsentium sub Nostri  
 „ Regalis Sigilli appensione, testimonio litterarum. Datum Viennæ vigesimâ septimâ  
 „ die Mensis Septembris Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo  
 „ quinto. Regnorum nostrorum anno Hungariæ sexto decimo, Boëmiæ verò secundo.

(L. S.)

Ad Relationem Domini PROCOPII de RABSTEIN.

Eodem anno sæpè nominatus Dominus fundator Petrus de Linden præter possessiones & bona jam olim à se Borowanensi Ecclesiæ tradita, adhuc alia quædam eidem in plenam possessionem de posthac fruenda tradidisse constat ex publico solennis protestationis Instrumento desuper in id confecto, prout sequitur:

„ **P**ETRUS de LINDEN protestatus est coram Beneficiariis Pragensibus quòd hæ-  
 „ reditates suas videlicet villam Nefmen, villam & Curiam Dluboka, Sylvam Ku-  
 „ chinka, Sylvam Hagek usque ad viam, qua itur in Gilowiz, Piscinam Borowanez,  
 „ Piscinam Neüstift, Piscinam novam in Sylvis, Piscinam Rohozne, Piscinam infra  
 „ curiam Dluboka, piscinam in villa Dluboka, piscinam super Villam & Curiam Dlu-  
 „ boka, & Molendinum de luto, quod vulgaritèr Kottmühl dicitur, cum omni liber-  
 „ tate ad eadem bona pertinente, dedit, & dare potuit Domino Præposito Monasterii  
 „ in Borowan, totique Conventui Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini per  
 „ ipsum Petrum de novo instituto, instaurato, & erecto, ipsisque Præposito, Conven-  
 „ tui, & Monasterio de præfatis hæreditatibus, & bonis hæreditariè, & ad verum jus  
 „ hæreditarium condescendit. Item hæreditates puta Sylvam, quæ pertinet ad Curiam  
 „ Dluboka sitam inter viam, qua itur in Gilowiz, & Piscinam, quæ vocatur Linden,  
 „ ipsamque piscinam Linden, pratum *Stokbwißen*, Pratum super piscinam Borowanez,  
 „ totam Villam Borowan, tria Molendina, videlicet, primum ad pontem super fluvio  
 „ Straboniz, & immediatè sequentia cum flumine ad ipsa Molendina spectantia, & pisci-  
 „ nam, quam faciet in bonis suis sitis inter Borowanez, & piscinam Linden, ejusdem  
 „ hæreditatibus ipse Petrus uti frui poterit ad vitæ suæ tempora, & easdem vendere,  
 „ donare, alienare, permutare, & facere, ut libet in toto, qualiter suæ pla-  
 „ cuerit voluntati tanquam de propriis hæreditariis bonis. Si verò idem Petrus de di-  
 „ ctis hæreditatibus aliter in vita sua non disposuerit, nec easdem, vel partem earun-  
 „ dem vendiderit, neque alienaverit, ex tunc post mortem dicti Petri hæreditates præ-  
 „ scriptæ hæreditario & pleno jure & dominio ad præfatos Præpositum, Conventum  
 „ & Monasterium in Borowan perpetuò devolvatur. Casu autem quo ipse Petrus prius-  
 „ quam Anna Conthoralis sua morte ex hac vita migraverit, ex tunc dictus Præpositus &  
 „ Conventus eidem Annæ relictæ suæ, annis Singulis ad vitæ suæ tempora, quindecim sexa-  
 „ genas annui census, divisim in terminis, puta Sanctorum Georgii & Galli absque re-  
 „ nitentia & aliquali contradictione erogare & solvere sint adstricti, ea verò decedente,  
 „ ex tunc dictus Præpositus & Conventus à solutione dictarum quindecim sexagenarum  
 „ liberi sunt & soluti. Caterùm ipse Petrus quoad vixerit, tanquam hæres & fundator  
 „ dicti Monasterii est, & erit potens & verus Tutor, & Defensor ejusdem Monasterii,  
 „ & dictorum bonorum omnium pertinentium, eò verò decedente ex tunc Nobilis &  
 „ Magnus Dominus Joannes de Rosenberg, hæredesque & Successores sui legitimi  
 „ erunt, & esse debent, veri & indubitati Tutores & Defensores, Præpositi, Conven-  
 „ tus, Monasterii, & bonorum prædictorum universonum, ita tamen, quòd bona &  
 „ hæreditates dicti Monasterii, Præpositi, & Conventus per se, vel quempiam alium  
 „ nullo unquam quæsito colore, vel occasione alienent, distrahant, & quocunque mo-  
 „ do immutare præsumant, & permittant temporibus futuris in perpetuum prout de  
 „ ipso Domino Joanne, hæredibus & Successoribus suis plenam & indubitam hæ-  
 „ beat confidentiam &c.

Anno 1461. Parochialis Ecclesiæ Borowanensis cum adjuncto clauistro in novam Regularem institutæ reiteratam confirmationem summa qua interesse potuit, Autoritate solemnissimè factam palàm ostendit publicum hujusmodi privilegium taliter in scriptis expeditum.

„ **N**ICOLAUS de Crumlaw Decretorum Doctor, Decanus Sanctæ Ecclesiæ Pra-  
 „ gensis, Sanctissimi in Christo Patris & Domini Pii Divinâ Providentiâ Papæ Se-  
 „ cundi Commissarius, Sede Apostolica ad infra scripta specialiter Deputatus, Universis  
 „ Christi fidelibus, ad quos præsentem pervenerint, aut pervenire contigerit, salutem  
 „ in Domino Sinceram, & præsentibus fidem indubiam adhibere. Noveritis, Nos  
 „ litteras præfati Sanctissimi Domini Nostri Divinâ Providentiâ Pii Papæ Secundi certam  
 „ commissionem continentes in pergameno scriptas, cum chordula canabea veris Bullis  
 „ plumbeis Ipsius Domini Papæ more Romanæ Curie Bullatis fanas & integras nec in  
 „ aliqua parte sui corruptas, sed omni prorsus vitio carentes, Nobis per Nobilem Ar-  
 „ migerum Dominum Petrum de Linden, Pragensis Diœcesis coram Notario & testi-  
 „ bus infra scriptis præsentatas, cum eâ, quâ decuit Reverentiâ recepisse, post quarum  
 „ quidem Litterarum Apostolicarum præsentationem & receptionem fuimus per dictum  
 „ Petrum cum instantiâ requisiti, ut ad Executionem dictarum Litterarum Apostolica-  
 „ rum,

„ rum, & contentorum in eis procedere dignaremur, juxtà traditam seu directam à Sede  
 „ Apostolicâ Nobis formam. Nos igitur Nicolaus volentes, Mandatum Apostolicum  
 „ Nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur, inveniētes dictum Do-  
 „ minum Nobilem Petrum de Linden, motum divino nutu, ob remedium animæ suæ,  
 „ suorūque Progenitorum, & maximè Zelo piæ devotionis, quam ad Sanctissimam &  
 „ intemeratam DEI Gentricem Mariam gerit, dictum quoddam Monasterium in hono-  
 „ rem præfate præcellæ DEI Gentricis loco Parochialis Ecclesiæ in Borowan Pragen-  
 „ sis Diœcesis, quæ Ecclesia est, & fuit de jure Patronatûs ipsius, in Collegiatam Eccle-  
 „ siam, de bonis à DEO sibi collatis ædificasse, erexisse, instaurasse, & reformasse, &  
 „ quotidie persequi opus multum sumptuosum, cujus jam plurima pars peracta existit,  
 „ ac in hujusmodi conservationem & reformationem, consensum & auctoritatem Reve-  
 „ rendissimi in Christo Patris, & Domini Wenceslai de Crumlaw Decretorum Doctoris,  
 „ olim Decani & Administratoris in Spiritualibus Archi-Episcopatus Pragensis sede va-  
 „ cante per Sedem Apostolicam constituti accessisse, prædictumque locum in Borowan  
 „ pro alimentis & sustentatione unius Præpositi, & Sex Fratrum Ordinis Sancti Augusti-  
 „ ni Canonorum Regularium, nec non pro his, quæ ad Divinum cultum necessaria  
 „ sunt, sufficienter dotatum esse: prout in litteris Serenissimorum Dominorum Ladislai  
 „ Divæ memoriæ, & Georgii Regum Bœmiæ super hoc confectis clarius & plenius con-  
 „ tinetur, dictamque dotem adhuc augmentare intendit ex suis propriis & fidelium con-  
 „ fragiis, ut præfatorum fratrum numerus inibi augeatur, Authoritate Apostolicâ Nobis  
 „ in hac parte commissa, fundationem, instauracionem, reformationem, donationem,  
 „ incorporationem prædictæ Ecclesiæ Parochialis antè dictas, & præfatum Collegium, ut  
 „ præfertur, in DEI Nomine confirmamus, approbamus, ratificamus, & præsentī scrip-  
 „ to patrocínio communimus, & nihilominus ad majus robur præfatum Ecclesiam Paro-  
 „ chialem, in Collegiatam Conventualem erigimus, & creamus: ac universa & singula  
 „ bona eidem Monasterio deputata & donata, ac futurum donanda Ecclesiastici juris  
 „ esse decernimus, & eidem Monasterio tanquam Ecclesiastica bona, & minimè ad Lai-  
 „ cos pertinentia incorporamus, & in visceramus, universaque, & singula bona, posses-  
 „ siones, redditus, jura, libertates, & census ipsius Ecclesiæ, in quibuscunque rebus con-  
 „ sistant, in ipsum Monasterium & Conventum transferimus, & ipsi conferimus, decer-  
 „ nentes, quod quondam Parochialis plebs Ecclesiæ præfate, modò verò Canonorum  
 „ Regularium in Curâ & Regimine animarum per Præpositum dicti Monasterii, aut quem  
 „ ipse ex fratribus ad hoc deputaverit, dirigi, regi, gubernari debeat omnibus temporibus  
 „ adfuturis. Volumus insuper, quod Conventus dicti Monasterii vel major vel sanior  
 „ pars ipsius juxtà Ordinis sui statuta post obitum, decessum, aut resignationem seu Ces-  
 „ sionem primi Præpositi ex tunc, & in antea Præpositum sibi eligat toties, quot es  
 „ fuerit oportunum, qui per Archi-Episcopum Pragensem Canonicè intrantem, qui pro  
 „ tempore fuerit, vel ejus Officialem confirmetur, & sibi cura animarum tam ipsius  
 „ Monasterii, quàm plebis ejusdem Parochiæ committatur, juribus tamen Ordinarii, quo-  
 „ ad utramque legem universis & singulis juribus Ordinariis, nec non Archi-Diaconi,  
 „ qui pro tempore fuerit, quoad visitationem, correctionem, procuracionem, & cæte-  
 „ ris omnibus sibi antè erectionem in Monasterium dictæ Parochialis Ecclesiæ de jure  
 „ vel consuetudine competentibus semper salvis. Volumus etiam, quod Præpositus &  
 „ fratres dicti Monasterii in Borowan in omni modo vivendi, & observantiâ regulari,  
 „ quæ nunc viget in Monasterio Trebon aliàs Wittingau, se debent fratribus prædicti  
 „ Monasterii in Trebon omnimodè confirmare. Et etiam quod Præpositus omnibus  
 „ præfatis fratribus, aut aliis de post introducendis præsit, ac eidem, prout tenentur,  
 „ debitam exhibeant reverentiam & Obedientiam. In quorum omnium & singulorum  
 „ testimonium præsentēs litteras nostras, seu potius publicum instrumentum hujusmodi  
 „ necessarium processum continentes, per Bursanum Notarium publicum infra scriptum  
 „ publicari, & scribi mandavimus, nostrique sigilli fecimus appensione communiri. Da-  
 „ tum & actum in Castro Pragensi in domo habitationis nostræ anno Domini Millesimo  
 „ quadringentesimo Sexagesimo primo, indictione octavâ, die verò sexta Mensis Junii,  
 „ horâ quinta decima, vel quasi: Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini  
 „ Nostri Domini Pii, divinâ providentiâ Papæ secundi anno tertio, præsentibus ibidem  
 „ venerabilibus & discretis viris, Joanne de Crumlaw Decretorum Doctore, Admini-  
 „ stratore in Spiritualibus Archi-Episcopatus Pragensis sede vacante, Joanne de Caplicz,  
 „ Decano districtûs Multaviensis, Canonico Ecclesiæ Sanctæ Pragensis. Michaële de  
 „ Plzna Altaristâ in Ecclesiâ Pragensi, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. „

(L.S.)

Anno 1464. Licentiam novam Ecclesiam Borowanensem à quocunque demùm Episcopo Catholico gratam & communionem Sedis Apostolicæ habente, consecrandi (Archi-Episcopi sede Pragenſe in id temporis vacante) gratiosè concessam constat ex sequentibus:

„ **HILARIUS** de LITHOMIZICZ Decanus Ecclesiæ, & administrator Archi-Episcopatus Pragenſis per Sedem Apostolicam specialiter deputatus Decretorum Doctor.  
 „ Vobis Venerabili Patri Domino Valentino Præposito in Barowan, cum singulari Devotionis & sanctæ Religionis peculiari affectu erga loca sacra teneamini, habeatisque  
 „ quandam inibi Ecclesiam in Nostrâ Diœcesi Pragenſi constitutam, quam consecrare desideratis. Ut igitur à quocunque Reverendo in Christo Patre & Domino Domino  
 „ DEI gratiâ Episcopo communionem Sanctæ Matris Ecclesiæ, & sui ordinis executionem legitimam habente possitis dictam Ecclesiam facere, consecrare, autoritate præsentium plenam in Domino facultatem elargimur, salvis juribus Sedi Archi-Episcopali & Nobis debitæ, & impendi solitis & consuetis. Ex castro Pragenſi anno Millesimo  
 „ quadringentesimo sexagesimò quartò, die Mensis Maji vigesimo sexto, sigillo quo pro  
 „ Nostræ administrationis utimur Officio, præsentibus appensò. „

(L.S.)

Anniversarium quendam in gratiam fidelium Defunctorum pro Perillustri familia de SStiawka, de Hodeniz jam olim anno 1464. piè fundatum, eumque perpetuis futuris temporibus per anni circulum quatuor distinctis vicibus in Ecclesia Borowanensi de more celebrandum, secundum conditiones quasdam nimirum quantum aggravantes Autoritate ordinariâ reductum ostendit proprium quoddam Diploma ad perpetuam rei memoriam indultum

„ **HILARIUS** de LITHOMIZICZ &c. Universis Christi fidelibus præsentibus, & futuris, ad quorum notitiam præsentibus pervenerint, salutem in Domino. Decens  
 „ & debitum esse perpendimus, ut ad earum, quæ divini Cultûs augmentum & salutem respiciunt, Animarum diligenti studio & diligentia studiosâ ferventius intendatur, & illorum animas, qui ad hoc Zelò devotionis proquirendo æternæ Beatitudinis præmio promptos & voluntarios se exhibent, non solum in ipsorum salubri proposito, sed etiam pervigili curâ sollicitius augeamus. Sanè noviter, qui in nostra Provincia  
 „ personaliter constitutus Honorabilis & Religiosus Frater Joannes, Filius bonæ memoriæ Nicolai SStiawka de Hodeniz, Professus Monasterii in Barowan de novo fundati Can. Reg. S. Augustini, non compulsus, nec coactus, sed spontè & liberè, sano & deliberato animo, cupiens temporalia pro æternis, & transitoria pro perpetuis felici commercio commutare, pro remedio & salute animæ suæ, Nicolai Patris & Annæ Matris suæ, ac Progenitorum & Prædecessorum suorum, nec non omnium fidelium defunctorum Animarum, octo Sexagenas grossorum denariorum Pragenſium, Censûs annui & perpetui in hæreditate, quam post mortem Patris sui obtinuit in Hodeniz, in Curis Rusticalibus, Areis, Agris, & in eorum hæredibus cum pleno dominio Serenissimi Principis & Domini Georgii Boemiæ Regis accedente consensu, prout in Tabulis Terræ Regni Bœmiæ, 4to libro Joannis Vice Notarii, de anno Domini Millesimo, Quadringentesimo Sexagesimo quarto continetur: Monasterio, Præposito & fratribus, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint in Borowan, dedit, & donavit &c. Idem sæpè dictus Frater Joannes deposuit & ordinavit, ut præfatus Dominus Præpositus unâ cum Conventu, pro tali donatione per ipsum facta ad quatuor Anniversaria, per circulum anni, & hoc perpetuò teneantur in Monasterio præfato in Borowan pro Animabus Prædecessorum ipsius, scilicet Nicolai Patris, & Annæ Matris, & omnium Progenitorum Animabus. Primum Anniversarium feriâ secundâ post festum S. Stanislai, scilicet Vigiliis de fero, cum IX. Lætionibus majoribus, cum pausis, prout statuta eorum canunt, & cras Missa cantetur Defunctorum. Secundum Anniversarium debet peragi Feriâ secundâ post Commemorationem S. Pauli. Tertium Anniversarium debet teneri Feriâ secundâ post festum S. Galli. Quartum autem Anniversarium Feriâ secundâ post Conversionem S. Pauli, & sic temporibus perpetuis. Quibus omnibus sic, ut præmittitur, ritè & rationabiliter ordinatis & dispositis ac factis per eundem Fratrem Joannem, ibidem personaliter constitutus Dominus Valentinus Præpositus Monasterii præfati, in Borowan Can. Reg. Ordinis S. Augustini ea omnia supra scripta pro se, & Successoribus suis sub pœna Ecclesiasticæ Censuræ in omnibus & per omnia tenere, & adimplere, & inviolabiliter observare &c. Datum &  
 „ Actum

„ Actum in Castro Pragenſi, anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quar-  
 „ to vigefima octava Menſis Maji &c. Et Ego præfatus Joannes SStiawka de Hode-  
 „ niz ipſius Monafterii Borowanenſis Canonicus, Profefſus, cum primus ipſius loci Pres-  
 „ byter ordinatus exiſterem, ſecundumque Profefſione locum obtinerem Fundatore vi-  
 „ vente, poſt alia plura, quæ huic ſacro loco contuli beneficia, hoc unum aliis annu-  
 „ merare volens, quando tum ex Italia Commiſſarius Papæ & Prior in Cælo aureo Pa-  
 „ piæ, ubi ſacrum corpus Divi Auguſtini decumbit, veniſſet, exque divinâ intelligens  
 „ ſcripturâ DEUM haud unquam verborum multitudinem, aut longâ delectari oratione  
 „ nec illud Sacrificium DEO exiſtimans gratum, quod vel tædio celeriter expletur, at  
 „ illud, quod tametsi ſuccinctius profertur, ex ſincerâ tamen & devota mente procedit,  
 „ ideò præſentibus relaxo, ut omnes vigiliæ dicantur ſine pauſis. Pro quo in Recom-  
 „ penſationem omni ſermone Prædicator pronuntiare debet nomina Parentum meorum  
 „ perpetuo loco poſt Fundatorem ſecundo, quod ab omnibus gratiſſimè ſuſceptum eſt,  
 „ injunctumque mihi, ut liſteris meis hoc ſic tenendum & obſervandum præſenti regi-  
 „ ſtro annotarem, quod quàm libentiſſime feci Anno Domini Milleſimo quadringenteſi-  
 „ mo nonageſimo, duodecima Maji., Cæterum ſapè memoratus Dominus Joannes  
 „ SStiawka cum ſempiterna memoria in benediſtione manet: nam Olomutii ad omnes San-  
 „ ctos, & etiam Landſkronæ Præpoſitus factus, utrobique multa bona præſtitit.

Anno 1498. Andreas Præpoſitus de Borowan ex conſenſu omnium Religioſorum  
 Fratrum & concordi voluntate venit ad Nobilem Dominum Petrum de Zaſnuk, & re-  
 cepit ab eodem centum ſexagenas groſſorum Miſnienſium, quam ſummam dedit pro Mo-  
 naſterio Borowanenſi idem Cliens, ut perſiceretur ambitus, & dormitorium fieret ſuper  
 ambitum; pro tali ergo beneficio idem Andreas Præpoſitus & omnes fratres & Canonici  
 ejusdem Monafterii obligârunt ſe & omnes ſuos ad cantandam Miſſam de Beatâ Maria  
 Virgine per totum adventum videlicet *Rorate Cæli*, in qua Miſſâ debent adjungi duæ Col-  
 lectæ, & una quidem pro defunctis, & altera pro ſanitate & ſalute ipſius, & Genealo-  
 giæ ejus, perpetuòque debet fieri pro eis in ambone, & hoc perpetuis temporibus ſic  
 debet teneri.

Item notandum, quòd omnia ſuper memorata, quæ piſſimus Fundator, & Joannes  
 SStiawka fundârunt pro hic & nunc tranquillo jure poſſidemus, quæ autem ex poſt facto  
 primævæ foundationi acceſſerunt ſæculariſationis in manus ſæcularium ſine ſpe redemptionis  
 devenerunt. Sunt autem memorabilia & Monafterio valdè præjudicioſa. Primò  
 filialis in Gilowiz, cujus Jus Patronatûs Monafterium habuit, ſed hoc noſtri Anteceſſo-  
 res procul dubio ob defectum Perſonarum ruſticis ibidem reſignârunt, illud nunc Cæſiſ-  
 ſimus Princeps Patronus poſſidet, & filiali adjacenti Suchdolenti Parochiæ incorporata  
 eſt. Secundò Pagus Dworzen ad Altare S. Mariæ Magdalenæ pro quatuor Miſſis per  
 hebdomadam legendis fundatus, poſteâ verò foundationi Monafterii incorporatus. Ter-  
 tiò Pagus Sahorſch à Dominis de Landſtein Monafterio donatus. Quartò vineæ tam  
 fundatæ, quàm emptæ à Reverendiſſimo Domino Andrea Præpoſito. Iſta omnia ad ma-  
 nus ſæcularium quocunq; tandem titulo devenerunt, nimirum *hereditas noſtra verſa eſt*  
*ad alienos, bona noſtra ad extraneos*, quorum omnium illorum quamvis amodo habeamus  
 adhuc Originalia & authentica Documenta, non tamen merentur deſcriptionem, ſiqui-  
 dem rerum irrecuperabilium facilis eſt oblivio. Cæterum Eccleſia Borowanenſis eſt  
 ſumptuoſè ædificata, lucidiſſima, & pro numero Parochianorum ſatis ampla, habet tria  
 nova nigrè tinſta & aurò pulchrè ornata Altaria. Summum Cæſiſſimus Princeps Patro-  
 nus Joannes Adolphus de Schwarzenberg piæ memoriæ cum artificioſis Imaginibus Fran-  
 ciſci de Neve Viſitationem B. M. V. & Aſcenſionem Domini, celebriores nimirum Ec-  
 cleſiæ feſtivities repræſentantibus, magnis ſumptibus fieri clementiſſimè demandavit.  
 Ad dexteram eſt SS. MM. Patronorum Regni, quod Illuſtriſſimus D. D. Franciſcus Wen-  
 ceslaus Korzenſkii Liber Baro de Tereschow Oſtrow, Augezd, Mezdrziz, & Czerno-  
 dub S. C. M. Conſiliarius, & Diſtrictus Bechinenſis Capitaneus curavit. Ad ſiniſtram,  
 Reverendiſſimus D. D. Georgius Præpoſitus in honorem S. S. Catharinæ, & Barbaræ, &  
 Patroni ſui S. Georgii fieri fecit, utriuſque Altaris imagines ſunt à manu Pictoris Sere-  
 tæ. In ambitu eſt Altare S. Stephani Proto Martyris, & in Sacellò Congregationis  
 B. M. V. de Monte Carmelo, utrumque curavit Adm. R. D. Stephanus Sebaſtianus  
 Naſperger Parochus Suchdolentiſis, ſpecialis Monafterii Patronus. Præfata Congregatio  
 S. Scapularis eſt cum licentiâ Reverendiſſimi Patris Generalis Carmelitarum, & Cæſiſ-  
 ſimi Ordinarii approbatione erecta anno 1671. unde in omnibus B. M. V. feſtivity-  
 bus maximus eſt populi concurſus. Ad pedem ſummi Altaris eſt Monumentum piſſimi  
 D. Fundatoris noſtri cum Inſigni in marmore exſculptum, & ſupra jam memoratum tali  
 ſcriptura addita: *Hier iſt die Begräbnus Peter von der Linden den . . . . und Mert*

*seines Sobns, der todt ist an S. Achatii Dag, dem GOTT gnädig saye anno Domini 1452.* cum non constet de certo numero dicti Fundatoris nostri, inde spatium manet relictum. Ad Cornu Epistolæ est Epitaphium Reverendissimi D. D. Georgii Jaudt Austriaci Nuffdorffensis, hujus Monasterii post restaurationem primi Præpositi ætatis 37. Regiminis 7. 18. Maji in Domino defuncti, monumentum hoc Patri & Superiori suo CC. RR. BB. PP. In cornu Evangelii est lapis cum inscriptione: *Anno à Nativitate Christi M. D. XXI. Mensis Augusti die 19. obiit Nobilis & strenuus Miles Dominus Nicolaus Spanicowskii de Lisau.* Ad pedem altaris S. S. P. P. Regni depositus est supra memoratus Illustrissimus Dominus D. Baro Korzenskii. &c. &c. Sed cui hæredes primò monumentum ponent. Hic piè defunctus D. D. Baro fuit bonus Monasterii Patronus, qui anno 1679. fundavit duo sacra per hebdomadam legenda pro defuncto Domino Henrico Haagen de Schwarzbach & Czernodub, cujus bonorum hæres factus ex mille florenis perpetuum censum 50. florenos annuè Monasterio in bonis suis designavit. Aliàs de nullis majoris dignitatis hic sepultis constat. Memorabile est, quòd Monasterium possideat Territorium illius famosi Monachomastigis, Joannis de Trozenau, Equestri Ordinis, dicti Ziska, in quo sub quercu natus creditur ex continuâ traditione, quo autem anno natus sit, in nullo adhuc Authore inveni; quòd ante foundationem Monasterii anno nimirum 1425. Pestis Patriæ, peste obierit, & Czeslaviæ sepultus fuerit, ex omnibus Authoribus clarum est. In eodem territorio villam, & penes illam annosam quercum, quæ jam multis annis jacet, ubi natus dicitur, nunc Crux posita est cum inscriptione. *Hic locus, olim Nativitate Joannis de Trozenau dicti Ziska infamis, consecratus & dedicatus est Nativitati Præcursoris Domini S. Joannis Baptistæ anno 1681.* Distat à Monasterio occidentem versus quinque millibus passuum.

Nomina Reverendissimorum D. D. Præpositorum Borowanensium (reliquis utcunque demum amissis & extinctis) hodie solummodo supersunt sequentia.

I. VALENTINUS annò 1454. in ipsa prima fundatione delectus & institutus, tandem in pace demortuus annò 1479.

II. ANDREAS in Actis nominatus annis 1481. 1487. & 1497.

III. JACOBUS claruit annò 1517.

IV. BARTHOLOMÆUS floruit annò 1520.

V. SIMON præfuit annis 30. & ultra, demum obiit annò 1557. sub quo omnes Canonici Claustrales lethiferò Epidemiæ morbò fuerunt extincti.

VI. MATHIAS de Rzinarz ex Monacho Benedictino Canonicus Regularis factus, móxque favore Prænobilis Domini Guilielmi de Rosenberg anno 1557. Præposituram Borowanensem assecutus, non nisi Villicus iniquitatis, cunctis ferè Monasterii bonis partim pessimè deterioratis, & annihilatis, partim verò præfato Domino de Rosenberg iniquè traditis, ad extremam pauperiem redactus, Officio Præposituræ ultroneè dimisso, Capellanus in Hospitali Crumloviensi factus.

VII. ALBERTUS Capellani solum titulo institutus anno 1564. à quo tempore Monasterii bonis per sæculares solum personas administrari solitis, totus œconomix status Borowanensis gravissimè periclitari cæpit, quousque tandem regnante Rudolpho II. Romanorum Imperatore Hungariæ ac Boemiæ Rege &c. prædicta bona sub annum 1600. omnino fuerunt sæcularisata, & hæc usque modò haud ampliùs (in gravissimum Ecclesiæ Borowanensis præjudicium ac irreparabile damnum) Ecclesiastica, sed Sæcularia tantum nuncupanda: quorum ususfructus, imò plena possessio Nobili Viro Petro Wock de Rosenberg fuit concessa, filio tenebrarum (Husiticae pravitatis Sæctario subintellige) qui in generatione sua prudentior, quàm filii Lucis hujus, quasi alter Antiochus jucundus & dilectus in potestate suâ sacras Monasterii aedes execrandâ metamorphosi mutavit in Emporium cerevisiæ.

VIII. BERNARDUS WAITZ Præpositus Claustrum-Neoburgensis in Austria, auctoritate Ferdinandi Tertii Boemiæ Regis, per proprium quoddam rescriptum de dato Viennæ Austriæ anno 1631. in Monasterii hujus Borowanensis Administratorem, seu, ut melius dicam, de futuro Restauratorem constitutus, rebus afflictis, prout potuit, omni meliore modo consuluit, inde terris defunctus 1643.

XI.



IX. RUDOLPHUS MOLITOR, & ipse Præpositus Claustro - Neoburgensis, pariter Officio Administratoris perfunctus obiit anno 1648.

X. BERNARDUS SCHMEDINCK, tertius inter Præpositos Claustro - Neoburgenses, Administrator Borowanensis constitutus, diem suum obiit anno 1675. prius tamen injunctum sibi Administrationis Officium Augustissimo Imperatori Leopoldo I. per spontaneam resignationem reliquit, novo Successori conferendum.

XI. GEORGIUS JAUDT, gente Austriacus, Patriâ Nusdorffensis, Religiosâ verò Professione Claustro - Neoburgensis, die 3. Maji anno 1663. (ex quo nimirum piæ memoriæ Prædecessor illius Reverendissimus Dominus Bernardus Administratione suâ cessit) in Præpositum Borowanensem electus, ultra septennium præfuit, carne mortali tandem solutus die 18. Maji anno 1670.

XII. THEODORUS EGERER, Natione Bohemus, Patriâ Doberchanensis aliquamdiu (Præpositurâ vacante) Administratoris titulo & Officio perfunctus, viam universæ carnis ingressus est Sexto Nonas Julii anno 1682.

XIII. CONRADUS FISCHER Herciniano - Suevus, Patriâ Krenkingensis, primùm Professus, & Canonicus Claustro - Neoburgensis, tum anno 1663. cum aliis sacrae Coloniae Sociis Borowanum deductus, tandem anno 1677. Dominicâ in Albis, die 25. Aprilis post septennales controversias in causâ faciendæ Electionis multifariâ exagitata, omninò sopitas (Augustissimo Imperatore nostro Leopoldo I. Rege Bœmiæ novam Præpositi Regularis Electionem, quantocyus faciendam, Clementissimè demandante) Canonicè promotus, feliciter præest contubernio huic Borowanensi, in uno Præposito & senis tantum Presbyteris consistenti; cujus modernum statum Ipsa Reverendissima Amplitudo sua per proprias ad me rescripsit die 20. Augusti anno 1692. exaratas, quarum tenor inter alia sic habet: *Confidimus autem in DEO, & firmiter speramus, quòd Celsissimus Princeps Patro- nus Noster Ferdinandus de Schwarzenberg &c. &c. ex innatâ suâ liberalitate, & Munificentiâ non solum defectus omnes supplebit, sed etiam Monasterium & numero & proventibus augebit, quod faxit DEUS, & Sancta Mater ejus! vivimus cæteroquin ex pura putâ economiâ, ex ovili aliquid, ex piscibus aliquid, ex agris aliquid, ex villis aliquid, ex Molendino aliquid, ex cerevisiâ aliquid, ex Rusticis aliquid, à bonis Patronis aliquid, ex omnibus denique aliquid, ex toto pariam desumentes. DEO sint Laudes! hætenus non lautè quidem, sed Canonicè & verè Religiosè victu & amictu contenti, citrà invidiam quietè viximus, & DEO optatam pacem amplius consolati quàm felicissimè vivere.*

BORSTELLESE,

Taliter suo nomine dictum Canonici Instituti primitus quidem Regularis, subinde verò statûs sæcularis nobile quoddam Collegium Diœcesis Osnabrugensis in Westphaliâ secundum suam (quam habuit antiquissimam) foundationem haud amplius prostat inquirendum; non item de fatali (quam sub decursum sæculi decimi sexti pertulit) suppressione posteritati notum; & quidem Miraculosæ cujusdam Statuæ Marianæ, cujus succinctam saltem descriptionem aliquam exhibet R. P. Guilielmus Gumpenberger Soc. JESU in suo Atlante Mariano triade 2. Imag. 680. fol. 742.

BRANDENBURGENSIS

Metropolitana numerata inter Ecclesias olim Canonicorum Regularium in Proœmio Libri Constitutionum Benedicti XII. pro Reformatione Canonicorum Regularium. Ita quidem Pennottus noster in Historia tripartita lib. 2. cap. 39. num. 2. Verùm Brandenburgensis Ecclesia ista primùm ab Ottone Magno Imperatore circa annum 960. fundata, Metropolitana nunquam fuit, sed Cathedralis solum, cujus Canonici à primis institutionis suæ temporibus fuerunt Regulares, & sacros Canones Augustinianos professi, subinde tamen majori Religiosæ perfectionis desiderio succensi, paulò post Mortem S. Norberti Archi Episcopi Magdeburgensis Ordinis Præmonstratensis Fundatoris anno 1134. die 6. Junii Cælis recepti, Reformationem Præmonstratensem susceperunt, observârunt, & constanter tenuerunt usque ad annum 1507. pro tunc omni Regularitate in totum demissè pariter Canonici Sæculari effecti.

## BREDELARIA,

**T**aliter ab antiquo communiter appellari solitum Archi-Diœcesis Colonienfis Religiosum Parthenœum est, quod hodie Monialibus Institutum Formulæ Cisterciensis Professis manet addictum, jam ab antiquioribus sæculis anno & Authore non notato pro Regularibus Canonicis fuit fundatum, subinde Successu temporis ad novum Ordinem Præmonstratensem omnimodè translatum, ac tertio depique (prout ampliùs constat ex litteris Philippi Colonienfis Archi-Episcopi apud Casparum Jangelium in Notitiâ Abbatiarum Cisterciensium lib. 7. fol. 47. citatis) fatagente plurimùm Adolpho ab Altena itidem supremo Ubiorum Antistite Monialibus Cisterciensibus pleno jure concessum & assignatum.

## BREMENSIS METROPOLITANA.

**H**anc Ecclesiam antiquitùs fuisse Regularem, sub Instituto Canonico-Augustiniano, satis clarè colligitur ex iis, quæ Godefridus Henschenius tom. 4. Maji fol. 42. n. 8. ex M. S. Codice à Continuatore Helmoldi sæculo decimo quinto conscripto in hæc verba allegat: *Circa idem tempus S. Vicelinus fuit in Ecclesia Bremensi Scholasticus, & in Theologia disertus, qui multas habuit divinas revelationes tempore Juventutis suæ &c. Hic S. Vicelinus vestem Religiosam, quam Canonici Bremenses cum Regulâ S. Augustini abjecerant, derelinquere nolens, cum S. Viro Thietmaro Cantore Bremensis Ecclesie partes Holsatiæ adiit, & villam Wippendorp alias Falderere (est hoc Falderere Cann. Regg. cœnobium, ut infra Litt. F. videri potest) in possessionem recepit, ac ibidem Monasterium construi fecit.* Si ergo Canonici Bremenses vestem Religiosam cum Regulâ S. Augustini abiecere, ergo eandem priùs habuisse, consequenter Regulares fuisse necessè est. Regularitatem isthanc satis clarè probatam deposuere Bremenses anno circiter 1125. quo autem tempore Regularis observantia in Ecclesiam istam sit introducta, pluribus astruit Auctor disquisitionum de Ordine Canonico fol. m. 38. cujus rationibus (quas fusiùs referre non vacat) convictus assero, jam anno 788. quo primitùs Ecclesia isthæc à Carolo Magno Imperatore fundata est, communem quoque & Regularem Canonicorum conversationem inibi fuisse stabilitam. Præterquam enim, quòd de alia Canonici Ordinis, quem sæculo undecimo etiamnum ibi viguisse ex præmissis sat patet, introductione non constat; hæc ipsa assertio mea firmatur ex Diplomate Caroli Magni, quo S. Willehadum primùm hujus Ecclesie à se fundatæ regimen detulit, voluitque ut *novellam hanc Ecclesiam Canonico Ordine & Monasteriali competentiâ instruendo interim plantet, & riget, quousque precibus Sanctorum suorum exoratus incrementum det DEUS Omnipotens.* Unde & hunc S. Willehadum non immeritò in suis numerant Regulares Canonici, cui plures alii in accuratâ Regularis Ordinis custodiâ successerè, quorum aliquos fors minùs notos, disciplinas tum doctrina illustres (sublimiores enim quasvis & inferiores disciplinas tum temporis in Cathedralibus docebant Regulares Canonici, ut ex vitâ Vicelini & Thietmari inferiùs *V. Falderense* paulò fusiùs enarrandâ patebit) hic subjungemus. Post S. Willehadum ad hujus Ecclesie regimen, quantum ex annorum computatione conjicimus, ex Monasterio Corbejensi Ord. S. Benedicti assumptus est S. Ansharius, cujus vitæ historiam ad longum deducit Godefridus Henschenius tom. 1. Febr. ad diem 3. illius mensis. Huic successit S. Rembertus, qui à S. Anshario (ut habetur n. 4. in vita S. Remberti à Monachis Corbejensibus conscripta, & ab Henschenio Actis Sanctorum ad diem 4. Febr. illatâ) tonsurâ & habitu Ecclesiastico initiatus, & inter Torholtani Cœnobii Canonicos Regulariter institutus ac tandem Anshario satis sublato ad Episcopalem Bremensis Ecclesie dignitatem sublimatus. Obtenta vix Episcopali consecratione ad *Monasterium Novæ Corbeje properans* (sunt verba formalia ex vita paulò superiùs allegata) *vestem quidem illius professionis ex integro suscepit, conversationis autem illius professionem ita fecit, ut conversationem suam, & stabilitatem morum suorum & obedientiam secundum Regulam S. Benedicti exhiberet, in quantum labor & occupatio suscepti Pontificatus permetterent; & ut in illius Professionis effectu veracius assuesceret, aliquem de fratribus ejusdem Monasterii sibi prestari rogabat, cum quo, cum ipsi in Monasterio esse non licuit, solatium haberet assidue indè meditationis & usum continendi se juxta moderamen regulare, quod promisit.* Ex quibus verbis satis clarè conficitur, tum temporis in Ecclesia Bremensi (quod tamen plerique Benedictinorum absolutè asserere non verentur) non viguisse Institutum Benedictinum, utpote quòd S. Rembertus votum suum de assumendâ Monasticâ professione antehac factum expleturus alibi quærere coactus fuit. Mirum est, quot & quantis Ecclesia isthæc claruerit Viris tum singularis doctrinæ laude commendatis, tum Zelo dilatandæ fidei insignibus, quorum paucos, qui eo potissimùm tempore, quo Regularis etiamnum vigeat inter Canonicos observantia, floruerè, delibo. Ex his itaque erat B. Libentius, ejus Ecclesie Episcopus, de quo Bollandus in Actis SSorum ad diem 4. Jan. scribit formalia: *Tantæ erat Humilitatis & Charitatis, ut in Claustro sicut unus Fratrum vixerit.* Ex quibus regularitatem hujus Ecclesie clarius colligere pro-

prorum est. Plura de eo videri possunt l. c. Huic in Episcopatu successit Unwarus, ex Ecclesia Paderbornensi, ubi Regularem professus erat Canonicum, assumptus, de quo plura vide inferius V. Paderbornensis. Celebris præterea hic est

B. IPPO, quem Cæsar Baronius in Indice ad Tomum XI. Annalium vocat Bremensem Sacerdotem, ejusque gloriosum pro fide Martyrium ex Adamo Bremensi his porro terminis perstringit: *Trans Albiam quoque vindictæ magnitudo pervenit, quoniam Princeps Godescalcus eo tempore interfectus est à Paganis, quos ad Christianitatem nitebatur ipse convertere. Et quidem Vir omni ævo memorabilis magnam partem Slavoniæ conversam habuit in divinam religionem. Sed quia nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum, neque adhuc venit tempus miserendi eorum, necesse erat, ut venirent scandala, ut probati fierent manifesti. Passus est autem noster Machabeus in civitate Leonita VII. Idus Junii cum Presbytero Ippone, qui super altare immolatus est, & aliis multis tam Laicis, quam Clericis, qui diversa pro Christo ubique pertulerunt supplicia. Hæc ex Adamo Baronius ad annum 1065. Alter est*

ADALDAGUS itidem Bremensis Ecclesiæ Regularis Canonicus, de quo scribit Bzovius in suâ historiâ Ecclesiasticâ ad annum 1000. Eodem, inquit, anno claruit Odincarus Junior, cognominatus Albus, Torhonis Vinlandensis Ducis filius, Canuti Regis Daniæ ex Sorore Nepos ab Adalago Archi-Episcopo Bremensi baptizatus, ab eoque nomen sortitus, Bremæ ab Archi-Episcopo scholæ traditus, in litteris ac pietate supra Coætaneos profecit. Deinde cum adolevisset à Canuto Rege in Angliam studiorum causâ ductus, inde Sapientis seu Philosophi nomen retulit, & cum sæculo relicto Ordini Ecclesiastico animum applicuisset, flagraretque desiderio animas, errore gentilitatis perditas, ad veri DEI agnitionem perducendi, à Libentio I. Archi-Episcopo ordinatus Episcopus Sueoniam, Scaniam, Siclandiam & Norvegiam verbi DEI prædicatione illustravit. Odincaro Seniore confanguineo, quo prius usus fuerat Magistro & Doctore nec litterarum peritia nec vitæ Sanctitate nec Zelo cessit animarum, sed multos ipse quoque in Sueciam & Norvegiam navigans subiit labores, ut rudem populum ad Christi fidem perduceret, vel jam credulum in fide solidaret. Solemne illi fuit, omni quadragesimali tempore alternis diebus spontaneis corpus subicere flagris, iisque non à manu propria, quæ blandior esse solet, sed aliena, quæ durior est, Presbytero id muneris demandaverat) inflictis: sicque piis operibus semper intentus, illustri vita ac sanctæ conversationis studio, multos Ecclesiæ aggregavit fideles: Deoque & hominibus fuit acceptus, donec ætate plena vitâ fungeretur anno reparatæ salutis Millesimo quadragesimo secundo ipso die Paschatis, quo præsciis mortis res suas aptè decenterque ordinavit, sepultus Bremæ. Adamo Bremensi lib. 2. cap. 26. 27. 34. & 46. Krantzius in suâ Metrop. lib. 3. cap. 40. & 43. lib. 4. cap. 11. & 27. qui obiisse eum affirmant annò Christi 1043. Joan. Vastou Sigism. II. Regis Poloniæ Biblioth. Præfect. recensuit. Hucusque Bzovius. Tertius est

ADALWARDUS olim (ut scribit Adamo Bremensi) Claustrum Bremensis Decanus, Vir Apostolico Zelo præ cæteris inclytus, quem palam facturus cit. Adamus, sequentia narrat. Postquam Christianissimus Rex Sueonum Jacobus migravit à sæculo, successit Frater ejus Emund pessimus: à Concubina Olaph enim natus erat, & cum baptizatus esset, non multum de Religione nostra curavit, habuitque secum quendam Episcopum nomine Osmund Acephalum, quem dudum Sigefridus Nordtmannorum Episcopus Bremæ scholis docendum commendavit, verum is postea beneficiorum oblitus, pro ordinatione Romam accessit, indeque repulsus, per multa loca circumvit erroneus; & sic demum meruit ordinari à quodam Poloniæ Archi-Episcopo. Tunc veniens in Sueciam jactavit, se à Papa consecratum ad illas partes Archi-Episcopum; sed cum Adalbertus Archi-Episcopus Legatos suos ad Gamalam Regem dirigeret, invenerunt ibi gyrovagum Osmund, Archi-Episcopali more crucem præferentem, audierunt etiam, quod Barbaros adhuc Neophytos non sanâ fidei nostræ doctrinâ corrumpat. Quorum ille præsentia territus, solitis populum Regemque dolis impulit, ut Legati repellerentur quasi non habentes Sigillum Apostolici. Illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Erant autem Legati Fratres Bremensis Ecclesiæ, quorum potissimus fuit Adalwardus Senior olim nostri Claustrum (verba sunt Adami Bremensis Canonici & historiographi) Decanus, verum tunc Sueonum genti ordinatus Episcopus. De cujus Viri virtutibus multa possent dici, nisi properarem ad alia. Hæc ille. Sed qui deinde post ejectum suum Pontificem fuerint casus secuti Sueciam, is idem auctor subjicit: unde agrorum sterilitate, aëris intemperie, & diffortunio rerum bellicarum, se Divina plecti ultione sentientes, miserunt ad Archi-Episcopum, ut repulsam ipsis daret Adalwardum, qui remissus adeo munus Apostolicum, quod acceperat, dignè exercuit, ut quod idem subdit auctor, gentem Virnilano-

rum integram, in qua nullus adhuc Prædicator visus est vel auditus, Domino acquisiverit, multaque etiam miracula virtutum in populo fecerit. Inter quæ illud, quod narrat Kranzius, numerandum, qui lib. 4. cap. 33. sic inquit: Idem (Adalwardus) à Rege Haraldo Norwegiæ dominante (Olavi Martyris, olim Regis, germanus is erat) invitatus, in Norwegiam migravit, & inter alia religionis officia cum ad tumulum hominis ante 60. annos defuncti, perduceretur, stupente populo, cum adhuc integrum cadaver hominis, quasi hodie sepulti cerneretur, Episcopus in spiritu cognovit eum excommunicationis delicto teneri laqueatum. Erat autem ex his, ut liquido compertum habebant, qui Senioris Libentii tempore, in ditionem Bremensis Ecclesiæ populabundi inceserant, quos idem Pontifex gladio maledictionis feriebat, cumque interpositâ prece Adalwardi Pontificis absolveretur, mox solutus in cinerem recidit. Hæc Kranzius. Vide etiam Baronium Tomo XI. Annal. Eccles. sub annò 1050. qui eadem à nobis hic dicta ex Adamo recitat. Quartus denique est:

ADAM, vulgò cognominatus Bremensis, cum fuerit illius Ecclesiæ Regularis Canonicus, ad quam se annò 1067. venisse is ipse testatur l. 3. c. 5. in fine. Cæsar Baronius permulta ex celeberrimi hujus Historici libris mutuatus, de eo scribit sequentia.

*Cum ipse nihil antiquius habens, quam ejus Ecclesiæ ortum atque progressum scribere, ad hoc peragendum, conveniendum sibi putavit Sueonem Danorum Regem, quem cæteris doctiorem, atque prudentiorem acceperat, de quo ipse his verbis: Novissimis Archi-Episcopi temporibus cum ego Bremam veni, audita ejusdem Regis Sapientia mox ad eum venire disposui, à quo & clementissimè susceptus, ut omnes, magnam hujus libelli materiam ex ejus ore collegi, erat enim scientia litterarum eruditus & liberalissimus in extraneos & ipse direxit Prædicatores Clericos in omnem Suediam, Northmanniam, & in insulas, quæ sunt in illis partibus. Cujus veraci & dulcissimâ narratione didici suo tempore multos ex Barbaris nationibus ad Christianam fidem conversos, aliquos etiam tam in Suediâ, quam Norvegiâ martyrio coronatos, ex quibus, ait, Henricus quidam peregrinus, dum apud Sueones ulteriores prædicaret, martyrii palmam capitis abscissione meruit. Alter quidam Alfuardus nomine inter Northmannos sancta conversatione diu latentèrque vivens abscondi non potuit. Ille igitur dum protexit inimicum, occisus est ab amicis. Ad quorum requietionis locum magna hodièque sanitatum miracula populis declarantur. Igitur ea, quæ diximus, vel adhuc sumus dicturi de Barbaris, omnia relatu Viri illius cognovimus. Hæc de eo Baronius ad annum 1067. n. 18. & 19. ubi præterea in laudem illius addit, se neminem legisse, cujus magis candor veritatis eluceat, tantæque Adamum hunc fuisse fidelitatis, ut magnum duxisset sacrilegium in rei cujuscunque tractatione mentiri. Cæterum præclara, quæ posteris transmisit litterarum monumenta, reperiuntur esse sequentia:*

Historia Ecclesiastica Saxonæ à temporibus Caroli Magni usque ad Henrici Quarti tempora libris 4. distincta, in quibus & vitam B. Anscharii Suecorum Apostoli complexus est. Lugduni Batavorum 1595. in 4.

Ejusdem de Daniæ situ ac naturâ libellus, deque gentium istarum moribus Religionibusque non ita pridem prodiit Lugduni apud Franciscum Raphaëlem curâ & labore Erhardi Lindenburch.

Hanc ipsam Ecclesiam condecorarunt ulterius plures & sanctitate, & Zelo Religionis illustres, nimirum S. Vicelinus, B. Thietmarus & alii, quorum exacta fiet mentio in descriptione Monasterii Falderensis, quod hi Sancti Viri post dissolutam Ecclesiæ Bremensis Regularitatem primitus sub Instituto Canonico-Augustiniano fundarunt & incoluerunt.

#### BREDEVORTANUM,

**O**lim inclytum Canonicorum Regularium S. Augustini de Venerabili Congregatione Windesimensi in Comitatu Zutphanicæ Collegium Bredevoert appellatum. Communiter appellari solebat Monasterium B. Mariæ in Nazareth, nunc cum tota sua, in qua situm est Provincia à Confæderatis Batavis subactum, ac suffocatum manet. Unum ex Documentis Baelhemensibus restat, posterorum memoria dignum, quemdam Joannem Rhoden nomine, professum in Bredevoert, electum esse in Priorem Baelhemensem anno 1507. eumque annis quinque sat laudabiliter præfuisse.

BRIE-

## BRIELENSE.

**M**onasterium hoc propè Brielas in honorem S. Elizabeth in Zelandia pro Canonicis Regularibus S. Augustini sub Congregatione Windesimensi fundatum fuit anno 1406. à pio æque ac strenuo Milite Hugone de Heenoleet; exular<sup>te</sup> tamen iisdem in terris Religione Catholica, etiam Collegium istud desolatum fuit. Joannes Buschius in Chronico Windesimensi de illo habet sequentia. Lib. 1. cap. 39. Fol. 169. *Post hæc, prædictum Monasterium Sanctæ Elizabeth Ordinis nostri in Zelandia propè Brielas, à D. Hugone de Heenoleet strenuo Milite, de licentia Domini Frederici Trejctensis Episcopi inchoatum est ædificari. Cùmque idem Dominus Hugo Miles per Nuntios & Literas Testimoniales Capitulo destinatas, ipsum instanter assumi exoptaret, missi sunt ad eum duo Patres de Capitulo, Frater noster Henricus Wilde Prior in Egmsteyn cum socio ad secum gerendam de omnibus correquisitis ad novi Monasterii Ordinis nostri fundationem, quomodo Domus nova Capitulo incorporanda, ducentos ad minus Hollandiæ florenos in certis debeat habere redditibus, & cætera bis similia. Qui cuncta sic disposuit, & ita sequenti Capitulo Generali idem Monasterium Capitulo extitit incorporatum anno Domini 1406. in quo frater Joannes de Boeheldia in fonte B. Mariæ per fratrem nostrum Arnoldum Kalker investitus per biennium Prior fuit, Columna Ordinis nostri postmodum in propria domo factus, sed quia Aerem loci illius salsum ferre non prævaluit, in brevi post resignavit.*

## BRIXINENSIS.

**T**aliter hodie nuncupari solita, priùs verò *Sabionensis* dicta, Cathedralis apud Tirolenses Ecclesia, jure ac titulo Suffraganeatus sub Metropolitanâ Salisburgensi comprehensa, in pervetusto quodam (cujus integrum tenorem pandit Hundius in Metrop. Salisburg. tom. 1. fol. 447.) Diplomate Conradi secundi Romanorum Imperatoris cognomento Salici; ubi Cathedralis Ecclesia Sabionensis expressè nominatur *Monasterium*, atque sub Henrico XLIV. Brixinensium Episcopo loc. citato fol. 447. scribitur, Tota Brixinensis Civitas anno 1134. in cineres fuisse redacta, & quidem cum ea quoque Cathedralis templi parte, quam *Monasterium* vocant; defecerat siquidem ibi vita Regularis antiquitus usurpata, nudo solum denominationis signo seu vestigio post se relicto; qualiter id temporis imò jam antè factum fuisse constat cum pluribus aliis Ecclesiis Cathedralibus per Superiorem Germaniam nostram diffusis. Verùm quod res est, Monasterium hîc allegatum notes, ac inde haud colligas, quàm quodd dicas, Brixinensem hanc Ecclesiam juxtà se habuisse peculiare quoddam etiam Monasterium, sicut olim habuit Cathedralis Hipponensis intra septa sua constitutum, in quo vivebant Canonici juxtà Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam, non habentes quicquam proprium, de uno solum victitantes penuario, & in uno pariter edentes Refectorio, ut & in uno quoque dormientes Dormitorio, quorum omnium erat Cor unum & anima una in DEO. Accedit insuper, quodd eadem hæc Brixinensis Ecclesia præcis temporibus Regulares etiam aliquot habuerit Episcopos de Canonico Ordine S. Augustini delectos, ut putà S. Hartmannum, Nicolaum Cusanum S. R. E. Cardinalem ex Monasterio Warttenbergensi desumptum, Henricum Ducalis Canonie Berchtoldsgadensis Præpositum, nec non etiam Joannem itidem Regularem Canonicum Berchtoldsgadensem. &c.

Cæterum in Civitate & Diœcesi Brixinensi multa olim fuisse Collegia Canonica Ordinis nostri, vel ex hoc solum conjecturare licet, quodd in Capitulo Provinciali Papiensi unus Visitator pro solis Monasteriis & Ecclesiis Canonicorum Regularium in Episcopatibus Brixinensi & Laudensi fuerit constitutus. Ea verò, quorum nomina, ex Actis dicti Capituli, vel aliis scripturis colliguntur, quoque hætenus adhuc subsistunt, vel aliis Monasteriis unita supersunt, plura recenset Gabriel Pennottus in Historia universali P. 2. c. 25. N. 4. qui & cætera in Urbe Brixinensi Canonicorum Regularium Collegia ibidem describit, quodd benovolunt Lectorem remitto.

## BRUXELLENSE S. PETRI

**V**irginum Canonissarum Ordinis S. Augustini in Urbe Bruxellensi Cænobium, Apostolorum Principi sacrum, situ amplum hortisque ac viridariis spatiosum, sub annum Christi 1170. incertum quo præcipuè Fundatore conditum, ab Iconoclastis superiore sæculo dirutum, inde restitutum hodie spectatur florentissimum. Antistites sequens enumerat serjes;

- I. Petronella de Mol, quæ vitam mortalem cum immortali commutavit anno 1179.
- II. Walburga Sleeuws præfuit annos 41. & vita excessit anno Christi 1220.
- III. Oda vande Meren, sedit ad clavum annos 29. mortuâque est anno 1149.
- IV. Odilia van Dormael, quæ annos unum & quadraginta præfedit & obiit 1290.

Tom. III. Can. Regg. Origines.

Sss

III. Catha-

V. Catharina vander Vooren, quæ diutissimè rexit annos unum & sexaginta, obiitque 1351.

VI. Beatrix Ottengies, undecim annis rebus præstitit & vivere desit anno 1362.

VII. Elifabeth vander Uliete solis quatuor annis regimen tenuit mortua 1366.

VIII. Catharina Smesackers præfedit annis quatuordecim, pie defuncta anno 1380.

IX. Elifabetha Comers præfuit annis 19. mortua 1399. Vixit hujus tempore in hoc Cænobio Catharina Rusbrochia, Doctoris Mystici Joannis Rusbrochii foror, magnæ sanctitatis fama celebris, jurata sui corpusculi hostis.

X. Catharina Coolzaert, quæ unum supra quinquaginta annos præfuit mortua 1450.

XI. Margarita Huyoel, rexit annis 22. obiitque 1472. sub hujus regimine obiit anno 1452. foror Elifabeth Ottengies, ad cujus sanctitatem demonstrandam, cum omnia circum undique nix operiret, nunquam ejus sepulchrum operuit, donec super eodem in illius memoriam sacellum conderetur.

XII. Judoca Soens octennium solummodo gubernatricem egit, atque anno 1481. decessit.

XIII. Margarita Huyoel, rebus præstitit annis 22. & ad plures abivit anno 1504.

XIV. Maria Huyoel, annis viginti tribus Præpositam egit, extincta anno 1527.

XV. Joanna Huyoel, præstanti probitate mulier, patricio genere Bruxellis nata, cum ad nuptias à parentibus cogereetur, clam sese subducens, seque in hoc Cænobio Numini emancipavit, in eoque religiosissime vivens, præfici meruit, annosque sex solummodo præfuit, mortua anno 1533. cui paulo ante mortem, Deiparam cum SS. Catharina & Barbara ferunt adfuisse, quas singulari semper coluerat devotione.

XVI. Judoca Sconinex, exstruxit novum Refectorium, & Dormitorium insigne cumque 17. præfuisset annis, ex hoc sæculo migravit anno Christi 1550.

XVII. Elifabeth Huyoel. Hæc dira à Catholicorum exagitata persecutione, Monasterium suum ad triennium cum omnibus suis deserere coacta fuit, præfuit annis 37. mortua anno 1587. 10. Jan. sepulta in Elifabeth Montis Sion, cum sui Cænobii Ecclesia ab Hæreticis everfa esset. Vixit sub eadem Gudila vanden Bosche quæ cum nocte SS. Nativit. Christi moreretur, monuit sorores, quo loco horti flores ad se in tumulo honorandam reperirent, inter nives maximam florum copiam reppererunt, & sacrum corpusculum honorarunt.

XVIII. Catharina vander Zypen obiit anno 1603. cum sacram familiam annis 17. rexisset. Ecclesiam à fundamentis extruxit. Jubilaria jam fuit Religiosa cum eligereetur, eodemque tempore septem sub se Jubilarias habuit.

XIX. Margarita van Bertem annis 8. præfuit, & ut melius DEO vacaret, in strietioris observantiæ Monasterium migravit.

XX. Clementia vander Strepen, dono lachrymarum insignis, quibus & viventes & mortuos juvisse memoratur, præfuit annis 21. & mortua est anno 1632.

XXI. Barbara vanden Zanden, in se parca, in egenos larga, triennium præfuit & obiit 1635.

XXII. Joanna vander Strepen, quæ & seipsa, & egregiis structionibus Cænobium egregie exornavit.

#### SS. RELIQUIARUM CATALOGUS.

De Cruce Domini nostri.

De lapide super quem Christus sudavit aquam & sanguinem.

De S. Joanne Bapt.

De S. Petro Apostolo insignis portio.

De S. Thoma Apostolo de cujus corpore etiam pars major hîc asservari creditur.

De S. Stephano Protomartyre.

De S. Lamberto Episc. Mart.

De S. Sebastiano Mart.

De S. Cevone Mart.

De S. Arnoldo.

De S. Catharina Virg. & Mart.

De SS. Virg. Mart. Barbara, Lucia, Agatha, Margaritha, &c.

#### BUCHAUGIENSE.

SÆcularium hodiè Canonissarum Collegium Ecclesiasticis (qui in Circulo Suevico principali dignitate refulgent) Statibus consociatum, intra limites Diœcesis Constantiensis existentiam suam habet in Superiori Sueviâ ad lacum plumarium seu *Federsee* cognominatum & principalis (ut diximus) Parthenæi hujus primaria Fundatrix inclyta fuisse nominatur Hildebrandi Ducis Suevorum Filia, eaque S. Hildegardis Reginae Germana Soror

Soror S. Adelindis (cujus certam Vitæ historiam prolixè satis descriptam exhibet Mathæus Raderus Soc. Jesu Presbyter in Bavaria sancta Volum. 2. fol. M. 122.) quæ in memoriam Mariti Ottonis Comitis de Kesselburg, haud procul eo loco in pugnâ, contra Hungaros commissa, cum tribus filiis trucidati, in honorem SS. Corneli & Cypriani MM. PP. largissimè fundavit Religiosum Parthenæum istud nobilissimis Domicellis sacram Regulam Canonico-Augustinianam Professis, quibus & semetipsam solenni Professione aggregavit, locumque primæ Abbatissæ cum eximia sanctitatis famâ, ad mortem usque, quam quotannis solenni Ecclesiastico Officiò colunt Buchovienses Canonissæ 28. Augusti, sustinuit, & sic quidem testantibus Martino Crusio in Annalibus Sueviæ lib. 2. part. 1. cap. 8. & Casparo Bruschio de Monast. German. cent. 1. fol. 18. quod factum est anno Christi 756. Ex quo verò Religiosum Claustrum istud post aliquod tempus casuali incendio devastatum atque in merissimos cineres redactum est, alterum illius Restauratorem lubens sese stitit Ludovicus cognomento Pius, Caroli Magni Filius, Germanorum Rex; & sic quidem sub annum 821. à quo tempore usque in præsens locum incolunt Perillustres Virgines Natalium splendore conspicuæ, atque istæ ab omni Regulari Professione liberæ & exemptæ.

## BURCFELDENSE.

Aliàs ab Incolis terræ communiter suo nomine S. *Michaëlis* nuncupari solitum, utpotè Sanctissimo Archistratego huic, seu summo totius Militiæ Cœlestis Principi sacratum, dicatum, ac dedicatum, Ordinis Canonico-Augustiniani Collegium infra limites Diœcesis Constantiensis in Superioribus Alemanniæ partibus præpiori perdurante sæculo prope Rottwilam, Imperiale oppidum ad fluenta Nicari strictissimâ Religione omninò præcipuum, etsi de primævâ origine suâ haud ampliùs lugetur inquirendum, eò nempè quòd execranda temporum malitia, tum scelesti Novatorum in res & possessiones sacras avaritia totum Venerabilis quondam Cœnobii hujus statum in tantum absumpsit, ut tum fundò, tum cunctis censibus, redivisibus illius ad manus heterodoxorum pertractis & direptis tota temporis seu ultimioris ætatis nostræ prosteritas præter inane nomen *Burcfeldense* sciat, habeatque omninò nihil.

## BURIENSE.

Aliter antiquitùs suo nomine dictum apud populos Aquilonares sub limite Archi-Diœcesis Bremensis Clericorum Collegium, & quidem primævâ origine suâ pervetustissimum, utpote jam ante tempora Sergii Papæ Tertii (qui Summum Ecclesiæ Romanæ Pontificatum ab anno 907. usque 910. tenuit) authore non notato fundatum, primùm Canonicis Regularibus Augustinianis (uti constans traditio habet) fuit additum, & in eodem hoc Claustro, dum adhuc inibi Regularis observantia floruit, quandoque etiam S. Aldebrandus Bremensis Episcopus (ab Alberto Kranzio in Metropoli Saxonix lib. 4. cap. 27. oppidò laudatus) Inquilinis Canonicis non nunquam vel ad dies aliquot lætissimè in Domino convixit, idem demùm anno 1043. mense Aprili morte temporali ad syderea Regna vocatus, ipsum verò Buriense Collegium istud (pessimò aliorum exemplò) secundùm omnem priorem statum Regularem merissimè defecit.

## BURONENSE.

Seu temporibus nostris communiter *Beurense* & *Beyrense* nuncupari solitum, nobile quondam Canonicorum Regularium Collegium de Diœcesi Constantiensi in Superiori Suevia ad ripam Danubii, in communi fundo & territorio Imperii peramæno loco, eoque variarum recreationum delectamine satis commodo situatum, observantia regulari hodiè efflorescit; siquidem vallis hic est duobus cincta montibus, quos inter ab Occidente Ister proluit, & placidè per arva amænissima tractus, sed & ab uno ad alterum montem rejectus vallem intercipit, ut ulteriorem in planitie semitam intercludat.

Isthic igitur loci seu in amænissima valle Buronensi modò dicta currente anno sæculari videlicet post Partum Virginis Millesimo Nobilis quidam Dynasta, seu potius Alemanniæ Dux suo nomine Peregrinus, idem ab Honorio Papa Secundo *Vir illustris* atque etiam Nobilis in tabulis appellatus, congenito more suo Venationi deditissimus prima atque secunda vice in bicornem raræ magnitudinis cervum fortè incidit, scintillantes faculas in supremis cornuum furculis seu acuminibus gestantem, quod factum est eo ipso in fundo, cui hodiè Buronensis, seu Beyrensis, de qua hic agimus, Canonica Regularis inædificata perstat, qua eadem memorata fera paulo post ex oculis Peregrini antedicti subducta, simul ac Ministris ac famulis hinc inde dilapsis, à sonipede suo in terram cadens dul-


cissimo cordis gaudio spectabili forma coruscant, eamque supra radiantem contuitus est Deiparam Virginem quasi blandiusculè monentem de Monasterio quodam Viris Religiosis isthæc inædificando; quod proin brevi stetit mole sua perfectum & absolutum. Ad hoc igitur Buronense Claustrum magnificis donis & amplissimis possessionibus uberrimè dotatum ac locupletatum, prædicto anno Salutis Humanæ Millefimò lætantes inducti fuerunt Religiosi Canonici ex vicino (de quo jam supra) Monasterio Beyrensi deducti; Ipse etiam Peregrinus novam hujuscemodi fundationem suam) communi more priscis sæculis visitato) ad Altare S. Petri Romæ in Allodium proprium devotus obtulit; unde, ubi tam pia oblatio grata fuit, Summi Pontifices novam Buronensem Ecclesiam istam in specialem Sedis Apostolicæ protectionem clementissimè receptam plurimis gratiis ac privilegiis munierunt; Imperatores & alii quoque Magnates plurimi ex summâ & immediatâ, qua pollebant, Majestate seu potestate & authoritate sua idem præstiterunt. Successu temporis variis variarum donationum seu fundationum titulis Matræ Ecclesiæ Buronensi hinc inde factis, additæ fuerunt minores quædam rurales Parochiæ numero decem, atque istæ omnes pleno (uti vocant) jure subditæ & incorporatæ; de quibus numero quinque præ reliquis admodum vicinæ secundum antiqua jura hodieum integerrimè subsistunt & administrantur per Religiosos Vicarios statis diebus ac temporibus eò excurrentes; Nonitem reliquæ quinque Parochiæ jam ab anno 1636. (quo currente pestifera lues hujuscemodi Provisores Religiosos ad unum omnes sustulit) Curionibus secularibus demandatæ. Porro haud minimum laudis & decoris congruentem Vetustissimo huic Collegio materiam offert, quod in omnibus suis Paræciis antè dictis superiori atate ceu iniquissimis accrescentium undique hæresum temporibus, Religiosi Canonici curis Pastoralibus expositi, verbo & exemplo suo tot animas ab interitu salvas redemerint seu conservârint incolumnes, cum tamen loca quædam & quidem proximè confinia execrando variarum hæresum veneno fuerint intoxicata. Cæterum sæpè fata Canoniam hæc à tempore primæ fundationis suæ usque ad initium sæculi decimi sexti seu annum 1501. continuò Præpositos haud habuit alios, nisi liberos & ingenuos seu claris natalibus exortos; & sic quidem constat ex monumentis domesticis bello Suecico relidis, licet admodum paucis, siquidem efferatissimo illo perdurante Martiali disturbio tabularia, & quidem etiam principaliora cum litteris & scripturis, imò & toto quoque Archivio devenerunt in manus hostium, cumque insidiosæ nimium deprædantium militum insaniam propemodum cuncta fædè diripiissent, inque præterfluentem Danubium furiosè projecissent, quàm plura ex illis pessimè fuerunt mutilata, & miserimè deperdita; de quibus tamen vel perpauca solum per preces & pecunias ægrè servata, & liberata hodieum restant, quæ manifestè docent Buronensem Canoniam hanc antiquitus Regulares Canonicos Religiosos Domicellos non habuisse alios, nisi sanguine claros, seu isthæc loci constituisse merissimum Nobilium Personarum Collegium, vulgò *ein Frey Adeliches Stüfft.*

Syllabum Abbatum vide in Suevia Ecclesiastica. Usus Insignium Pontificalium anno 1678. clementissimè concessit tum regnanti Præposito ex causis in sequenti Bulla expressis Innocentius X. P. M.

In Nomine Domini, Amen!

„ **I**NNOCENTIUS, Episcopus, Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.  
 „ In Apostolicæ Dignitatis folio, & potestatis plenitudine, summa Redemptoris nostri  
 „ clementia, meritis licet imparibus constituti, ad ea libenter intendimus, per quæ provi-  
 „ sionis nostræ auspiciis Monasteria Insignia, eorumque Abbates, eis pro tempore præ-  
 „ fidentes, majoribus semper Honorum, & Dignitatum prærogativis extolli, & deco-  
 „ rari valeant. Sane pro parte Dilecti Filii, moderni Præpositi, seu Abbatis Monasterii  
 „ Beurenensis, Ordinis Sancti Augustini Cann. Regg. Constantiensis Diœcesis, Provincia  
 „ Moguntinæ, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum dictum Monaste-  
 „ rium ab octo fere sæculis erectum, & institutum, & non mediocri Religiosorum, in eò  
 „ degentium numero, vita exemplari, & Regularis Disciplinæ inibi observantia admo-  
 „ dum insigne existat, & tam dictus Modernus, quàm, qui pro tempore fuerunt, dicti  
 „ Monasterii Præpositi, seu Abbates, ab eo quasi tempore, omnibus Pontificalibus, Pa-  
 „ storali scilicet, & Baculo, nec non reliquis aliis Insigniis, sola duntaxat Mytra ex-  
 „ cepta, gaudeat, & respectivè gavisi sint, & tempore existenti dicti Monasterii Præposito,  
 „ seu Abbati plures Parochiales Ecclesiæ subiectæ sint, & existant, Monasterii verò  
 „ præfati Bona, & Redditus in hæreticorum terris, præsertim Ducatu Wirtembergico,  
 „ consistant, proindeque de necessitate Præpositi, seu Abbates præfati, seu pro ejus di-  
 „ cti Monasterii Religiosi, inter eosdem hæreticos continuo versari cogantur, &, si di-  
 „ cto Moderno Præposito, seu Abbati, ejusque in dicto Monasterio successoribus usus  
 „ Mytræ concederetur maximè, quod in præfati Monasterii viciniis, ad integrum unius  
 „ diei spatium itineris, nullum Virorum Monasterium reperiatur, in quo Pontificalia exer-  
 „ ceantur.





COLLEGIUM  
BURONENSE  
AD DANUBIUM  
IN SUPERIORI  
SUEVIA DIOECE  
SIS CONSTANTI  
ENSIS C. R. S.  
AUG. FUND  
A. C. M.

IFranc. Jugi:







„ ceantur, fanè decori, & majori Authoritati ejusdem Monasterii, non solum plurimum  
 „ consuleretur, sed exinde fidelium cultus, & pietas non modicum suscipere incremen-  
 „ tum. Quare pro parte dicti Moderni Præpositi, seu Abbas Monasterii hujusmodi,  
 „ Nobis humiliter fuit supplicatum, quatenus ei in præmissis opportunè providere de be-  
 „ nignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Monasteriorum, aliorumque loco-  
 „ rum Ecclesiasticorum, & Præpositorum, seu Abbatum, illis præsentium decorem, &  
 „ venustatem summo opere exoptamus, Ipsumque Modernum Præpositum, seu Abbatem,  
 „ specialis gratiæ favore profèqui volentes, & à quibusvis suspensionis, excommunica-  
 „ tionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pænis, à Jure, vel  
 „ homine, quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad affectum  
 „ præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore cen-  
 „ sentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto Congregationis Venerabilium  
 „ Fratrum Nostrorum, S. R. E. Cardinalium, super Ritibus Ecclesiæ Præpositorum, Mo-  
 „ derno Præposito, seu Abbati, Ejusque in dicto Monasterio successoribus, Præposi-  
 „ tis, seu Abbatibus pro tempore futuris, ut Mytra, aliisque Pontificalibus Insigniis ce-  
 „ lebrare contigerit, Benedictionem solennem post Missarum, Matutinorum, Vesperarum,  
 „ & aliorum Officiorum celebrationem supra populum inibi interessentem, dummodo  
 „ aliquis Antistes, seu Sedis Apostolicæ Legatus ibidem præsens non sit, etsi præsens fue-  
 „ rit, ejus ad hoc accedat assensus: nec non quoscunque Calices, Patenas, Cruces, Ve-  
 „ stes, Capulas, aliæque Ornamenta, & indumenta Ecclesiastica, nec non mappas,  
 „ Imagines, vasa, Thuribula, Tabernacula, etiam, in quibus summum Eucharistiæ Sa-  
 „ cramentum conservatur, & Reliquiæ asservantur, benedicere, & consecrare, nec  
 „ non Ecclesias, & Cæmeteria, aliæque Loca sacra, dicto Monasterio subjecta, sangui-  
 „ nis, vel seminis effusione, vel alias quomodolibet polluta, per aquæ, prius per ali-  
 „ quem Catholicum Antistitem, gratiam, & Communionem Sedis Apostolicæ habentem,  
 „ ut moris est, benedictæ asperisionem, & aliis solitis solemnitatibus, & ceremoniis debite  
 „ servatis, reconciliare liberè, & licitè valeat, de consensu Ordinarii, Apostolica Autho-  
 „ ritate, earundem tenore præsentium, de speciali gratia concedimus, & indulgemus,  
 „ decernentes, eos super præmissis, & illorum occasione à quoquam directè, vel indi-  
 „ rectè, quovis quæsito colore, aut ingenio, molestari, perturbari, vel inquietari nul-  
 „ latenus unquam, quavis autoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari,  
 „ non obstantibus constitutionibus, vel Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Mona-  
 „ sterii præsentis, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia  
 „ roboratis, statutis, & Consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli er-  
 „ go omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ Absolutionis, Concessionis, Indulti,  
 „ Decreti, Voluntatis infringere, vel eis ausu temerario contraire; si quis autem hoc at-  
 „ tentare præsumperit, indignationem omnipotentis DEI, & B. Petri, & Pauli, Apo-  
 „ stolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem an-  
 „ no Incarnationis Dominicæ MDCLXXXVII. pridie Nonas Maji Pontificatus nostri  
 „ anno XI. „

## BUTHINENSE,

**A**lias etiam *Beuthinense* dictum, antiquitus Regulare Canonicorum Augustinianorum Collegium in principali Silesiæ Ducatu Glogoviensi sub limite Diocesis Uratislaviensis constitutum, mox ab initio primæ foundationis suæ videlicet ab anno 1237. alii cuidam unius ejusdemque Regionis & Ordinis Monasterio seu Abbatia & quidem Saganensi pleno jure subditum evasit, atque istud ipsum feliciter auspiciatus est Princeps Terræ, qui pro tempore fuit Illustrissimus Silesiæ Dux Henricus, cognomento *Barbatus*, & S. Hedwigis (cujus festum in Ecclesiâ Romanâ celebratur die 17. Octobris, & succinctam ejusdem sanctissimæ Matronæ vitæ historiam dedit Mathæus Raderus Soc. JESU in Bavaria sancta volum: 1. fol. 149.) Maritus, & sic quidem ille ipse, ut nimirum isthic loci sæpius venerationem exercere solitus, pro Officio divino commodius auscultandò propriam quandam, ut puta *Buthinensem* istam inædificare sibi constituit Ecclesiam, prout fusiùs explanant Litteræ ab ipsomet altéfato Domino Fundatore clementissimè impertitæ, quæ inter alia sic habent. *Addidimus præterea sæpè dictæ Domui (Buthinensi) quendam locum, qui dicitur Mochel situm in Castellano Buthinensi cum omnibus suis attinentiis &c. & novum Claustrale Domicilium istud emerfit, à Clericis Augustinianis constanter inhabitatum. Verùm labentibus annis isthic loci mutatus est (eheu! color optimus, siquidem durante sæculo decimo sexto, & quidem sub annum gratiæ 1564. scelestissimâ nimirum Anabaptistarum vefaniâ in partibus Silesiæ immanissimè grassante, ad bona Matricis Ecclesiæ Saganensis utcunque salvanda Buthinensis Præpositura ista cum queisvis attinentiis suis ad alios, & quidem manus sæculares fuit divendita, plenum quidem in id consensum præbente Eminentissimo N. Nuntio Apostolico, prorsus tamen invito, & mordicus contradicente loci Ordinario seu Uratislaviensi Episcopo.*

## BUXHEIMENSE.

**P**eregrinum simul ac pulcherrimum ætate nostrâ sacræ familia Carthusianæ Domicilium in districtu Diocesis Augustanæ, haud procul Memminga oppido Imperiali in Superi Sueviâ conspicuum; cujus isthic specialis ratio videtur habenda; ne videlicet ii, qui fortè in Wigulei Hundii Metropolim Salisburgensem casualiter incidunt, atque ibi seu Buxhemii primùm Canonicos sæculares substituisse, atque istis primùm Ascetas Carthusianos suo tempore successisse legunt, cum citato Hundio Tom. 2. fol. 280. pariter sinistrè sentiant; sic enim ille loco citato refert: *Buxheim Clericorum secularium ( Collegium ) subinde verò Canonicorum Regularium, quales tamen, nempe posteriores isti, Buxheimium nunquam intrarunt.*

## BUXTEHUDANUM.

**P**ercelebre quondam hujus nominis apud Aquilonares populos in Diœcesi Verdensi constitit Parthenæum Canonico - Augustinianum, hoc tamen jam pridem videlicet sub decursum sæculi decimi sexti, mutata antiqua Religione terræ hujus penitus extinctum; de quo eodem hoc jam antiquato ( ut diximus ) sacrarum Virginum Cœnobio sub Politicâ Jurisdictione Regis Suecorum detento Kranzius in suâ Metropoli Saxoniae lib. 8. cap. 36. verba faciens profert sequentia: *Novum oppidum juxta Monasterium Buxtehude, quod à Monasterio nomen sortiretur, communiuit ( Giselbertus Bremensis Archi - Episcopus Præful dignissimus loco citato meritissimè laudatus ) quod bodiè visitur magis olim quam nunc floruisse, præjudicium inde Monasterio natum interventu Episcopi Verdensis ( fuit is Conradus è Duce Brunswicensi Summus Ecclesiæ Verdensis Pastor numerò tricesimus quartus anno 1395. die 15. Octobris terrestrem mortalitatem exutus ) magnificè compensavit datis pecuniis ac literis de novo collatis super omni jure Monasterii &c. Item infra lib. 12. cap. 26. Conducti à Magno Duce ( Inferioris Saxoniae ) appetente brumâ circa festum S. Elisabethæ venere Aldenburg, nonnulli se in urbis stipendio exhibere, contempti sunt. Ex Aldenburg transmissis Visurgo constituerunt Bremensem ditionem invadere hostilem, sed erant excubiæ in altera ripa, simul & tempestas, & cum nive frigora prohibere transitum, retrò tulere pedem, & per angulum Urbis Verdensis permittente Episcopo Hildesimensi, eodè Administatore Verdensi, quod alienam causam nollet facere suam, quòdque sciret manum multorum Principum esse cum illis: accessit quoque, quod non sensit aliunde promissam opem. Igitur partâ incolumitate suorum ire permisit. Illi propinquarunt oppidis Stadio atque Buxtehude. Virgines Moniales desertis Monasteriis profugerunt in oppida. Experti sunt ibidem famem incredibiliter hominum quatuor millia & supra, quod arida Regio vix nutrit suos habitatores. Expectarunt glaciem rigescentem ut omniquaque accedentes oppugnarent oppida. Non hoc illis præstitit Reçtor Naturæ Deus. Ita alternabat aura per biduum ac triduum, ut diu quod vellet, non possent. Duxere dein per Isenennam & mediam Diœcesin in Hadeleriam. Animadversum est, prædia Ministerialium mansisse incolumia, sola quæ Ecclesiæ & Monasteriorum erant, subruerant. Ipsa in quibus per brumam delituere, Monasteria, in discessu conflagrare cœperunt: incertum an igne injecto, vel ex ipsa negligentid. Hoc certum est, Cives Buxtehudenses vicinis Monasteriis injectisse manum, ut conflagrarent. Tanto erant perfidi odio in sancta loca, quod dicerent, oppido præjudicare Monasteria, sicut revera oppidum Monasteriis præjudicet, quorum vetus sine controversia prius erat oppido &c.*

## BUZONIENSE

**M**onasterium Canonicorum Regularium in partibus Aquilonaribus, apud Wandalos quingentis abhinc circiter annis fundatum & institutum. Novum autem à fundamentis istud construxit S. Vicelinus Aldenburgensis Episcopus & Wandalorum Apostolus, & ipse Canonicus Regularis, idem in descriptione Canonie Falderensis amplius memorandus, qui novo huic Buzoniensi Collegio præfecit Venerabilem Dei Sacerdotem Brunonem ex Religioso Cœtu Falderensi defumptum. Claruit tum inter primos Ascetas Buzonienses Helmodus, qui ( uti refert Possëvinus in Apparatu sacro Tom. 1. fol. 721. ) gentis Sclavicae seu Henetæ ad littus maris Baltici propè Lubecam, & in ditione Ducum Megalopolienfium inhabitantis, conversionis historiam ad fidem Christianam enarrat, imò & amplius videlicet à Caroli Magni bellis, quibus etiam in Saxoniam Christi Religio promota & propagata est usque ad Friderici Barbarosæ tempora, & ad annum gratiæ 1168. pervenit, quo & vivebat.

FINIS.



INDEX.



# I N D E X.

Aberzhauser Greg. vita & scripta	134	Argentoratense I. Monasterium	114. II. S. Thomæ Scotorum 115. III. Ioannis Baptistæ Stipendiariis concessum 115. IV. vel Ecclesia Regalis S. Ludovici 115. V. S. Stephani	116
Adaldagus	251	Arnbockense Monasterium		114
Adalwardus	251	Aroasia, Abbatia		43
Adam, Bremensis metropolitanae Ecclesiae Regularis Canonicus	252	Aroasiensis Congregatio Canonorum Regularium per Belgium & Franciam	18. Monasteria ad eam pertinentia 18. illius Regulæ & instituta 19. vestitus	19
Adelhaid, Comes de Marquardtstein	154	Aroldense Monasterium		111
Adihaidis, conjux Othonis de Vallay ubi sepulta?	51	Arosclisse Monasterium		111
Adorfense Canonorum Regularium Collegium	99	Artesiæ Abbatia Canonorum Regularium		47
Agaunense Monasterium 65. Abbates	72.	Atreyense Monasterium 116. ejus Abbates		117
79. Priores & Præpositi 79. nunquam Benedicti Regulam Professum	72	Aubertus ubi sepultus? 39. ejus Abbatia Canonorum Regularium in Urbe Cameracensi		39. instituta Abbatia ibid. vestitus horum Canonorum
Agaunum	65	Auenense Monasterium		117
S. Agnetis mons	59	Augiense Monasterium 117. ejus Abbates		118
Albergenense Monasterium I. 96. II. ibid. III. ibid.	96	Augustana Cathedralis Ecclesia B. Mariæ ad Elisabeth visitantis		121
Albiniacense Monasterium	31	Augustanum Cœnobium S. Crucis 57. 121. ejus Abbates 121. S. Georgii 53. 141. ejus Præpositi 142. S. Udalrici		145
Albiniacum, Abbatia	204	S. Augustinus 5. 7 - 10. Ordinum Monasticorum, ab eo Professorum, primordia 10. Ordines Religiosi, Regulam ejus observantes		74
Albo, Archi-Episcopus Bisuntinus	29	II. Regulæ		117
Aldeberti sepulcrum ubi?	97	Aw		117
Aldenburgense Monasterium 96. aliud ejusdem nominis, sexus & Ordinis	98	Awense Monasterium		147
Alderspachium	5	Bacconense Monasterium		147
Alexander II. Pontifex Rom.	5	Backnangense Monasterium		149
S. Alexandri Canonorum Regularium Collegium	99	Badense Monasterium		149
Alnense Monasterium	99	Bagolinum Monasterium		169
Altachense Monasterium	I	Ballenstettense Monasterium		150
Altaichense inferius Monasterium 100. superius	100.	Bambergense Cœnobium S. Jacobi 150. S. Stephani ibid. S. Theodori, Virginum		150
Alt-Beyren 200. ejus Præpositi	217	Bambergensis Episcopalis Ecclesia		151
Altbodiken	101. III	Banderholma		152
Altenburgense Monasterium	100	Bardenopolis		152
Altenense Monasterium	116	Barfinghusianum Monasterium		152
Alteriacense Monasterium	56	Basileense Collegium Cathedrale		7
Altitona	101. III	Basilius M.		166
Altitonense Monasterium	101. III	Bauerberg vel Beyrberg		154
Ambianensis urbis Abbatia S. Martini gemellorum	42	Baveroda		ibid.
Andainum	101	Baumburgense Monasterium		166
Andernacum	102	Beilberg		157
S. Andreae Clericorum Regularium Canonici	102	Belifianum Monasterium		ibid.
102 ejus Præpositi	103	Bellocampense Monasterium ibid. ejus Abbates		158
S. Antidius	202	Benedict-Beyren		ibid.
Antoniacum	102	Benedicto-Burantum Monasterium		S. Bene-
S. Antonii Canonorum Regularium Monasterium	107	Ttt 2		
Antunacum	102			
S. Antidii Martyris, reliquiæ s. Ossa ubi afferuntur?	208			
Aquisgranense Monasterium I. 107. II. ibid. III.	108			
Aquisgrani Canonorum Regularium S. Sepulchri Ordo 110. S. Leonardi ibid. hujus Priorissæ	111			
S. Arbogasti Monasterium	113			
Argentinenfis Episcopatus Monasteria	42			

# I N D E X.

S. Benedictus	7	Bredevoert	252
Berchense Monasterium	159	Bredevortanum Collegium	252
Berchtesgadense Monasterium	159. ejus	Bremensis Metropolitana Ecclesia	250
Præpositi	ibid.	Brielse Monasterium	253
Berchtolsgaden	159	Brixinensis Cathedralis Ecclesia	253
Berchtolsgadense Monasterium	44. 160	Bruxellense S. Petri Monasterium	253. ejus
Berengarius, Comes de Leonberg ubi sepultus?	58	Antistites ibid. Reliquiæ in eo asseruatæ	254
Berenriedense Monasterium	160. ejus Præpositi	Buchaugiense Monasterium	254
	161	Burcfeldense Monasterium	255
Bergense Monasterium	159	Burenberg	164. 166
Berichense Monasterium	160	Buriense Monasterium	255
Beringerus Comes de Leonberg ubi sepultus?	58	Buronense Monasterium	255
Bernfridenense Monasterium	51	Buthinense Collegium	257
Bertha, Conjux Wittigogi, Comitiss de Albegke, ubi sepulta?	57	Buxheimense Monasterium	258
Bertilia ubi sepulta?	32	Buxtehundanum	258
Bertuinus ubi sepultus?	32	Buzonienense Monasterium	258
Bettendorfeense Monasterium	162	de Calatin, Conradus Marefcalcus	121
Beurberg	166	Cameracensis urbis & agri Monasteria Canoniorum Regularium	48
Beurbergenfe Monasterium	44	Canoniorum Regularium denominatio vindicatur 6. instituti eorum primordia 5. primus ejus Reformator Augustinus ibid. merita discipulorum ejus de hoc instituto ibid. vestitus eorum tempore Jac. Vitriaci 13. exercitia pietatis ibid. vitus 13. Canonici Regulares Congregationis Lateranensis ex Sententia Pii IV. Pontificis R. præcedunt Monachos familiaris Benedictinæ Congregationis Californensis 13 - 16. variæ congregationes reformatæ 16. Collegia Canoniorum extra urbem Parisiensem	36
Beurenberg	164	Cantipratum	57
Beurense Monasterium	255	Caracellæ Anton. scripta,	216
Beuthinense Collegium	257	Carolus M.	107
Beyerberga 164. ejus Præpositi	172	Chiemseense Monasterium 32. Monialium	33
Beyhartingenfe Monasterium	162	S. Chilianus Episcopus	96
Beyrberg	166	Chocquensis Abbatia	51
Beyrenfe Monasterium 200. 255. ejus Præpositi	200	Cifoniensis Abbatia	30. 54
	52	Cifonium	54
Beyrhartingenfe Monasterium	52	S. Claudius	203
Beyronense Monasterium 200. ejus Præpositi	ibid.	Clodoveus Rex ubi sepultus?	27
	ibid.	Coloniensis urbis Monasterium ad Corpus Christi 60. septem Cænobia Monialium Augustinianarum ibid. Canoniorum Collegia VII. ibid. Canoniorum & Canonissarum ibid. Religiosorum XVI. 61. plebanorum XIX. ibid. Tempa Parochialia ibid. Sanctimonialium relatarum XX. Cænobia ibid. Conventualium non relatarum	62
Bezdicense Monasterium 200. ejus Præpositi	200	Coni Francisci vita & scripta	139
Biburgense Monasterium	201	Cono ab Aychorn	108
Bildenreuta	201	Constantiensis Dioceseos Abbatia 49. Collegia Canoniorum 50. Præposituræ	57
Billickheim	201	Damiani	6
Bilrebeckense Monasterium	201	Danzer, Jo. Baptist. S. Crucis Augustinæ Præful	132
Birchlingenfe Monasterium	201	de Daucourt Abbatia	44
Biffelii Domin. vita & scripta	139	Dieffense Monasterium	30
Bifuntina Abbatia S. Pauli 205. Abbates 210. Decani 209. Priores 210. Metropolitana Ecclesia	201	Diethramzellense Monasterium	43
Bloemenbergenfe Monasterium	217	Dodo	
Bodecense Monasterium 217. ejus Priores S. Prælati	228		
Bodeka	218		
Bodekena	218		
Bodingense Monasterium	236		
Boka	218		
Boloniense Monasterium	56		
Bonna	237		
Bornhemianum Monasterium	44		
Borowanense Monasterium 237. ejus Præpositi	248		
Borstellenfe Monasterium	149. 249		
Bozenhardt (Hieron.) Laus in Præfat.			
Brabantia Abbatia Canoniorum Regularium 46. Monasteria Virginitum ibid. Prioratus Canoniorum Regularium ibid.			
Brandenburgensis Metropolit. Ecclesia	249		
Bredelaria	250		



# I N D E X.

Dodo Augustin.	153	S. Joannis Baptistæ Monasterium in urbe Valentiana	45. 47.
S. Donatus 203. corpus ejus ubi asservertur?	208	S. Joannis de Vincis apud urbem Sueffionensem Abbatia.	40
Donontense Monasterium Canonissarum reformatarum	29	Ippo C. R.	251
Dresdon Joh.	153	Iprensense Monasterium S. Martini	42
Eberharts Clausen	62	Irenspurk	164
Ediffina	118	Iringensis familia	164. feqq.
Eligii Montis Abbatia in Agro & Diœcesi Atrebatensi	40	Iringspurg	164
Elten	100	Italiae Cœnobium Canonorum Regularium	39
Engelricus, Comes de Trasma	103	Ivo, Carnotensis Episcopus	6. 16
Epaunum	71	Kichgentense Monasterium	62
Eschenloher Marc. vita & scripta	140	Kunigunda, Conjux Friderici, Comitis Dieffensis, ubi sepulta?	30. feq.
Everhardica Clusa	62	Lader, Octaviani vita & scripta	138
Evershamensis Præpositura	41	S. Landelinus	99 f.
Euraspurg	164	S. Landrada	157
Eurenspurg	ibid.	Lateranensis Congregatio Canonorum Regularium	17
Faberius, Optatus	153	de Lengenbach liber Baro	103
Falempinensis Abbatia	30	Leodiensis ditionis Abbatia	49
Fanopinensis Abbatia	ibid.	Libentius	250
Felix, Archi Episcopus Bisuntinus	204	de Linden Petri Epitaphium	237
Fessolæ Edwardi scripta	216	Loensis Præpositura	39
Fischerii Anton. scripta	ibid.	Lovanienfis Urbis Monasterium S. Gertrudis	58
Flandriæ Abbatia 47. Præposituræ Canonorum Regularium ibid. Virginum Monasticarum	ibid.	Lucernensis Capituli Monasteria	50
Forbas	237	Ludingasense Monasterium	55
S. Franciscus	7	Ludingehercanum Monasterium	55
Frauenwerd	33	de Machfelrein ubi sepulti?	163
Fridericus I Imperator	97	S. Maglorii Abbatia in suburbano Parisiensi	34
Frisiæ Monasteria Canonorum Regularium Capituli Windesemensis	48	Maji Hier. Canon. Regul. Ordinis sodalis vita & scripta	133 f.
Fulgentius	5	Malonienfe Monasterium	32
Galliæ Abbatia	40. feq.	Maluti Anton. scripta	216
Gelasius, Pontifex Rom.	5	Mannes Conr. scripta	216
Geldriæ Prioratus Virorum Capituli Windesemensis	46	Marbacense Monasterium	42
S. Genovevæ Abbatia olim extra, nunc intra muros urbis Parisiensis 27. ejus Fundator	ibid.	S. Marci Abbatia in pratis apud Tornacum	51
S. Georgii de Alga Monasterium apud Venetias. 60. Congregatio Canonorum	25	Mareolensis Abbatia	31
Gisla	64	B. Mariæ Abbatia juxta Boloniam 56. thronus haud procul ab Herentalia	60
Gotzellenfe Monasterium	59	Marquardus, dynasta, & comes de Marquardtstein & Hochenstein	154
Grueber Jo. Ge. vita & scripta	139	Martin Alipii scripta	141
Guelpho III.	55	S. Martinus, Turonensium Episcopus	68
Guelpho IV. Bavarie Dux	55. feq.	S. Mauritius 65. lapidis, in quo Caput ejus fuit amputatum, miraculosi effectus 68. Commilitones ejus Confessionem Christi violenta morte obfignant 66. Memoria eorum celebratur quot annis die XXII. Septemb. 66. hymnodia, in Agaunensi Ecclesia in honorem eorum decantari solita 66. f. ampulla, Martyrum horum sanguine repleta	68
Haag castrum	164. 170	Mechtildis ubi sepulta?	51
de Haslang ubi sepulti?	163	de Megdling comites	118
Henniacum Lietardi Abbatia	54	S. Meinulphus 217. f. Sanctorum in cœlis Ordinibus adscribitur 218. Lectiones in die ipsi sacro recitari solitæ	219
Henricus R. Imp.	107	S. Michaëlis Wengense Monasterium	56
II. Imp. ubi sepultus?	33.	S. Migatius	203
Conjux ejus ubi sepulta?	ibid.	Muzenhardt Ant. scripta	141
Hermannus, Marchio Badensis	147		
Hermet Conr. scripta	215		
Hernwerd	32		
Hispaniæ Abbatia Canonorum Regularium	36		
S. Huberti Leodiensis Monasterium	101		
Hugo, Theologus Parisiensis	6		
Imhof, Augustin. S. Crucis Augustanæ Præpositus. Ejus vita, 125. scripta	141		
Inclusi	156		

# I N D E X.

Neubodeken	218	Sifala, Hentici Imp. Soror, ubi sepulta?	28
Neumostier	45	S. Spiritus Monasterium juxta Venetias	60
Nezeri Raph. scripta	216	Sponette Alph. scripta	26
S. Nicolai Abbatia in pratis apud Tornacum		Streler Bernard. Encomium. V. Præf.	
51. Monasterium in Urbe Pataviensi	38	Subense Monasterium	52
Nicolaus, Comes Holfatiæ	114	Tarnatenfis Regula	74
Niderburgenfe Cœnobium Monialium	no-	Tertulini, Martyris, Corpus ubi?	34
bilium	28	Tetradius	204
Noviat Augustin. scripta	215	Thaffilo, Bojorum Dux	117
Novum Monasterium apud Huyum	45	Thomas Cantipratanus 57. à Kempis ubi	
Ogniacum	57	vixerit & mortuus sit?	59
S. Othilia	101. 111	Transifulanæ Provinciæ Monasteria Cano-	
Otho de Vallay ubi sepultus?	51	nicorum Regul.	48
Otto Rom. Imperator III.	96. 102	Trecensis Diœcefeos Abbatia	54
Pampurg	43	Trente, Otho	153
Paringenfe Monasterium	54	S. Trudonis Abbatia Monialium	37
Parifienfis Diœcefeos status 135. Abbatia hu-		Truttenhufanum Monasterium	43
jus Diœcefeos Canonorum Regul. Or-		Truttenhufum	56
dinis S. Augustini	36	Valdfeense V. Waldfeense	ibid.
Parifienfis Urbis Collegia Canonorum	35	S. Vandalinus, Burgundiæ Dux, ubi fe-	
Peilbergenfe Monasterium	44	pultus?	209
Petri, Aroldensi Monasterio præfecti, vita	111	Vetter Melch. Præpositi Monasterii S. Geor-	
Petri Franc. Encomium. V. Præfat.		gii Augustani vita	143
Pildenreutenfe Monasterium	59	S. Vicelinus	250
Plenipedenfe Monasterium	42	S. Victoris Congregatio & Abbatia Canoni-	
Pollingenfe Monasterium Canonorum Re-		corum Augustinianorum ad muros Pari-	
gul.	29	fienses 20. Regula & Instituta ibid. Mona-	
Pompurg vel Bamberg	43	steria Monialium hujus Congregationis	21
Primiacum	57	Viepachense Monasterium	58
Pröll Seb. Vita & scripta	135	S. Vindicianus ubi sepultus?	40
Prosper Aquitanus	5	Ultrajectinæ Provinciæ Monasteria Canoni-	
S. Protadius	202	corum Regul.	48
Quercetanum Monasterium	58	Udenstorfense Monasterium	52
Quercetum, Abbatia	37	Vochetii Anastaf. vita & scripta	137
Ragenfredis sepulcrum ubi?	29	S. Ulfmarus	99
Raitenbuchense Monasterium	55	Utilo, Dux Baviariæ	100
Ranshoviense Monasterium	33	Waldfeense Monasterium	56
Ratisbonæ suburbii Monasterium S. Magni		Waltherus, Comes ac Marchio Lengenba-	
ultra pontem	53	centis	103
Rebdorphenfe Monasterium	55	Wandersles Hug. scripta	216
Regulæ Monasticæ primariæ	4. 7	Watanensis Præpositura	40
Reicherspergenfe Monasterium	41	Weiernense Monasterium	57
Rhenanum Monasterium apud Bononiam		Wengense Monasterium	56
26. Regulæ & instituta	27	Wettenhusense Monasterium	36
Richardus, Theologus Parifienfis	6	Wichmannus Comes	100
Romers Wael B. Mariæ Monasterium	48	S. Willehadus	250
Rorenfe Monasterium	53	Windefemense Monasterium	59
Rudolphus, Baro Eberspergenfis	147	Windefemensis Congregatio Canonorum	
S. Rufi, Canonorum Regul. Congregatio	20	Regul. in Germania inferiore & superio-	
Sabionensis Cathedralis Ecclesia	253	re 21. Monasteria, quæ illi accefferunt	
S. Salvatoris Congregatio Canonorum	26.	21 - 25. Monasteria Monialium	25.
Monasterium S. Salvatoris in Urbe Bono-		Capituli Windefemensis Prioratus Viôr-	
nienfi	ibid.	rum 46. 48. seq. Prioratus Monialium	
de Sarga, Libentius	153	47. seq.	
Schall Jo. Præfulis S. Crucis Augustanæ vi-		Wittigogus, Comes de Albegkhe, ubi fe-	
ta 123. scripta	135	pultus?	57
Schamhaptense Monasterium	52	Wonaderius, Viêt.	153
Schlehdorfense Monasterium	34	Worowanense Collegium	237
Schlirenfe Monasterium	28	S. Wulmari Abbatia apud Boloniam	56
Scopetinatorum Congregatio Canonorum	26	Yringi castrum	164
Semenshaufense Monasterium	59	Yringispurg	164
Siehler Hier. Vita & scripta	139	S. Zenonis Monasterium in Norico	55
S. Sigismundus, Burgundiorum Rex	68	Zerte Alponf.	153

F I N I S.